
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE EBORENSE
32
3 D
8




FR. ANDREÆ SGAMBATI

ORDINIS MINORUM

S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

OPUS

DE PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ LOCIS.







N E A P O L I

ANNO MDCCLXXXV.

EX TYPOGRAPHIA PACIANA.

SUPERIORUM FACULTATE.

HYACINTHO
DRAGONETTI
REGALIS CAMERÆ SANCTÆ CLARÆ A SECRETIS

F. ANDREAS SGAMBATI.

QUod ſub auſpicato nomine tuo, VIR ORNATISSIME, publicam nunc primo lucis uſuram

Opus istud aspiciat, non tantum singularis tua erga me caritas exigit, verum etiam præclara virtutum tuarum ornamenta requirunt. In te enim plena intimioris doctrinæ invenitur ubertas, felici parta ingenio, assiduoque comparata labore; cum nullum elabi patiaris diem, quem in excolendis magnarum artium scientiis utilissime non impendas. Omnem vero divini humanique juris prudentiam usumque adeo calles, ut huic unice rei omnem semper navasse operam videaris; quemadmodum non-

nul-

nulla typis etiam a Te edita ſpecimina manifeſtant. Ingenti etiam juſtitiæ & æquitatis amore, conſiliorum altitudine, ac ſummarum rerum molimine præſtas; candidiſque præterea, & ingenuis moribus inſigniris, quibus ſinceram tibi Bonorum omnium exiſtimationem, dilectionemque concilias. Hæ itaque nobiliſſimæ animi tui dotes potius, quam generis amplitudo aut illuſtria Majorum tuorum geſta, iter Tibi fecere ad præcipuas Dignitates, quibus ab Inviċtiſſimo utriuſque Siciliæ Rege largiter

ac perpetuo decoraris. At singularis modestia tua, cui consultum volo, non patitur, ut Te laudibus ornem, etsi conspicuo virtutum merito laudem omnem excedas. Interim vero precor, ut meum erga Te obsequium hac qualicumque significatione majus existimes, majorique in posterum caritatis me studio prosequaris. Vale.

LE-

LECTORI BENEVOLO.

POsteaquam Amicorum persuasione impulsuque quatuor Sententiarum Libros ad Juvenum institutionem commentariis illustrare pro ingenii modulo, typisque mandare curavi; reliquum profecto erat, ut de præcipuis saltem Theologiæ locis prolixius uberiusque tractarem, quam in compendiario olim Præludio iisdem commentariis præmisso præstiteram. Id itaque lubens modo exequor, ne Tyrones potiorem ampliorem que Theologicarum rerum disputationem neglectam a me contemptamque fuisse merito conquerantur. Tu interim, Amice Lector, studiis meis pro tua quæso humanitate faveto, & leviora nonnulla quæ ex Typographorum vel inscitia, vel incuria irrepserunt errata, pro tua sapientia, solertiaque corrigito. Vale.

INDEX
DE
PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ LOCIS.

LIBER I.

CA-

CAPUT IX.

LIBER II.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

LI-

LIBER III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

LI.

LIBER V.

FINIS.

DE

DE PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ LOCIS

LIBER I.

Qui de Sacra Scriptura pertractat.



N Theologiæ Præludio, quod Commentariis nostris super quatuor Sententiarum Libros præire voluimus, recte cum Theologorum vulgo notavimus, decem numerari posse Theologiæ locos, sive domicilia sedesque, ex quibus Theologi omnia sua, tum ad confirmandum, tum ad refellendum, argumenta depromunt. I. enim locus est auctoritas sacræ Scripturæ: II. est auctoritas Traditionum Christi, & Apostolorum: III. est auctoritas Ecclesiæ Catholicæ: IV. est auctoritas Conciliorum, præsertim generalium: V. est auctoritas Romanæ Ecclesiæ Summorumque Pontificum: VI. auctoritas Sanctorum Patrum: VII. auctoritas Theologorum Scholæ, Jurisque Canonici Peritorum: VIII. est Ratio naturalis: IX. est auctoritas Philosophorum, Cæsareique Juris Consultorum: X. denique est auctoritas humanæ historiæ. Nos hic de prioribus dumtaxat quinque locis, qui præcipui sunt, disseremus: & licet brevitati studebimus, nihil tamen missum faciemus quod possit Tyronum nostrorum eruditioni, doctrinæque prodesse.

CAPUT I.

Multiplex Scripturæ nomen exponitur, ejusdemque descriptio traditur; ac Libri quos illa continet, recensentur.

SAcra Scriptura ob sui excellentiam variis nominibus insignitur. Dicitur enim absolute *Scriptura*, & ab Hebræis מִקְרָא, *Mikrà*, per antonomasiam; quia ceteris scripturis omnibus antecellit, doctrinamque complectitur maxime dignam, quæ scripto mandetur, assiduequè legatur: ob quam etiam rationem *Biblia*, idest Libri, plurali numero nuncupantur. Græce enim βιβλίον est volumen, seu liber, a voce βύβλος, quæ papyrum significat Ægyptiacam plantam; sive etiam codicem, hoc est, tiliæ alteriusve arboris internum corticem, qui in tenuissimas longasque philyras seu membranas ductus, chartæ usum Veteribus præbebat.

Dicitur quoque Scriptura sacra *Testamentum*; quod nomen accipitur pro fœdere ac pacto, seu pro instrumento, & contestatione fœderis, quod Deum inter hominesque sancitum est. Ac præterea juxta plausibilem quorundam opinionem Scriptura dicitur *Testamentum* usitatissima apud Jurisconsultos acceptione, qua Testamentum definitur, Mentis nostræ justa sen-

ten-

tentia de eo quod quis post mortem suam fieri velit. Id enim affirmare videtur Apostolus in epist. ad Hebræos c. 9. ubi de utroque fœdere, Mosaico scilicet, & Evangelico, loquitur, ac instituta illius cum isto comparatione, subjungit v. 16. & 17. *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.* Ex quibus inferri potest, juxta Apostoli sententiam, tum Evangelicum, tum Mosaicum fœdus, verum ac proprie dictum fuisse Dei Testamentum, prout Jurisconsulti definiunt; Mosaicum quidem ex persona Christi venturi, Evangelicum autem in persona ejusdem præsentis, & pro nobis immolati. Qua de re legendi sunt Ambrosius lib. 1. de Cain & Abel c. 7. & Lactantius Firmianus in lib. 4. Divin. Institut. c. 20.

Dicitur insuper Scriptura *Verbum Dei*, quod Deus sit principalis ejus auctor, eandemque suggesserit, ac dictando inspiraverit. Unde inquit Petrus in epist. 2. c. 1. v. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et Paulus in 2. ad Tim. c. 3. v. 16. scribit: *Omnis scriptura divinitus inspirata, &c.* Huc etiam referendum est quod Lucæ c. 1. v. 70. Zacharias ait: *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, Prophetarum ejus.* Idque ex eo etiam patet, quod Prophetæ omnes vaticiniis suis identidem inseruerunt, *Hæc dicit Dominus*; qua tanquam solemni clausula missionem, seu legationem suam contestati fuere. Aliis tandem Scriptura vocabulis designatur

quæ brevitatis gratia prætermimus, præsertim quia expositione non indigent.

Ex dictis facile patet, quomodo possit Scriptura describi. Est enim Dei Verbum scripto mandatum, sive Deo inspirante, & specialiter assistente conscriptum. Atque ita Scriptura a divina Traditione secernitur: hæc enim etsi Dei verbum sit, non tamen literis est consignatum; sed vivæ vocis oraculo a Deo Majoribus nostris revelatum est, & a Majoribus ad posteros successive ad nos usque transmissum. Lege quæ de Scripturæ definitione docuimus in Theologiæ Præludio c. 2. §. 1.

Libri autem quibus sacra Scriptura componitur, a Tridentina Synodo septuaginta duo numerantur sess. 4. in Decreto *de Canonicis Scripturis*. Ex veteri enim Testamento sunt Pentateuchus, seu quinque libri Moysis; videlicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, & Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth; quatuor Regum, duo Paralipomenon; Esdræ primus, & secundus qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Proverbia, sive Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim Prophetæ minores, nimirum Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus scilicet, & secundus.

Ex novo præterea Testamento ab eadem Synodo recensentur quatuor Evangelia; nempe secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apostolorum a Luca Evange-

gelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, quarum una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, & ad Hebræos una; Petri Apostoli duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una; & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Hos itaque libros facer Scripturæ Canon in Catholica Ecclesia comprehendit: unde & canonici libri vocantur a Græco Κανὼν, quod regulam normamque significat; ex iisdem enim libris fidei morumque regula petenda est. Denotare etiam Canon solet certum quarundam rerum numerum sive catalogum; quo item in sensu Scripturæ libri Canonici nuncupantur, quia in determinato divinorum librorum numero, sive catalogo, ac syllabo continentur.

Duæ insuper sunt Canonicorum librorum classes. *Protocanonici* enim dicuntur, de quorum fide & auctoritate nulla unquam controversia extitit; sed ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, communi Orthodoxorum suffragio, pro sacris divinisque recepti fuerunt; ut in veteri Testamento sunt *quinque Mosis libri*, & in novo *quatuor Evangelia*, &c. *Deuterocanonici* vero vocantur, qui non statim ab omnibus, etiam Catholicis, inter Canonicos habiti sunt; sed progressu temporis, post exploratam melius veritatem, inter irrefragabilis auctoritatis Scripturas, certo Ecclesiæ judicio sunt relati. Hujusmodi ex veteri Testamento sunt libri *Esther*, *Judith*, *Tobiæ*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *Baruch*, *& duo Machabæorum*; ex novo autem *Epistola S. Pau-*

li ad Hebræos , & quædam aliorum Apoſtolorum Epiſtolæ quæ Catholicæ nuncupantur, ac S. Joannis *Apocalypſis*, necnon pauca quorundam librorum loca, de quibus infra paulo prolixius diſtinctiuſque tractabimus.

Dividi præterea ſolent ſacræ Scripturæ libri 1. in *Legales* , quales in veteri Teſtamento ſunt Quinque Libri Moyſis, & in novo Quatuor Evangelia. 2. in *Hiſtoricos*, quales in V. T. cenſentur Libri Joſue , Judicum , Ruth, quatuor Regum , duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, Job, & duo Machabæorum ; in novo autem Actus Apoſtolorum. 3. in *Sapientiales*, uti in V. T. ſunt hi quinque, videlicet Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, & Eccleſiaſticus; in novo vero omnes Apoſtolorum Epiſtolæ. 4. demum in *Propheticos*, e quorum numero in V. T. cenſentur Pſalmi , ac libri Iſaiæ , Jeremiæ cum Threnis & Baruch, Ezechielis, & Danielis ; qui quatuor Prophetæ Majores apud nos vocantur: deinde Oſee, & reliqui undecim qui Minores Prophetæ dicuntur . Unus autem in N. T. liber Propheticus eſt , nempe Joannis Apoſtoli Apocalypſis.

C A P U T II.

Num Scripturæ Libri ſint genuini?

GEnuinus liber ille dicitur , qui ab eo auctore ſcriptus eſt , cui vulgo tribuitur : ita

ita libri Æneidos sunt genuini, si revera constet a Pub. Virgilio Marone fuisse conscriptos. Libro genuino opponitur liber spurius, ille nimirum, qui non est scriptus ab eo auctore, cui a quibusdam adscribitur: ita Pimander liber est spurius, quippe qui Mercurio Trismegisto tribuitur, a quo scriptum non esse consentiunt Eruditi.

Quod autem ad sacrorum librorum genuinitatem speciatim pertinet, duplex potest illa distingui; ita ut altera ex parte Spiritus Dei se habeat, altera ex parte eorum hominum, quos idem Dei Spiritus afflatu suo ad sacros scribendos libros induxit. Ex priori parte liber vocabitur genuinus, si scriptum illum fuisse constiterit a Propheta aliquo, idest ab homine quem Divinus Spiritus incitavit; etiamsi lateat quo auctore Spiritus Sanctus in eodem scribendo sit usus: ex altera vero parte dicetur genuinus, si constiterit ab eo scriptum fuisse cui tribuitur. Claritatis itaque gratia priorem genuinitatem vocabimus *divinam*, alteram dicemus *humanam*; & de utraque hic generatim, historicumque in morem agemus: nam de divina in sequentibus capitibus ex instituto tractandum est.

Primus itaque V. T. liber dicitur *Pentateuchus*, & quinque volumina comprehendit: etsi uno eodemque contextu quinque libros illos a Mose conscriptos plurimi arbitrentur, quibus proinde librorum capitumque divisio recentiori manu invecta videtur. Singulis voluminibus Græci tituli præfixi sunt. Genesis sonat generationem; historiam scilicet creationis Mundi, & præsertim genealogiæ primorum hominum,

rerumque a Patriarchis gestarum: Exodus redditur Egressus, ex Ægypto videlicet: Leviticus leges sacrificiorum respicit; quæ nempe sacrificia a filiis Levi offerri debebant: Numerorum liber ex censu familiarum, unde Opus instituitur, apud Græcos Latinosque tale nomen obtinuit: Deuteronomium Græca voce secundam legem significat, quippe quod repetitam omnium ferme legum promulgationem exhibeat.

Apud Hebræos tamen eisdem libris nomen inscribitur ex voce, quæ in capite Operis primum occurrit: ita, cum prima vox Geneseos in Hebræo legatur *Beresith*, idest, *In principio*, ex illa Operi nomen impositum est: eademque methodo Exodus appellatur *Veele semoth*, idest, *Hæc sunt nomina*: & Leviticus dicitur *Vajikra*, scilicet, *Et vocavit*: Numeri vero nuncupantur *Vajedaber*, nimirum, *Et locutus est*: Deuteronomium denique dicitur *Elleh haddebarim*, videlicet, *Hæc sunt verba*.

Quod ad humanam horum librorum genuinitatem pertinet, unanimi firmissimaque consensione affirmant Theologi, eos revera a Mose fuisse conscriptos, secus ac sentiunt nonnulli recentiores increduli; Hobbesius nempe, Spinoza, Tolandus, aliique vel Athei, vel Deistæ. Idque profecto evidenter ostenditur firmissimo argumento ex traditione deducto. Judæi enim, Samaritani, & Christiani, licet inter se plurimum in doctrina, & communione dissentiant, Pentateuchum tamen Mosi constanter omnes adscribunt. Ipsi quoque Gentiles, ut Nicolaus Damascenus, Strabo, Apion, aliique quamplurimi Mosi idem opus adjudicant; ita ut

ut Juvenalis in Satyra 14. hac de re, tanquam de publice credita, sic loquatur:

Judaicum ediscunt, & servant, & metuunt
Jus,
Credidit arcano quodcumque volumine Mo-
ses.

Sicut ergo Platonis, Aristotelis, Tullii, Virgilii, aliorumque libros genuinos asserimus, ac nemo sanæ mentis audet in dubium revocare, ob perpetuum & unanimem Latinorum, Græcorumque consensum; ita ob eandem rationem de Mosis Pentateucho dicendum est.

Huc accedit, quod Exodi 24. v. 4. legitur: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini;* & v. 7. *Assumensque volumen fœderis legit audiente populo;* & c. 34. v. 27. *Dixitque Dominus ad Moysen: scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus:* denique Deut. c. 31. v. 9. *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi.* Ex quibus apparet potiorem Pentateuchi partem secundum Auctorem Pentateuchi, a Mose fuisse conscriptam; cur scripta etiam reliqua non credamus, cum nulla de hoc adsit ratio dubitandi?

Concedendum est tamen, aut Josue, aut Esdram, aut alios Scripturarum restauratores nonnulla Pentateucho addidisse, aut recentia nomina propria substituisse vetustis ut Geographia intelligeretur, aut historica facta clarius explicasse; quod tum alibi contigit, tum præsertim in calce Deuteronomii, ubi Mosis mors & parentalia recensentur. Hæc autem additamenta Pentateuchi genuinitatem haudquaquam evertunt, cum rara sint leviorisque momenti, ac a Spiritu

ritu Sancto dictata.

Adducta superius argumenta demonstrant pariter divinam horum librorum genuinitatem: nam si isti a Mose sunt scripti, & Moses ex Veterum consensione, & ex iis quæ in Pentateucho leguntur, verus fuit magnusque Propheta; profecto consequitur, eosdem libros esse divinos.

Plura autem hic opponunt, illudque præsertim quod Pentateuchi auctor de Mose loquatur in tertia persona, tanquam de perantiquo Scriptore, eumque impense commendet; quæ demonstrant, alium a Mose fuisse.

Deinde, Moses molestissimis Reipublicæ curis erat implicitus: eæ autem curæ tales tantæque erant, ut coactus sit, ille. 72. alios minores Judices, Jethro consulente, statuere: qui ergo ille potuit animum ad Judaicam historiam conscribendam intendere?

Resp. ad 1. Neminem latet, veteres plerosque Scriptores in iis historiis quarum pars ipsi fuerunt, de se in tertia persona scripsisse: ita Cæsar in Commentariis de Bello Gallico, Dares Phrygius de excidio Trojano, Josephus in libris de Bello Judaico, aliique sacri quoque Scriptores, uti notavit Gregorius M. præfat. in expositionem libri Job c. 1. Laudes porro, quas interserit, nihil continent, quod adulationem mendaciumque redoleant; potuitque Moses Deo incitante se laudibus exornare, ut ejusdem Dei dona in creaturis suis extolleret; sicuti aliquando seipsum laudavit Jobus, laudavit & Paulus; quod etiam in loco mox citato docuit Gregorius.

Ad 2. Potuit Moses Pentateuchum scribere, quamvis esset curis pluribus gravibusque distentus.

tus. Neque vero putandum est omnes quinque libros fuisse uno tempore scriptos; cum potuerit Moses Genesim scribere ante exitum ex Ægypto, dum in Madianitide regione otio abundabat; quo in loco librum quoque Jobi scripsisse, vel in Hebræam saltem linguam vertisse, plerique dixerunt. Deinde paulatim, quæ in quatuor aliis libris continentur, potuit exarare. Sane Mosen scripsisse legem a Deo datam, extra dubium est, ac colligitur etiam ex Matth. 12. v. 5. & 22. v. 24. ex Lucæ 2. v. 22. ex Joan. 8. v. 5. &c. Quædam etiam alia ut scriberet, Deus ipse præcepit. Quod si ista scribere potuit, cum semel stilum sumpsisset, probabilissimum est & reliqua, quæ cum his sunt conjuncta, scripsisse. At hæc nobis satis sunt, qui vero plura desiderat, adeat Natalem Alex. & Calmet, aliosque Theologos, ac Interpretes.

Pentateuchum excipit liber Josue, Hebraice *Jehosua*, qui seriem continet rerum ab ipso Josue filio Nun gestarum per annos septemdecim, quibus Hebraicum populum post Mosem rexit, ac præterea res quasdam sub Eleazaro gestas enarrat. Divina hujus libri genuinitas ex constanti Hebræorum & Christianorum traditione probatur. De humana vero genuinitate licet inter Hebræos Christianosque non constet, vero tamen similius sentire videntur, qui libri hujus ipsum Josue faciunt auctorem. Legitur enim in hujus Operis cap. ult. v. 26. *Scripsit quoque*, Josue, *omnia verba hæc in volumine legis Domini*; nempe ad minus omnia, quæ eodem in capite continentur. Si vero postremi hujus capitis Auctor credatur Josue, cur non & reliqui libri, cum in ipsum cetera omnia

qua-

quadrent? Consule P. Calmet *Prolegom. in lib. Josue*. Huc etiam nonnulli trahunt quod habetur Ecclesiastici 46. v. 1. *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis*, sive, *in prophetiis*, ut est in Græco; *in prophetiis* (ajunt illi) idest in Scripturis concinnandis, & non ore tantum, sed & calamo exprimendis. Fatemur autem alienam manum huic libro aliquid adjunxisse, ut patet ex cap. ult. v. 29. ubi Josue mors narratur.

Sequitur liber Judicum, Hebraice dictus *Sophetim*, qui historiam continet annorum 315., a Josue nimirum morte ad mortem usque Samsonis. Hujus libri divinitatem nemo unquam in dubium revocavit, quem ipsi quoque Hebræi in Canonem retulerunt. De ejusdem vero Auctore discors circumfertur opinio; alii enim Judices ipsos suæ singulos historiæ scriptores assignant; alii Phineem, vel Samuelem (idque communius), vel Ezechiam, aut Esdram. Nonnulli denique eum esse putant *librum bellorum Domini* laudatum Num. c. 21. v. 14.

Liber Ruth historiam describit honestæ cujusdam feminæ Moabitidis, quæ nupta Boozo genuit Obed, ex quo natus est Isai pater David. Hic liber appendicis loco libro Judicum accedit, simulque uti præfatio quædam habenda est præposita libris Regum. De ejus Scriptore eadem dubitatio est, ac de libro Judicum; etsi plures Samueli illum attribuant, quod vellet, Davidis a se in Regem uncti, simulque & Christi ex Davide orituri progeniem posteris enarrare. Ambigendum tamen de divina ejus genuinitate nullatenus est, cum semper in Ca-

n)-

none Synagogæ, Ecclesiæque fit habitus.

Succedunt quatuor libri Regum, quorum tamen duos priores Hebræi *Samuelis* appellant, posteriores duos *Regum*, patrioque vocabulo *Melachim*: a Græcis tandem omnes quatuor dicuntur libri *Regnorum*. De eorundem genuinitate divina nemo unquam dubitavit, insertique Hebræorum etiam Canoni ex antiquissima traditione leguntur. De humana vero genuinitate non constat, quamvis nonnulli non improbabiliter asserant libros istos ab aliquo Prophetarum excerptos esse ex publicis Hebræorum Annalibus, ad quos in iisdem libris lector non raro remittitur.

Duo deinde recensentur libri Paralipomenon a Græca voce sic dicti, quæ Latine redditur *Prætermissorum*. Apud Hebræos unus est liber, diciturque *Dibre hajamin*, idest, *Verba dierum*, alias Liber Chronicorum. Multa quæ in Pentateucho, vel in libris Josue, Judicum, & Regum, aut omissa, aut non satis explicata fuerant, summatim enumerant. Primus continet epitomen historiæ, & chronologiæ sacræ ab Orbe condito ad Davidem usque: alter reliquorum omnium Regum utriusque Regni Hebraici contexit historiam. Humana horum librorum genuinitas explorata non est, diversis diversa opinantibus; etsi quamplures Esdram censeant auctorem, post cujus tamen viri obitum quædam aliena manu accessisse non est dubitandum. Quidquid vero de humana genuinitate dicatur, ambigere de genuinitate divina non possumus, cum ista ex Hebræorum, & Christianorum Canone comprobetur.

Sequuntur duo libri, qui Esdræ dicuntur; li-

licet Hebræi, & Christiani magna consensione primum tantum Esdræ tribuant, alterum autem Nehemiæ; unde & Nehemiæ liber sæpenumero nuncupatur. Potuit vero etiam hic liber Esdræ a Latinis inscribi, quia olim unus idemque liber erat, qui in duos nunc dissectus habetur; id testante Hieronymo in epist. ad Paulinum. Humana itaque horum librorum genuinitas non mediocri probabilitate fulcitur. Cumque præterea in Hebræorum, ac Christianorum Canone semper extiterint, de divina eorundem genuinitate dubitare grande piaculum est. Postremo feruntur quidem duo alii Esdræ libri, tertius nimirum, & quartus; at neque veteres Hebræi, neque Catholica Ecclesia unquam illos pro divinis habuit: hinc in Bibliorum Editionibus ad calcem inter apocryphos apponuntur.

Succedit liber Tobiæ, sic dictus, quia utriusque Tobiæ, patris scilicet, filiique, gesta persequitur. Hujus libri incertus est auctor, etsi a nonnullis probabiliter affirmetur, ab utroque Tobia fuisse conscriptum, vel saltem eos monumenta reliquisse, quibus inspectis recentior quidam Auctor librum digesserit, servando omnes fere priorum Scriptorum phrases, & junioris Tobiæ obitum adjungendo. Divina vero genuinitas post Tridentinam Synodum certa prorsus evasit.

Sequitur liber Judith, ita vocatus ab Hebræa hujus nominis muliere, quæ, cæso Holoferne, populum Israeliticum Bethuliæ oppido inclusum ab Assyriis obsidentibus vindicavit. Certus libri hujus Auctor proferri non potest: nonnulli tamen opinantur, Summum Sacerdotem Jo-

acim five Eliacim, cujus eodem in libro fit mentio, genuinum habendum esse illius Auctorem. Divinitas autem ejusdem libri ex antiquissima Catholicæ Ecclesiæ traditione colligitur. Plures præterea Hæretici censent in libro Judith non veram historiam contineri, sed fabulam, & sacram quandam exhiberi tragœdiam; at id sine sufficienti ratione, & contra SS. Patrum doctrinam affirmant.

Liber Esther enarrat depressionem Vasthi, & Aman; exaltationem Esther, & Mardochæi, mirabilemque Judæorum liberationem. Hujus quoque libri ignoratur Auctor, etiamsi suspicentur aliqui illum a Mardocheo fuisse compositum, eidemque ipsam Estherem inseruisse nonnulla, ac recentiorem postremo manum quædam alia adjunxisse. Totus & integer liber iste divina præditus est auctoritate, uti Synodus Tridentina declarat. Lutherani quidam & Anabaptistæ arbitrantur librum Esther esse veluti tragœdiam, confictamque fabellam: id autem Theologi, Interpretesque nostri falsum esse probarunt.

Liber Jobi nomine insignitus eximium pietatis, ac patientiæ exemplar in sanctissimo Viro illo demonstrat. Veram eodem in libro historiam, non parabolam recenseri, ut nonnulli putarunt, apparet ex Tobiæ c. 2. Ezechielis c. 14. & ex Jacobi epist. c. 5. ubi de Jobo ejusque gestis habetur mentio, tanquam de vera persona, verisque factis historicis. Ita quoque SS. Patres de Jobo loquuntur; quibus Ecclesiæ consensus accessit, quæ Jobum veneratur ut sanctum, ejusque festum diem Romanum Martyrologium sexto idus Maji constituit. Auctor li-

libri hujus incertus est. Sunt enim plures qui Jobum ipsum de se scripsisse credunt; sunt qui Eliu librum concinnasse malunt, vel saltem Jobum cum amicis; sunt etiam, qui Mosen, vel Salomonem, vel Isaiam, recentioremve alium adornasse historiam arbitrantur. Sed bene S. Gregorius M. præfat. Mor. in Job c. 1. ait: *Quis hæc scripserit valde supervacue quæritur; cum auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur*. Divinam enim hujus libri genuinitatem Hebraicus & Christianus Canon certo commonstrat.

Liber Psalmorum centum quinquaginta dicitur ab Hebræis *Sepher tehillim*, idest, *Liber hymnorum, vel laudum*; a Græcis autem Latinisque *Psalterium* appellatur. Versibus constant Psalmi, breviterque recensent omnia gesta veteris Testamenti, & præcipua in novo gerenda. De Psalmorum Auctore duplex est Patrum Interpretumque sententia: quidam cum Augustino soli Davidi illos attribuunt; alii vero cum Hieronymo præter Davidem pro auctoribus agnoscunt Asaph, aliosque nonnullos, quorum nomina Psalmorum titulis præfiguntur; etsi horum plerosque Davidi adscribant, quos simul omnes in unum volumen Esdras deinde compegerit. At incertus sit licet Psalmorum omnium Auctor, explorata tamen eorum divinitas est, quos Hebræi Christianique uti Canonicos venerantur.

Proverbiorum liber Hebraice *Misle* dicitur a *mascbal*, idest, *dominari*; denotatque quamlibet illustrem sententiam, quasi prædominantem ceteris, ac præcellentem. Hujus libri Auctor manifeste se prodit cap. 1. v. 1. inquiens: *Para-*

rabola Salomonis, *filii David*, *regis Israel*. Salomon autem, uti Patres advertunt, in tribus qui ex ipso supersunt, libris, apta singulis hominum statibus instituta præscribit. In hisce Proverbiis fere parvulos, & incipientes docet, eos clare monens vitia relinquere, virtutesque sectari. In libro vero Ecclesiastæ, virum maturæ ætatis, ac proficientem instruit omnia caduca despicere, & in virtute procedere. Demum in Cantico Canticorum, jam consummatum perfectumque virum ac seculo superiorem, in persona Sponsæ, Sponsi jungit amplexibus. Cum præterea Hebræi & Christiani hunc librum in Canone semper habuerint, de divina ejusdem genuinitate non est ambigendum.

Liber, qui Græce Ecclesiastes inscribitur, Hebraice *Coheleth* appellatur, scilicet *Convocator*, vel *Concionator*. Salomonem hujus libri auctorem esse non obscure ea verba demonstrant, c. 1. v. 1. *Verba Ecclesiastæ*, *filii David*, *regis Jerusalem*. Lege etiam c. 2. & c. 12. Ex utroque pariter Canone libri hujus divina constat auctoritas.

Liber inscriptus Canticum Canticorum ab Hebræis dicitur *Sir Hasirim*; eximium nempe, perfectissimumque Canticum, quod a Salomone fuisse conscriptum communis sententia tradit; ac liquet ex Operis titulo, *Canticum Canticorum Salomonis*: liquet etiam ex contextu. Lege præsertim cap. 3. v. 7. & sequen. Divinam vero libri auctoritatem Canon uterque declarat.

Sapientiæ liber a Græcis *Sophia* dicitur, & *Panaretos* cognominatur, quasi continens præstantium documentorum collectionem, virtutumque thesaurum. Libri auctor a quibusdam

censetur Jesus filius Sirach, ab aliis Philo Judæus, ab aliis Salomon, idque communius; ita tamen, ut hujus libri sententiæ, quamvis revera Salomonis fuerint, ab alio tamen collectæ, Græcisque verbis expressæ dicantur. At incertus sit licet auctor, non incerta tamen est divina genuinitas, quam inspecta traditione Tridentina Synodus definivit; etiamsi liber iste in Hebræorum Canone non legatur.

Liber Ecclesiastici ita a Latinis inscribitur, ad imitationem simul & distinctionem libri Salomonis, qui dicitur Ecclesiastes: utriusque enim Operis idem est scopus, ut scilicet traditis ad officia vitæ institutionibus regulisque, viam ad sapientiam virtutemque præmuniat. Recepta magis certiorque sententia, Operis auctorem agnoscit Jesum filium Sirach; unde a Græcis Patribus liber iste passim inscribitur, *Sapientia Jesu filii Sirach*, vel *Panaretos Jesu filii Sirach*. Interpretem vero fuisse alterum Jesum auctoris nepotem, non obscure inferri videtur ex Prologo. Divina tandem genuinitas ejus apparet ex Tridentino Canone; licet Hebræi, Novatoresque dissentiant.

Succedunt quatuor Prophetæ Majores, qui sola librorum mole a duodecim Minoribus distinguuntur. Primus occurrit Isaias, qui vaticinatus est sub Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia, Regibus Juda. Secundus est Jeremias, qui in matris sanctificatus est utero, prophetavitque sub quinque Regibus Juda, a 13. anno Josiæ usque ad annum 5. excisæ Jerosolymæ & Templi, per annos 45. Cum Jeremia conjungitur Prophetia Baruch, qui Jeremiæ fuit amanuensis, & assecla, sociusque in laboribus, & ærumnis.

nis. Tertius est Ezechiel ex nobili Sacerdotum stirpe progenitus, qui vaticinari in Chaldæa cœpit tempore Babylonicæ captivitatis, quum Jeremias Hierosolymis prophetabat. Quartus est Daniel ex regio semine natus, qui adhuc puer in Babyloniam captivus ductus est, ubi ad Cyrum usque vixit, suamque edidit prophetiam. Sequuntur deinde duodecim Prophetæ Minores, quorum nomina in cap. præced. retulimus. Horum librorum omnium humana divinaque genuinitas ex unanimi Synagogæ Ecclesiæque consensu colligitur; etsi prophetiam Baruch, & nonnulla apud Danielem ab Hebræis minime recipiantur.

Restant ex V. T. duo Machabæorum libri, qui varios Synagogæ casus partim prosperos, partim adversos, sub Græcorum Monarchia describunt. Duos fuisse horum librorum auctores communis sententia tradit, etsi quinam illi fuerint, ignoretur; idque dumtaxat constet, auctorem posterioris libri (qui fuisse censetur Judas Essenus de quo 2. Machab. c. 1. v. 10.) ibidem asserere (c. 2. v. 24.) se quæ isto volumine refert, ex Jasonis cujusdam Cyrenæi quinque libris, quasi in historiæ epitomen redegisse. Divinam eorumdem librorum auctoritatem agnoscit Ecclesia, quamvis Hebræi & Hæretici refragentur. Postremo duo alii Machabæorum libri, tertius nimirum & quartus, pro apocryphis & incertis habentur.

Quod vero ad N. T. libros attinet, brevissime affirmamus, quatuor Evangeliorum libros, singulasque Apostolorum Epistolas, genuina eorum auctorum opera esse quibus tribuuntur; uti ex pervetusta Catholicæ Ecclesiæ traditione

manifestissime demonstratur; quo etiam ex fonte deducitur, Apostolorum Acta Lucæ esse adscribenda, & Apocalypsim tribuendam esse Joanni Apostolo & Evangelistæ; neque ullatenus posse eorumdem librorum omnium divinitatem in dubium revocari.

CAPUT III.


Ostendit Scripturæ libros esse Divinos.

EXistere aliquod Dei verbum, sive doctrinam aliquam a Deo hominibus revelatam, aperte colligitur tum ex hominis indigentia, qui sine ejusdem doctrinæ adminiculo Deum rite colere, & ad illius visionem pervenire non potest; tum ex ipsius Dei providentia ac bonitate, qui pati nequit, ut homo officii sui nescius, suique finis semper vagetur incertus. Cum insuper inter eos, qui Christiano censentur nomine, vulgatum sit, non solum aliquam inter homines esse doctrinam divinitus revelatam, quæ plene nos ad bonos mores, Deique cultum ac pietatem instituat, verum quoque eam maxima ex parte in sacris Scripturæ libris contineri; idcirco nunc eorumdem librorum divinitatem contra Deistas, Libertinosque probabimus. Id autem ut clarius faciliusque præstemus, a novi Testamenti libris disputationem ordimur, primoque eorum veritatem ostendimus.

Propositio I. Veraces sunt Libri quos novum con-

continet Testamentum.

Ad hoc autem demonstrandum, uti certum ratumque præmittimus, in quolibet libro duas veluti partes posse distingui, Historicam scilicet, & Dogmaticam; & illa quidem narrat, hæc autem docet. Est itaque liber ille verax, qui nihil refert aut incorruptæ aliorum fidei, aut claris argumentis adversum; & nihil tradit aut rationi, aut experimentis oppositum. In omni insuper historia tria sunt spectanda: I. Historicorum numerus: vera enim est historia, quæ res ita gestas enarrat, uti in multis libris coætaneis, vel ætati, qua res gestæ sunt, proximis enarrantur. II. spectanda est scientia: non enim dubitari potest de historiæ veritate, dum constat Historicos fuisse coævos, & rebus quas narrant, præsentes; ac præterea non omnino stupidos, rerumque de quibus agitur, haudquaquam ignaros. III. consideranda est probitas; an nimirum Historici affectu aliquo adulationis, ambitionis, amoris, timoris, spei, odii, aut alio animi motu abrepti conscripserint. Si enim horum nihil in Historicis suspicari possimus, eos integræ probitatis, & fidei esse minime ambigemus. His autem positis en demonstratio:



Historiæ novi Testamenti referuntur a plurimis, & coævis, & magna ex parte oculatis viris, nec barbaris, nec omnino idiotis, ac saltem rerum, de quibus agitur, intelligentibus; in quibus insuper probitatis characteres inveniuntur; quique ut eam doctrinam propagarent, gravissima pericula, dolores, ipsamque mortem subire non dubitarunt; qui præterea nullum humanum commodum spectabant, aut sperabant; qui postremo Magistri sui, suorumque soda-

quadrent? Consule P. Calmet *Prolegom. in lib. Josue*. Huc etiam nonnulli trahunt quod habetur Ecclesiastici 46. v. 1. *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis*, sive, *in prophetiis*, ut est in Græco; *in prophetiis* (ajunt illi) idest in Scripturis concinnandis, & non ore tantum, sed & calamo exprimendis. Fatemur autem alienam manum huic libro aliquid adjunxisse, ut patet ex cap. ult. v. 29. ubi Josue mors narratur.

Sequitur liber Judicum, Hebraice dictus *Sophetim*, qui historiam continet annorum 315. a Josue nimirum morte ad mortem usque Samsonis. Hujus libri divinitatem nemo unquam in dubium revocavit, quem ipsi quoque Hebræi in Canonem retulerunt. De ejusdem vero Auctore discors circumfertur opinio; alii enim Judices ipsos suæ singulos historiæ scriptores assignant; alii Phineem, vel Samuelem (idque communius), vel Ezechiam, aut Esdram. Nonnulli denique eum esse putant *librum bellorum Domini* laudatum Num. c. 21. v. 14.

Liber Ruth historiam describit honestæ cujusdam feminæ Moabitidis, quæ nupta Boozo genuit Obed, ex quo natus est Isai pater David. Hic liber appendicis loco libro Judicum accedit, simulque uti præfatio quædam habenda est præposita libris Regum. De ejus Scriptore eadem dubitatio est, ac de libro Judicum; etsi plures Samueli illum attribuant, quod vellet, Davidis a se in Regem uncti, simulque & Christi ex Davide orituri progeniem posteris enarrare. Ambigendum tamen de divina ejus genuinitate nullatenus est, cum semper in (a-
n)-

none Synagogæ, Ecclesiæque sit habitus.

Succedunt quatuor libri Regum, quorum tamen duos priores Hebræi *Samuelis* appellant, posteriores duos *Regum*, patrioque vocabulo *Melachim*: a Græcis tandem omnes quatuor dicuntur libri *Regnorum*. De eorundem genuinitate divina nemo unquam dubitavit, infertique Hebræorum etiam Canoni ex antiquissima traditione leguntur. De humana vero genuinitate non constat, quamvis nonnulli non improbabiliter asserant libros istos ab aliquo Prophetarum excerptos esse ex publicis Hebræorum Annalibus, ad quos in iisdem libris lector non raro remittitur.

Duo deinde recensentur libri Paralipomenon a Græca voce sic dicti, quæ Latine redditur *Prætermissorum*. Apud Hebræos unus est liber, diciturque *Dibre hajamin*, idest, *Verba dierum*, alias Liber Chronicorum. Multa quæ in Pentateucho, vel in libris Josue, Judicum, & Regum, aut omissa, aut non satis explicata fuerant, summatim enumerant. Primus continet epitomen historiæ, & chronologiæ sacræ ab Orbe condito ad Davidem usque: alter reliquorum omnium Regum utriusque Regni Hebraici contexit historiam. Humana horum librorum genuinitas explorata non est, diversis diversa opinantibus; etsi quamplures Esdram censeant auctorem, post cujus tamen viri obitum quædam aliena manu accessisse non est dubitandum. Quidquid vero de humana genuinitate dicatur, ambigere de genuinitate divina non possumus, cum ista ex Hebræorum, & Christianorum Canone comprobetur.

Sequuntur duo libri, qui Esdræ dicuntur; li-

licet Hebræi, & Christiani magna consensione primum tantum Esdræ tribuant, alterum autem Nehemiæ; unde & Nehemiæ liber sæpenumero nuncupatur. Potuit vero etiam hic liber Esdræ a Latinis inscribi, quia olim unus idemque liber erat, qui in duos nunc dissectus habetur; id testante Hieronymo in epist. ad Paulinum. Humana itaque horum librorum genuinitas non mediocri probabilitate fulcitur. Cumque præterea in Hebræorum, ac Christianorum Canone semper extiterint, de divina eorundem genuinitate dubitare grande piaculum est. Postremo feruntur quidem duo alii Esdræ libri, tertius nimirum, & quartus; at neque veteres Hebræi, neque Catholica Ecclesia unquam illos pro divinis habuit: hinc in Bibliorum Editionibus ad calcem inter apocryphos apponuntur.

Succedit liber Tobiæ, sic dictus, quia utriusque Tobiæ, patris scilicet, filiique, gesta persequitur. Hujus libri incertus est auctor, etsi a nonnullis probabiliter affirmetur, ab utroque Tobia fuisse conscriptum, vel saltem eos monumenta reliquisse, quibus inspectis recentior quidam Auctor librum digesserit, servando omnes fere priorum Scriptorum phrases, & junioris Tobiæ obitum adjungendo. Divina vero genuinitas post Tridentinam Synodum certa prorsus evasit.

Sequitur liber Judith, ita vocatus ab Hebræa hujus nominis muliere, quæ, cæso Holoferne, populum Israeliticum Bethuliæ oppido inclusum ab Assyriis obsidentibus vindicavit. Certus libri hujus Auctor proferri non potest: nonnulli tamen opinantur, Summum Sacerdotem Joacim

acim sive Eliacim, cujus eodem in libro fit mentio, genuinum habendum esse illius Auctorem. Divinitas autem ejusdem libri ex antiquissima Catholicæ Ecclesiæ traditione colligitur. Plures præterea Hæretici censent in libro Judith non veram historiam contineri, sed fabulam, & sacram quandam exhiberi tragœdiam; at id sine sufficienti ratione, & contra SS. Patrum doctrinam affirmant.

Liber Esther enarrat depressionem Vasthi, & Aman; exaltationem Esther, & Mardochæi, mirabilemque Judæorum liberationem. Hujus quoque libri ignoratur Auctor, etiamsi suspicentur aliqui illum a Mardocheo fuisse compositum, eidemque ipsam Estherem inseruisse nonnulla, ac recentiorem postremo manum quædam alia adjunxisse. Totus & integer liber iste divina præditus est auctoritate, uti Synodus Tridentina declarat. Lutherani quidam & Anabaptistæ arbitrantur librum Esther esse veluti tragœdiam, confictamque fabellam: id autem Theologi, Interpretesque nostri falsum esse probarunt.

Liber Jobi nomine insignitus eximium pietatis, ac patientiæ exemplar in sanctissimo Viro illo demonstrat. Veram eodem in libro historiam, non parabolam recenseri, ut nonnulli putarunt, apparet ex Tobiæ c. 2. Ezechielis c. 14. & ex Jacobi epist. c. 5. ubi de Jobo ejusque gestis habetur mentio, tanquam de vera persona, verisque factis historicis. Ita quoque SS. Patres de Jobo loquuntur; quibus Ecclesiæ consensus accessit, quæ Jobum veneratur ut sanctum, ejusque festum diem Romanum Martyrologium sexto idus Maji constituit. Auctor li-

libri hujus incertus est. Sunt enim plures qui Jobum ipsum de se scripsisse credunt; sunt qui Eliu librum concinnasse malunt, vel saltem Jobum cum amicis; sunt etiam, qui Mosen, vel Salomonem, vel Isaiam, recentioremve alium adornasse historiam arbitrantur. Sed bene S. Gregorius M. præfat. Mor. in Job c. 1. ait: *Quis hæc scripserit valde supervacue quæritur; cum auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur.* Divinam enim hujus libri genuinitatem Hebraicus & Christianus Canon certo commonstrat.

Liber Psalmorum centum quinquaginta dicitur ab Hebræis *Sepher tehillim*, idest, *Liber hymnorum, vel laudum*; a Græcis autem Latinisque *Psalterium* appellatur. Versibus constant Psalmi, breviterque recensent omnia gesta veteris Testamenti, & præcipua in novo gerenda. De Psalmorum Auctore duplex est Patrum Interpretumque sententia: quidam cum Augustino soli Davidi illos attribuunt; alii vero cum Hieronymo præter Davidem pro auctoribus agnoscunt Asaph, aliosque nonnullos, quorum nomina Psalmorum titulis præfiguntur; etsi horum plerosque Davidi adscribant, quos simul omnes in unum volumen Esdras deinde compegerit. At incertus sit licet Psalmorum omnium Auctor, explorata tamen eorum divinitas est, quos Hebræi Christianique uti Canonicos venerantur.

Proverbiorum liber Hebraice *Misle* dicitur a *mascbal*, idest, *dominari*; denotatque quamlibet illustrem sententiam, quasi prædominantem ceteris, ac præcellentem. Hujus libri Auctor manifeste se prodit cap. 1. v. 1. inquiens: *Pa-*

ra-

rabolæ Salomonis, *filii David*, *regis Israel*. Salomon autem, uti Patres advertunt, in tribus qui ex ipso supersunt, libris, apta singulis hominum statibus instituta præscribit. In hisce Proverbiis fere parvulos, & incipientes docet, eos clare monens vitia relinquere, virtutesque sectari. In libro vero Ecclesiastæ, virum maturæ ætatis, ac proficientem instruit omnia caduca despicere, & in virtute procedere. Demum in Cantico Canticorum, jam consummatum perfectumque virum ac seculo superiorem, in persona Sponsæ, Sponsi jungit amplexibus. Cum præterea Hebræi & Christiani hunc librum in Canone semper habuerint, de divina ejusdem genuinitate non est ambigendum.

Liber, qui Græce Ecclesiastes inscribitur, Hebraice *Coheleth* appellatur, scilicet *Convocator*, vel *Concionator*. Salomonem hujus libri auctorem esse non obscure ea verba demonstrant, c. 1. v. 1. *Verba Ecclesiastæ*, *filii David*, *regis Jerusalem*. Lege etiam c. 2. & c. 12. Ex utroque pariter Canone libri hujus divina constat auctoritas.

Liber inscriptus Canticum Canticorum ab Hebræis dicitur *Sir Hasirim*; eximium nempe, perfectissimumque Canticum, quod a Salomone fuisse conscriptum communis sententia tradit; ac liquet ex Operis titulo, *Canticum Canticorum Salomonis*: liquet etiam ex contextu. Lege præsertim cap. 3. v. 7. & sequen. Divinam vero libri auctoritatem Canon uterque declarat.

Sapientiæ liber a Græcis *Sophia* dicitur, & *Panaretos* cognominatur, quasi continens præstantium documentorum collectionem, virtutumque thesaurum. Libri auctor a quibusdam

censetur Jesus filius Sirach, ab aliis Philo Judæus, ab aliis Salomon, idque communius; ita tamen, ut hujus libri sententiæ, quamvis revera Salomonis fuerint, ab alio tamen collectæ, Græcisque verbis expressæ dicantur. At incertus sit licet auctor, non incerta tamen est divina genuinitas, quam inspecta traditione Tridentina Synodus definivit; etiamsi liber iste in Hebræorum Canone non legatur.

Liber Ecclesiastici ita a Latinis inscribitur, ad imitationem simul & distinctionem libri Salomonis, qui dicitur Ecclesiastes: utriusque enim Operis idem est scopus, ut scilicet traditis ad officia vitæ institutionibus regulisque, viam ad sapientiam virtutemque præmuniat. Recepta magis certiorque sententia, Operis auctorem agnoscit Jesum filium Sirach: unde a Græcis Patribus liber iste passim inscribitur, *Sapientia Jesu filii Sirach*, vel *Panaretos Jesu filii Sirach*. Interpretem vero fuisse alterum Jesum auctoris nepotem, non obscure inferri videtur ex Prologo. Divina tandem genuinitas ejus apparet ex Tridentino Canone; licet Hebræi, Novatoresque dissentiant.

Succedunt quatuor Prophetæ Majores, qui sola librorum mole a duodecim Minoribus distinguuntur. Primus occurrit Isaias, qui vaticinatus est sub Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia, Regibus Juda. Secundus est Jeremias, qui in matris sanctificatus est utero, prophetavitque sub quinque Regibus Juda, a 13. anno Josiæ usque ad annum 5. excisæ Jerosolymæ & Templi, per annos 45. Cum Jeremia conjungitur Prophetia Baruch, qui Jeremiæ fuit amanuensis, & assecla, sociusque in laboribus, & ærumnis.


nis. Tertius est Ezechiel ex nobili Sacerdotum stirpe progenitus, qui vaticinari in Chaldæa cœpit tempore Babylonicæ captivitatis, quum Jeremias Hierosolymis prophetabat. Quartus est Daniel ex regio semine natus, qui adhuc puer in Babyloniam captivus ductus est, ubi ad Cyrum usque vixit, suamque edidit prophetiam. Sequuntur deinde duodecim Prophetæ Minores, quorum nomina in cap. præced. retulimus. Horum librorum omnium humana divinaque genuinitas ex unanimi Synagogæ Ecclesiæque consensu colligitur; etsi prophetiam Baruch, & nonnulla apud Danielem ab Hebræis minime recipiantur.

Restant ex V. T. duo Machabæorum libri, qui varios Synagogæ casus partim prosperos, partim adversos, sub Græcorum Monarchia describunt. Duos fuisse horum librorum auctores communis sententia tradit, etsi quinam illi fuerint, ignoretur; idque dumtaxat constet, auctorem posterioris libri (qui fuisse censetur Judas Essenus de quo 2. Machab. c. 1. v. 10.) ibidem asserere (c. 2. v. 24.) se quæ isto volumine refert, ex Jasonis cujusdam Cyrenæi quinque libris, quasi in historiæ epitomen redegisse. Divinam eorumdem librorum auctoritatem agnoscit Ecclesia, quamvis Hebræi & Hæretici refragentur. Postremo duo alii Machabæorum libri, tertius nimirum & quartus, pro apocryphis & incertis habentur.

Quod vero ad N. T. libros attinet, brevissime affirmamus, quatuor Evangeliorum libros, singulasque Apostolorum Epistolas, genuina eorum auctorum opera esse quibus tribuuntur; uti ex pervetusta Catholicæ Ecclesiæ traditione ma-

continet Testamentum.

Ad hoc autem demonstrandum, uti certum ratumque præmittimus, in quolibet libro duas veluti partes posse distingui, Historicam scilicet, & Dogmaticam; & illa quidem narrat, hæc autem docet. Est itaque liber ille verax, qui nihil refert aut incorruptæ aliorum fidei, aut claris argumentis adversum; & nihil tradit aut rationi, aut experimentis oppositum. In omni insuper historia tria sunt spectanda: I. Historicorum numerus: vera enim est historia, quæ res ita gestas enarrat, uti in multis libris coætaneis, vel ætati, qua res gestæ sunt, proximis enarrantur. II. spectanda est scientia: non enim dubitari potest de historiæ veritate, dum constat Historicos fuisse coævos, & rebus quas narrant, præsentes; ac præterea non omnino stupidos, rerumque de quibus agitur, haudquaquam ignaros. III. consideranda est probitas; an nimirum Historici affectu aliquo adulationis, ambitionis, amoris, timoris, spei, odii, aut alio animi motu abrepti conscripserint. Si enim horum nihil in Historicis suspicari possimus, eos integræ probitatis, & fidei esse minime ambigemus. His autem positis en demonstratio:



Historiæ novi Testamenti referuntur a plurimis, & coævis, & magna ex parte oculatis viris, nec barbaris, nec omnino idiotis, ac saltem rerum, de quibus agitur, intelligentibus; in quibus insuper probitatis characteres inveniuntur; quique ut eam doctrinam propagarent, gravissima pericula, dolores, ipsamque mortem subire non dubitarunt; qui præterea nullum humanum commodum spectabant, aut sperabant; qui postremo Magistri sui, suorumque soda-

lium probra non tacent.

Ad hæc, historiæ istæ eodem modo narrantur ab iis Christianis, qui ætati illi proximi fuerunt, & quorum plurimi erant Philosophi doctissimi ad Christianismum e Gentilismo conversi; ut Clemens Romanus, Ignatius Martyr, Justinus Martyr, Polycarpus, Theophilus Antiochenus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, aliique: ergo historiæ istæ sunt veræ.

Idipsum pariter Gentilium, Judæorumque Historicorum auctoritate firmatur. Illorum enim plures de Christo, ejusque gestis, miraculis, Discipulis ac horum moribus eadem fere recensent, quæ in novi Testamenti leguntur historiis. Vide quæ in Instit. nostris lib. 18. cc.4. & 5. retulimus de Celso Epicureo, de Juliano Apostata, de Flavio Josepho, & de Thalmudistis; quibus adjunge Suetonium in Claudio c. 25. Tacitum in Annalibus lib. 15. c. 44. Plinium juniorem in epist. 97. libri 10., Lucianum, Phlegonem, &c.

Quod si vero Dogmaticam eorundem librorum partem considerare volueris, profecto in ea nihil invenies, quod ullatenus rectæ incorruptæque rationi repugnet. Nam quod ad theoreticen pertinet, libri isti docent Deum existere, & esse purum spiritum, unicum, æternum, immensum, omni denique perfectionum genere exornatum. Tradunt insuper immortales esse hominum animas, quibus pro diversitate factorem Deus justus Judex aut præmia, aut supplicia æterna retribuet. Nullum tandem theoricum dogma proferunt, quod ratio naturæ

non

non comprobet, communisque hominum sensus certissime non confirmet.

Quod item pertinet ad moralem, sive practicam partem, in libris hisce præscribitur, Deum super omnia esse amandum, cujus amoris signum sit, si salutaria ejus præcepta servemus. Præcipitur quoque non fluxis studere bonis præsentis vitæ quæ præterit, sed bonis æternis, quæ sola nos vere perpetuumque beatos efficiunt. Jubetur præterea amor erga proximum, licet inimicum; ac imperatur obsequium erga majores, reverentia erga magistratus, observantia legum; ac cetera tandem officia erga alios homines plenius clarius meliusque in novi Testamenti libris, quam in ullis Philosophorum scriptis, enucleata leguntur. Vera igitur est tota novi Testamenti doctrina; cumque sint etiam veræ ejus historiæ, profecto consequitur, novi Testamenti libros omnino esse veraces.

Propositio 2. Libri in novo Testamento contenti sunt divini.

Probatur. Libri novi Testamenti, ut supra ostendimus, sunt veraces: ergo commenta non afferunt; id enim eorum veracitati repugnat: afferunt autem doctrinam quam promovent, esse divinam, idest divino Spiritu afflante conscriptam: Divini ergo sunt libri, quos novum continet Testamentum. Unde Paulus in 1. ad Cor. c. 2. v. 12. Apostolorum nomine ita loquitur: *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes . . . . Nos autem sensum Christi habe-*

 mus.

mus. Lege & 2. ad Cor. 13. v. 3., 2. Petri 1. v. 16., Apocalypseos c. 1. v. 10. &c.

Præterea librorum novi Testamenti divinitas demonstratur ex singulari sanctitate doctrinæ, ex miraculis a Deo editis in confirmationem eorum quæ in eodem novo Testamento traduntur, ex prophetico Spiritu qui in iisdem libris aperte se prodit, ex innumeris denique argumentis, quorum nonnulla citavimus in Institutis nostris super 4. sententiarum libros, lib. 14. c. 4. reliqua vero tum apud alios leges, tum præsertim apud Ven. Scotum in Prologo sententiarum q. 2.

Propositio 3. Libri veteris Testamenti veraces sunt, & divini.

Probatur. Ex dictis apparet, novi Testamenti libros esse veraces, & divinos: atqui libri veteris Testamenti pro veracibus ac divinis in novi Testamenti libris habentur: ergo consequitur & libros veteris Testamenti veraces esse atque divinos. Passim namque libri isti in novo Testamento afferuntur, & commendantur in confirmationem eorum, quæ Christus, & Apostoli docuerunt. Ita laudatur Genesis apud Matth. c. 19. v. 4. & 5. Exodus apud Joannem c. 5. v. 31. Numeri in 1. ad Cor. c. 10. Leviticus Matth. 8. v. 4. Deuteronomium ad Rom. 11. v. 13. Liber Psalmorum Matth. 4. v. 6. Ita postremo sæpissime veteris Testamenti libri a novi Testamenti auctoribus ut veraces divinique citantur: sunt itaque revera divini.

Hoc idem insuper ex prophetiis evincitur. In veteris quippe Testamenti libris infinitæ sunt prophetiæ de Christo, de Ecclesia, & de ple-

plerisque aliis; quæ prophetiæ opere sunt completæ: atqui prophetica vis nisi a Deo esse non potest: divini ergo sunt libri veteris Testamenti, cum sint prophetici. Minor propositio ex sese satis est evidens, ac demonstrata manet etiam ex iis quæ ad probandam Dei præscientiam in Institutis nostris adduximus. Major quoque non solum ostenditur ex veterum recentiorumque Theologorum sententia veritatem hanc apodictice confirmantium, verum & ex ipsius Christi testimonio, qui tum alibi sæpe, tum præsertim Lucæ c. 24. v. 25. veteres prophetias discipulis inculcavit, inquiens: *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! . . . Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Tandem veracitas ac divinitas veteris Testamenti librorum iisdem fere rationibus demonstratur, quibus in 1. ac 2. propositione paulo superius demonstratum est veraces divinosque esse libros quos novum continet Testamentum.

Objicies 1. contra 1. & 2. propos. Novi Testamenti Scriptores inter sese neque in historia, neque in doctrina consentiunt. Joannes enim nonnulla refert, quæ reliqui tres Evangelistæ prætereunt: ita Matthæus, Marcus, Lucas de Lazari resurrectione silent, quam tantopere Joannes exornat. Peccat præterea Matthæus in veteri Hebræorum Chronologia; peccat & Lucas in Actis. Dissentiunt a se mutuo, tum in aliis multis, tum in cœna enarranda. Non eodem modo de fide in Christum opinantur, cum ei Paulus omnia tribuat, Jacobus vero operibus potius totum tribuendum esse contendat. Hæc au-

autem quæ nobis attigisse sat est, non obscure demonstrant Evangelicos Scriptores probitate ac sinceritate, aut saltem Spiritus Sancti afflatu & assistentia caruisse.

Resp. veteres, ac imprimis Augustinum in libris de Consensu Evangelistarum, omnesque recentes Scripturarum Interpretes solide perspicueque monstrasse, quod nec in factis, nec in doctrinis sibi Evangelistæ diffideant; quare nobis necesse non est hac in re conficienda quidquam aliud operæ collocare. Illud dumtaxat advertimus, quod sæpe alter Evangelicus Scriptor enarret alias circumstantias, alia facta, alia dicta, quæ silet alter: hoc autem tantum abest ut fidei suspicionem nobis inferre debeat, quin potius evidens argumentum præbet, non illos inter sese collusisse, sed ea sincere narrasse, quæ viderant, quæ audiverant, quæ suis ipsi manibus contrectaverant.

Notamus insuper argumentum istud ex Manichæorum officina desumptum ita proposuisse, ac diluisse S. Augustinum in lib. 33. contra Faustum Manichæum c. 7. „ Sed contraria, „ inquit, inter se scripta eorum reperiuntur. „ Maligni malo studio legitis, stulti non in„ telligitis, cæci non videtis. Quid enim ma„ gnum erat ista diligenter inspicere, & eo„ rumdem scriptorum magnam & salubrem in„ venire congruentiam, si vos contentio non „ perverteret, & si pietas adjuvaret? Quis e„ nim unquam duos Historicos legens de una „ re scribentes, utrumque vel utrumlibet eorum „ aut fallere aut falli arbitratus est, si unus eo„ rum dixit quod alius prætermisit; aut si al„ ter aliquid brevius complexus est, eandem

„ ta-

„ tamen sententiam salvam integramque custo-
„ diens, alter autem tanquam membratim cun-
„ cta digessit, ut non solum quid factum sit,
„ verum etiam quemadmodum factum sit inti-
„ maret? Sicut Faustus hinc Evangeliorum ve-
„ ritati voluit calumniari, quia Matthæus ali-
„ quid dixit, quod Lucas cum idem narraret
„ dicere prætermisit: quasi negaverit Lucas di-
„ xisse Christum, quod eum scripsit dixisse
„ Matthæus.

Ex his itaque patet, nullum Historicum malæ fidei posse damnari, quod non omnia minutatim enarret; modo & ea recenseat, quæ instituto suo sufficiunt, nihilque deficiat, quod retulisse factorum veritatis intererat: alioquin nullus bonæ fidei habendus esset Historicus.

Atque ut speciatim de Lazari resurrectione loquamur, Matthæum, Marcum, Lucam, non hoc tantum Lazari factum prætermisisse, sed infinita alia, id demonstrat, quod sæpe testantur, Christum alia fecisse, & dixisse, quæ ipsi sigillatim perscribere necessarium non duxerunt. Videsis Matth. c. 8. v. 16. Marci c. 1. v. 32. Lucæ c. 4. v. 40. Quin Matthæus aperte significat, plures a Christo fuisse resuscitatos, quam quos diserte commemorat: capite enim 11. v. 5. refert discipulis Joannis dixisse Christum: *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*. Quid istud plurali numero *mortui*, cum unius tantum eo usque mentionem Evangelista fecisset, cap. nempe nono? Fuerant igitur alii, quos Matthæus omiserat. Ipse quoque Joannes, qui valde senex Evangelium scripsisse videtur ut ab aliis omissa suppleret, in Operis sui calce fa-

tetur, se vix unam rerum enarrasse particulam: inquit enim c. 21. v. 25. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Ait præterea in ejusdem Evangelii c. 20. v. 30. *Multa quidem, & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus*. Cum itaque Evangelistarum scopus esset, ut Jesu Christi divinitatem crederemus, non ut omnia signa describerent, profecto nil mirum, Lazari resurrectionem a tribus aliis Evangelistis omitti, quam Joannes exornat.

Quod postremo Deistæ subjungunt de fide in Christum tam est puerile, ut pudeat serio confutare. Nam Paulus cum fidei omnia tribuit, fidem intelligit quæ per charitatem operatur; & Jacobus non alia intelligit opera, nisi quæ a fide viva ac per charitatem operante, velut a radice procedunt. Vide quæ hac de re scripsimus in Institutis nostris lib. 23. c. 4.

Objicies 2. contra 3. prop. Sententiæ, & cogitata, quæ in V. T., & in Pentateucho præsertim, leguntur, non tantum nihil divinæ mentis sapiunt, verum humiles sunt, & vulgares, nec supra Orientalium ejus ætatis nationum genium se extollunt; quæ idcirco humanum auctoris spiritum manifestant.

Præterea, Deus quem Pentateuchus, aliique veteris Testamenti libri verbis exprimunt, non est mens suprema, sed unus ex minoribus Diis, quorum se caput esse demonstrat: nam & *Deus Deo-*

Deorum dicitur, ac eos alloquitur, cum iisdemque de rebus agendis non raro deliberat, prorsus ut videatur ejusmodi esse quem plures effinxere Gentiles.

Resp. divinæ Scripturæ finem esse, ut hominem ad vitam æternam instituat: instituere autem aliquem est taliter ei talemque doctrinam ac sapientiam communicare, cujus est ille capax. Hinc recte Magistri agunt, dum sese ætati, indoli, & captui discipulorum accommodant; dum ea quæ isti ignorant, eorum quæ sciunt notionibus explicant; dum similitudinibus iis utuntur, quæ magis sunt auditoribus familiares, veluti e mari desumptis cum nautis, ex agris cum paganis hominibus. Quoniam ergo Deus ab iis, quos alloquebatur, volebat intelligi, alioquin nulla fuisset causa, quamobrem loqueretur; providentissime se hominum capacitati, indoli, moribus, notionibus adaptavit. Quinimo cum agrestes Judæi essent, & rudes, tanto se magis ille dimisit, & ad humanum sensum benigne descendit.

Ad alterum. Deum in V. T. descriptum esse unicum, mentemque supremam, ignorare illi dumtaxat possunt, qui ejusdem Testamenti libros nec a limine salutarunt. Lege quæ diximus in Institutis nostris lib. 1. c. 6. Et idcirco etiam *Deus deorum* dicitur, ut unus optimus maximus esse monstretur. Hinc Deuter. c. 10. v. 17. Moses ait: *Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, potens, & terribilis . . . . Dominum Deum tuum timebis, & ei soli servies.* Dii autem Angeli hominesque vocantur, tantum officio, non natura; quia nimirum Angeli in

cor.

corporibus assumptis personam Dei gerebant, & homines dum judicant, ejusdem Dei vice funguntur. Hos ille allocutione sua quandoque dignatur, non ut petat, sed ut det consilium, & quæ ab eis agenda sunt jubeat, eosdemque beatos efficiat. Huc referenda sunt quæ in hujus libri calce de sacræ Scripturæ inspiratione dicemus. Legenda insuper admonemus, quæ ad præsens caput spectantia tradit Seraphicus Doctor in libro cui titulus, *Principium sacræ Scripturæ*. Inter recentiores autem consule Hyacinthum Serry in suis Prælectionibus, *de sacra Scriptura*. In nostris etiam Theologicis Institutis plurima huc referenda argumenta diluimus.

CAPUT IV.

Ubi speciatim agitur de iis Scripturæ libris, præcipuisque ipsorum partibus, quos nonnulli vel canonicos esse dubitarunt, vel etiam e canone rejecerunt.

CAtholica jam nunc Ecclesia eos veteris novique Testamenti libros & partes pro canonicis ac divinis amplectitur, quos in primo capite ex Synodo Tridentina retulimus: post enim recensitos libros illos ita S. Synodus addit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica*

lica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, ... anathema sit.

Lutherani vero, & Calvinistæ e Scripturarum Canone deleverunt omnes V. T. libros, qui in antiquo Judæorum canone non leguntur, quique a nonnullis Catholicis olim in dubium sunt vocati; nempe Baruch, posteriorem partem Estheræ & Danielis, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, & primum ac secundum Machabæorum. Lutherani præterea ex suo N. T. canone expunxerunt S. Marci caput ultimum, S. Joannis initium c. 8. de adultera, particulam cap. 22. S. Lucæ v. 44. de sudore Christi sanguineo, epistolam ad Hebræos, epistolam Jacobi, secundam Petri, secundam & tertiam Joannis ejusdemque Apostoli versum 7. c. 5. epistolæ 1. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, &c.* Epistolam quoque Judæ, & Apocalypsin Joannis. At contra sit

Propositio. Divini sunt Scripturæ libri ac partes omnes, quos in Canone suo Synodus Tridentina recensuit.

Probatur. Ad solam spectat Ecclesiam determinare, quinam liber, ac quænam ejus pars, in divinarum Scripturarum catalogum recipiendus sit, vel ab eo etiam repellendus: Divini ergo sunt libri, partesque omnes, quos Ecclesia in Œcumenico Tridentino Concilio congregata, sacrarum Scripturarum Canonem condens, pro sacris divinisque proposuit. Probatur antecedens. Illud namque judicium ad ipsam Scripturam pertinere non potest: si enim de autographia unius libri, aut textus oriatur contentio, neque alio in loco mentio ejus occurrat, puta

puta de Historia Susannæ, aut Adulteræ; hæc profecto disceptatio non poterit ex ipsa Scriptura componi. Si præterea quis impius utrumque Testamentum repellat, per nullam alterutrius Testamenti auctoritatem hujusmodi quæstio finietur. Oportet itaque alium præter Scripturas judicem hac in concertatione statuere. Lege S. Augustinum in lib. 11. contra Faustum c. 2.

Neque ad privatos Reip. Christianæ cives pertinet de canonicis Scripturis proferre judicium: quia neque in humana repub. ejusmodi judicia privatis permittuntur hominibus, ac si permitterentur, uterque diffidentium, hanc sibi judicandi pari ratione vindicaret auctoritatem; sicque nunquam diffidia finem haberent. Et sane nullus homo privatus certam in Ecclesia auctoritatem habet, nullus apud reliquos Fideles exploratam & solidam veritatem: ergo & judicium quodcumque ab ejusdem privato cive profectum infirmum est; ac proinde sacrarum Scripturarum fides incerto imbecilloque fundamento hac in hypothesi niteretur.

Determinandum itaque ab Ecclesia est, quinam liber sit divinus: ejusque auctoritas certam figit regulam ad libros vel in sacrorum Canonem recipiendos, vel etiam ex eo Canone removendos. Illa enim, uti scribit Apostolus in 1. ad Tim. 3. v. 15. est *columna & firmamentum veritatis*; regiturque a Spiritu Sancto, qui cum sit Spiritus veritatis (Joan. 16. v. 13.) eam docet omnem veritatem. Hinc celebris illa S. Augustini sententia in lib. contra Epistolam fundamenti c. 5. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commo-*

moveret auctoritas. Hinc etiam S. Cyrillus in Catechesi 4. ait: *Disce studiose ab Ecclesia, quinam sint veteris testamenti libri, qui vero novi*. Et post nonnulla: *Multo prudentiores te erant Apostoli, veteresque illi Episcopi, Ecclesiæ Antistites qui hos tradiderunt. Tu ergo filius Ecclesiæ cum sis, ne leges institutaque Patrum evertas corrumpasve*. Lege etiam Irenæum lib. 3. c. 1. & Origenem apud Eusebium E. H. lib. 6. c. 25. &c. At hac de re infra prolixius, clariusque, ubi de Ecclesiæ, Conciliorum, Romanique Pontificis infallibilitate tractabimus. Vide etiam sequens hujus libri c. 8.

Quod si quæsieris, quonam ex fonte Synodus Tridentina doctrinam hausit, ut Canonem divinarum Scripturarum intexeret; breviter reponemus, ex divina Traditione, quam diligenter expendit; ad ejusque normam, collatis SS. Patrum, summorum Pontificum, priorumque Conciliorum sententiis, prædictum Canonem exaravit. Ita 1. divinæ auctoritatis esse decrevit librum Baruch, cum eum uti canonicum citent Eugenius IV. in Decreto Unionis, & Irenæus in lib. 5. c. 35. Clemens Alexandrinus in lib. 2. Pædagogi c. 3. Eusebius de Demonst. Evang. lib. 6. c. 19. aliique Veteres innumeri, quos laudant Bellarminus, Tirinus, Calmet, &c.

II. Quæ in lib. Esther a cap. 10. ac deinceps habentur, canonica esse constat ex Basilio contra Eunomium, ex Chrysostomo hom. 3. ad Antiochenos, ex Hieronymo Præfat. in Esther, ex Cyrillo Hierosol. Catechesi 4. &c. Extant etiam in Editione Lxx. Interpretum, extabantque olim etiam in veteri Editione vulgata.

III. Item divina auctoritate fruuntur Oratio Azariæ, atque Hymnus trium puerorum qui refertur Danielis c. 3. necnon Susannæ historia quæ apud eundem Prophetam legitur c. 13. pariterque Belis idoli eversi, ac draconis a Daniele interfecti, de quibus agitur c. 14. Hæc enim omnia in Lxx. Interpretum Editione leguntur, ac uti canonica proferuntur ab Ignatio in epist. ad Magnesianos, a Tertulliano in lib. de corona militis, a Cypriano tum alibi, tum in lib. de lapsis; tandem ab Athanasio, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, & passim ab aliis.

IV. Tobias etiam, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duoque Machabæorum libri uti divini sunt recipiendi; cum inter alios canonicos numerentur ab Augustino in lib. 2. de Doct. Christ. c. 8. ab Isidoro in lib. 6. Etymolog. c. 1. &c. Speciatim vero Tobiæ liber laudatur a Cypriano in lib. de eleem. & a Basilio hom. de avaritia, & ab Ambrosio in lib. de Tobia. Præterea librum Judith, teste Hieronymo Præfat. in Judith, *Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse*. Liber quoque Sapientiæ uti divinus agnoscitur a Clemente Alex. in lib. 1. Pædag. c. 3. ab Ambrosio in lib. de Paradiso c. 1. ab Augustino in lib. de Prædest. SS. c. 14. ac insuper a Sardicense Concilio in Epistola ad omnes Episcopos apud Theodoretum lib. 2. Hist. c. 3. Item Ecclesiasticus commendatur ab Optato Milev. in lib. 3. contra Parmenianum, a Basilio in c. 8. Isaiæ, a Cyrillo Alex. in homilia, quæ refertur Actione 6. Concilii Ephesini. Duo tandem Machabæorum libri laudantur a Cypriano de ex-

exhort. Martyr. ❡ 21. ab Hilario in Psal.134. ab Ambrosio lib. 1. de Officiis c. 40. ab Augustino lib. 18. de C. D. c. 36. a Leone in serm. de iisdem Machabæis, aliisque non paucis.

V. Ultimum Marci caput esse canonicum constat ex Tertulliano lib. de præscript. c. 13., ex Gregorio Nysseno Oratione 2. de resurrect. ex Augustino lib. 3. de consensu Evangelist. c. 24. aliisque permultis. Initium quoque capitis 8. apud Joannem in Evangelio laudant Chrysostomus hom. 60. in Joan. Hieronymus lib. 2. contra Pelag. c. 6. Augustinus tract. 33. in Joan. &c. Rursum quod de sanguineo Christi sudore Lucas enarrat, admittitur ut divinum ab Irenæo lib. 3. c. 32. ab Epiphanio in Ancorato c. 31. ab Augustino in lib. 3. de consensu Evangel. c. 4.

VI. Epistolam ad Hebræos canonicam esse liquet, cum in omnibus quotquot editi sunt, Canonibus referatur; eamque omnes Græci recipiant, teste Hieronymo in epist. 129. ad Dardanum; ac postremo Græcis assentiantur insigniores Latini Patres, quos laudant Calmet, Bellarminus, &c. Jacobi item epistolam uti canonicam venerantur Hieronymus in lib. de Viris illustribus, Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. c. 8. Cyrillus Hierosf. catech. 4. aliique communiter. De secunda Petri idem ferendum est judicium, cum passim quasi canonica proferatur a Justino Martyre, Athanasio, Nazianzeno, ceterisque Patribus apud Bellarminum, Calmet, & alios. Secunda etiam, & tertia Joannis veluti divinæ citantur ab Irenæo lib. 3. c. 13. ab Athanasio epist. 39. a Hieronymo, Au-

gustino, Damasceno &c. De versu 7. cap. 5. epistolæ 1. vide quæ diximus in Institutis lib. 7. c. 2. Judæ quoque epistolam pro canonica passim agnoscunt Patres, quos inter eminent Gregorius Nazianzenus carmine 34. Epiphanius hær. 26. ac Hieronymus in c. 1. ad Titum. Joannis denique Apocalypsim divina auctoritate potiri tradunt communiter Latini Græcique Patres, e quorum numero sunt Justinus in dial. cum Tryphone, Ambrosius in Symbolum c. 27. Hieronymus in lib. de Viris Illust. & Augustinus tract. 36. in Joannem.

His tandem accedit, quod Tridentinus Canon juxta Apostolicam Traditionem editus jam antea fuerat ab Innocentio I. in epist. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum c. 7. & a Concilio Carthaginensi III. cui Augustinus interfuit, & ab eodem Augustino in lib. 2. de Doct. Christ. c. 8. & a Gelasio in Romano Concilio septuaginta Episcoporum, ac postremo ab Eugenio IV. in Concilio Florentino.

Objicies 1. Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, ac duo Machabæorum libri in Judæorum canone non fuerunt: ergo neque in Ecclesiæ canonem sunt recipiendi. Probatur consequentia: Synagoga in fide errare non poterat: erat siquidem eadem tunc Ecclesia, quæ in gentes deinceps propagata est; proindeque eodem Divino Spiritu regebatur. Atqui Hebræi omnes sex illos libros a canone rejecerunt, ut perhibent Josephus in lib. 1. adversus Apionem, Origenes in Psal. 1. Hieronymus in Prologo Galeato, aliique auctores. Non igitur illi sex libri pro canonicis ab Ecclesia sunt recipiendi. Quæ etiam ratio probat, neque canonicum esse

se librum Baruch, cum in Hebræorum canone non legatur.

Resp. negando consequentiam. Nam etsi concedatur, Synagogam in fide errare minime potuisse (quod non perinde ut de Catholica Ecclesia certum est) negandum est tamen, præfatos libros a Synagoga fuisse rejectos. Aliud enim est non recipere, aliud vero rejicere. Licet insuper Judæi intra suum canonem libros illos publica auctoritate minime receperint; recepit tamen Ecclesia ab Apostolis, eorumque successoribus erudita, non absque speciali Spiritus Sancti revelatione. Unde Augustinus in lib.18. de C. D. c. 36. ait: *Libros Machabæorum non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.*

At dices. Nonnulli antiqui Patres non solum præfatos libros a Canone excluserunt, verum & epistolam ad Hebræos, aliosque N. T. libros ac loca quæ supra citavimus. Id autem minime contigisset, si de illorum divinitate Traditio ab Apostolis ad Ecclesiam dimanasset.

Resp. nunquam totam Ecclesiam libros illos aut a canone explosisse, aut in dubium revocasse, sed aut privatos Doctores, aut privatas quasdam minorisque auctoritatis Ecclesias; idque tunc fecisse, quum nondum ab omnibus erat explorata Traditio, neque adhuc sacrorum librorum Canon determinate per Ecclesiam fuerat definitus. At nunc facta, & approbata legitima ejusmodi definitione, in Œcumenico præsertim Tridentino Concilio, contrariæ opinioni, vel dubitationi locus esse non potest; cum nonnisi Hæreticorum sit, Ecclesiæ traditam a Christo hac in re potestatem per irrationabilem contumaciam denegare.

 Ob-

Objicies 2. in Deuterocanonicis libris, de quorum divinitate tractatur, plures inveniri contradictiones, pluresque errores, tum contra historiæ veritatem, tum etiam contra fidem. At perperam id opponi, edita a Catholicis innumera in eosdem libros commentaria evidenter ostendunt.

Ex iis autem quæ in hoc & in priori capite dicta sunt, non obscure colligitur, integros quoad substantiam utriusque Testamenti libros in Christi Ecclesia reperiri; ita nimirum, ut illi quoad substantiam iidem ipsi sint, quos Moses, & Prophetæ, & Apostoli, & Evangelistæ scripserunt: proindeque cum editi a sanctis istis hominibus libri, sint fidei morumque norma; ad eosdem quoque sacros libros quos Deo providente servavit diligentissime, semperque servabit Ecclesia, fidem moresque nostros exigere debeamus. De levioribus vero mendis quæ in vulgata nostra Scripturæ Editione interdum occurrunt, proximo statim capite differemus.

CAPUT V.

De originali Scripturæ Textu, ejusque præcipuis Versionibus.

SUmmatim hic plura complectimur, quæ apud plerosque Theologos, & Scripturarum Interpretes prolixius disputata Tyrones invenient. Primum itaque dicimus, omnes V. T. li-

libros ab eorum Auctoribus Hebraico idiomate, sive lingua fuisse conscriptos, si sequentes excipias; Tobiam scilicet, & Judith, qui Chaldaice primitus sunt exarati; & secundum Machabæorum qui Græce est editus. Danielis vero liber partim Hebraice, partim Chaldaice scriptus est: ac tandem in primo Esdræ nonnulla Chaldaico sermone etiam constant, uti fert communis opinio. Et hæc de originali V. T. textu.

Originalis autem textus librorum N. T. est Græcus, excepto S. Matthæi Evangelio, quod Hebraice primum, sive potius, vernaculo tunc temporis apud Hebræos sermone, Syriace conscriptum est: constat tamen in Græcum idioma citissime fuisse translatum. Putarunt nonnulli, S. Marcum Opus suum Latinis literis exarasse; at illorum opinio valido fundamento non nititur. Neque certa eorum sententia est, qui Epistolam ad Hebræos Hebraice primum scriptam, & in Græcum deinde versam fuisse dixerunt: nemo enim Hebraicum hujus Epistolæ exemplar se vidisse testatur.

At modo quæritur, an Hebraicus veteris Testamenti textus, & Græcus novi ad nos usque integer, incorruptusque pervenerit. Et quod ad Hebraicum textum primo pertinet, inter discrepantes summorum Virorum opiniones, ea nobis magis arridet, quæ temporum injuria, & Rabbinorum atque Amanuensium imperitia vel oscitantia, illum vitii quid contraxisse concedit; maxime in apponendis punctis, quæ apud Hebræos vocalium locum tenent, & in iis literis exscribendis, quæ aliquam inter se figuræ similitudinem habent, aut etiam consimili sono

pronunciantur; unde consequitur, ut nullibi facilius quam in Hebraica lingua accidere possint errores. Eædem enim voces in diversissimos sensus, unius sive literæ, sive puncti mutatione, quantumvis levissima, detorquentur. Exemplo sit illud Psalmi 21. v. 17. Quod in vulgata Editione sic legitur: *Foderunt manus meas, & pedes meos*; cujus si primum vocabulum Hebraice, ut debuit, scribatur כרו *Caru*, efficit *foderunt*; si, ut est hodie in Hebræo, ita deformetur כארי *Ca-ari*, erit, *sicut leo*.

Hæc itaque sententia de Hebraico textu nonnullis in locis ex scribentium ignorantia corrupto, maxime recepta est. Quidam insuper arbitrantur, eundem textum a Judæis data opera alicubi esse depravatum, propter odium Christianæ Religionis; quo scilicet ejus mysteriis tenebras offunderent. Quidquid autem hac de re sentias, dicendum probabiliter opinamur, non tot talesque in Hebraicum textum irrepsisse errores, ut ei sua detrahenda sit auctoritas: quamvis eidem textui plus æquo tribuerint, qui omnia ad illius fidem examinanda putarunt.

Græcus quoque textus novi Testamenti non est omnino purus, cum hinc inde vel Amanuensium inscitia, vel Typographorum negligentia corruptus appareat. Ita ad Rom. 12. v. 11. pro κυρίῳ, ideſt *Domino*, legitur καιρῷ, ideſt *tempori*, *servientes*. Et in 1. ad Cor. c. 15. v. 47. ubi proculdubio legendum est, quemadmodum fert Latina editio, *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis*; Græci ta-

tamen constanter legunt, *Secundus homo, Dominus e cælo*: quam mutationem ex Marcionis corruptione remansisse indicat Tertullianus in lib. 5. contra Marcionem c. 10. Postremo, ut de aliis sileamus, plures Græci Codices omittunt c. ult. Marci, & Joan. 8. historiam adulteræ, & 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, &c.* De hujus itaque textus auctoritate idem ac de textus Hebraici auctoritate sentimus.

Inter plures autem Scripturæ sacræ Versiones duæ celebriores habentur; Græca videlicet 70. Interpretum, & Latina Vulgata. Priorem adornare fecit Ptolemæus Philadelphus, qui cum amplissimam Bibliothecam Alexandriæ instruxisset, eique Demetrium Phalereum præfecisset; ab hoc admonitus extare apud Judæos multa Hebraice scripta volumina, quibus illius populi leges atque instituta continerentur, quæ regia Bibliotheca, & cognitione digna essent; eorum desiderio accensus, Eleazarum Hebræorum Pontificem scriptis literis rogasse dicitur, ut ea monumenta ex Hebræo in Græcum sermonem transferri studeret. Hic autem senos per singulas Tribus Seniores delegit, tum in Scripturarum interpretatione apprime versatos, tum utriusque linguæ peritos, & probitate conspicuos; illosque ad Ptolemæum misit, ut optato operi apud eundem incumberent.

Hos duos & septuaginta legis peritos Ptolemæus benigne suscepit, utque eorum fidem exploraret, singulos singulis in cellulis apud insulam Pharon seorsim collocavit; Deo id suggerente, ut eorum interpretatio majoris esset auctoritatis, omnique suspicione careret. Uti enim

enim hac de re scribit Augustinus in lib. 18. de C. D. c. 42. *Traditur sane tam mirabilem ac stupendum planeque divinum in eorum verbis fuisse consensum, ut cum ad hoc opus separatim singuli sederint, (ita enim eorum fidem Ptolemæo regi placuit explorare) in nullo verbo, quod idem significaret & tantumdem valeret, vel in verborum ordine, alter ab altero discreparet; sed tanquam unus esset interpres; ita quod omnes interpretati sunt; unum erat; quoniam revera Spiritus erat unus in omnibus.*

Hujus quoque rei meminerunt Justinus Martyr in Oratione exhortatoria ad gentes, Irenæus lib. 3. c. 21. Cyrillus Catechesi 4. Clemens Alex. lib. 1. stromatum, aliique complures. Verum est equidem prædictæ separationis 70. Interpretum in cellul s nec Josephum meminisse, nec Aristæam qui reliquam historiam tradidit; quapropter Hieronymus non solum id in dubium revocat, sed falsitatis etiam mendaciique redarguit Præfatione sua in Pentateuchum; cum tamen ab Scriptoribus illis id omitti potuerit, ne quid fortasse Hebraicis libris detrahi videretur; & non tantum alii Patres, sed & ipse Hieronymus Præfat. 1. & 2. in lib. Paralip. agnoscant 70. Seniores Spiritu Sancto repletos, quæ vera fuerant transtulisse; idcirco non improbabilis ea omnis narratio videri potest. Ipsi denique Judæi Neoterici, Talmudici, & Talmudicis antiquiores, septuaginta Interpretum translationem divinam, & prædicto cum miraculo factam semper crediderunt, prædicaruntque, uti legere quisque potest apud Morinum in lib. 1. de Hebræi, Græcique textus sinceritate, exercit. 8. c. 1.

Iidem vero Interpretes non solum Pentateuchum in Græcum idioma verterunt, sed omnes V. T. libros, qui in Judæorum canone tunc erant; hoc est, libros viginti duos, quos post Josephum refert Hieronymus in Prologo Galeato. Ita enim tenent Justinus in dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. c. 21. Clemens Alex. lib. 1. strom. Eusebius præparat. lib. 8. c. 1. aliique passim. Et sane vero non est simile, quod Ptolemæus Philadelphus, qui ut Judaicis libris Bibliothecam suam ditaret, advocarat Interpretes, de Prophetis aliisque divinis Judæorum libris nihil omnino curaverit. Præterea Apostoli & Evangelistæ Prophetarum testimonia fere semper juxta Septuaginta versionem citarunt, eandemque legendam Ecclesiæ tradiderunt. Vide Baronium ad annum Christi 231.

At contra nonnulli totam 70. Interpretum historiam in dubium revocant, contenduntque fuisse confictam a Judæis qui Alexandriæ commorabantur, & quos vulgo Hellenistas appellant, quoniam propter Græcorum consuetudinem, Græce ut plurimum loquebantur, & ita linguam Hebraicam dediscebant. Ab iis igitur effectum existimant, ut Lex in Græcum sermonem conversa fuerit per doctos viros qui Alexandriæ degebant; atque ut Græcæ huic translationi conciliaretur auctoritas, eaque in Synagogas loco Hebraici textus insinuaretur, conscriptam ab iis Aristææ nomine fabulosam epistolam, ex qua Josephus. Philo, ceterique deinde falsam illam historiam hauserunt. Id autem contigisse putant invitis Palæstinis Judæis, qui Alexandrinos propter audax hoc facinus implacabili odio sint prosecuti.

Hu-

Hujus itaque opinionis, quam, inter alios propugnat Josephus Scaliger, validiores rationes ex eo petuntur; 1. quod Demetrius Phalereus, qui illius versionis instigator fuisse fertur, non tantum apud Ptolemæum Philadelphum gratia non valuit, sed contra ipsi exosus fuit, ab eoque pulsus in exilium, cujus tædio victus sibi vitam ademit, ut apud Laertium refert Hermippus.

Deinde, quod ea ætate non extarent duodecim Tribus, ex quibus septuagintaduo illi Seniores delecti narrantur: cum primo quidem decem Tribus, ac postea duæ reliquæ in Mediam & Babyloniam, diu ante illa tempora essent abductæ, earumque loco missi externæ gentis homines, qui eam regionem incolerent, quique Samaritani sunt dicti; ut patet ex lib. 4. Regum cc. 17. & 18. Nec vero leguntur eæ Tribus præter Levi, Juda, & Benjamin in Palæstinam rediisse; sed illarum sedes a Samaritanis alienigenis semper occupatæ fuerunt, uti constat ex Josepho lib. 11. antiquit. Judaic. cap. 3. & 8.

Præterea, quod valde diversæ sint epistolæ, quæ tanquam a Ptolemæo ad Eleazarum Pontificem, & vice versa ab Eleazaro ad Ptolemæum, hinc apud Aristæam, inde apud Epiphanium, hac de re scriptæ referuntur; quæ profecto discrepantia universam narrationem falsitatis aperte convincit.

Denique, quod Rabbinorum libri imprecationes plures maledictionesque contineant adversus Alexandrinos, tanquam ejus versionis auctores; tantumque inde dolorem ceteri Judæi conceperint, ut in eorum Calendario, translationis illius

illius causa, tanquam nefandæ lugendæque rei, jejunium celebrari quotannis jubeatur; idque die 8. mensis Thebet, qui nostro Decembri respondet.

Sed reponi primo objecto potest, non deesse graves Auctores, qui translationem hanc factam referant ad tempus primi Ptolemæi, qui Lagi filius, & Ptolemæi Philadelphi pater fuit; cui haud dubie in deliciis erat Demetrius ille Phalereus. Ita sane censet Irenæus lib. 3. c. 21. censentque alii nonnulli apud Clementem Alex. lib. 1. stromatum. Alii insuper cum Anatolio in Computo Paschali, sub utroque Ptolemæo, filio nempe in regni consortium a patre adhuc superstite adscito, id contigisse dixerunt. Præterea ex probatis Auctoribus confirmatur Phalereum Philadelphi ipsius Bibliothecæ fuisse præpositum, in quibus sunt Cicero lib. 5. de finibus, Ælianus lib. 3. c. 17. Josephus lib. 12. antiquit. Judaicarum c. 2. Philo lib. 2. de vita Mosis; &c. Imo Hermippus apud Laertium in vita Demetrii, non id præcise refert, quod vertit Latinus Interpres, missum fuisse Demetrium in exilium; sed ἀξιωθῆναι, dignum scilicet fuisse visum, qui in exilium mitteretur; quia nimirum Ptolemæo patri auctor fuerat, ut non Ptolemæum Philadelphum ex Berenice genitum, sed ex priori uxore Eurydice procreatos filios cooptaret in regnum. Potuit autem post mortem Ptolemæi patris, vel eo adhuc in vivis agente, virtutis ac literarum nomine conciliari (ad aliquod saltem tempus) Philadelpho Demetrius. Sed Lege Natalem Alex. in VI. Mundi ætatem differt. 8. propos. 2., Serarium in Proleg. Bibl. c. 17. q. 5., &

Do-

Doujat lib. 1. prænotionum Canonic. c. 21.

Ad alterum poterit responderi, non solum cum decem Tribus abducerentur, remansisse in Palæstina non paucos ex Israelitis, ut patet ex 2. Paralip. c. 34. v. 6. 7. 9. &c. & nonnullos ex Assyria in Palæstinam temporis progressu migrasse, libero inter utramque Provinciam commeatu, uti colligi bene potest ex Tobiæ c. 1. sed & cum Esdra rediisse aliarum Tribuum, quam supradictarum, Judæos, & promiscue cum aliis habitasse; quod perspicuum fiet legenti Josephum citato lib. 11. Judaic. antiquit. c. 5. Idemque confirmatur etiam ex Lucæ c. 2. ubi Anna Prophetissa fuisse dicitur ex Tribu Aser; & ex Matth. c. 4. v. 13. ubi memorantur Tribus Zabulon, & Nephtali prædicationis luce a Christo Domino illustratæ: ac postremo Tertullianus, Chrysostomus; aliique apud Serarium, Doujat, &c. existimant Pharisæos Christi ævo ex omni Tribu fuisse. Quin etiamsi hæc cuncta negarentur (quod gratis, & nulla certa ratione fieret) potuit Eleazarus ex Assyria & Babylonia peritos legis accersere ex singulis decem Tribubus, quos cum Palæstinis conjunctos mitteret in Ægyptum. Lege Natalem Alex. in VI. Mundi ætatem dissertatione 8. & Calmet dissert. *An decem Tribus e captivitate reduces Regionem Israeliticam repetierint?*

Tertium argumentum facile refellitur, si dicatur vel plures scriptas fuisse epistolas, tam a Ptolemæo, quam ab Eleazaro, quarum alias Aristæas, alias Epiphanius referant; vel Aristæam qui nunc extat supposititium esse, quod plerique existimant, & sic a vero diversum,

quo

quo usus fuerit Epiphanius.

Quantum ad jejunium die VIII. mensis Thebet indictum, & ad execrationes Judæorum; hæc aliis ex causis orto Palæstinorum in Alexandrinos odio imputari possunt, cujus vestigia in Actibus etiam Apostolorum reperiuntur: illudque jejunium quod instituerunt Rabbini, præterquam quod universale non erat, sed Orientalium Synagogarum proprium, neque ullibi a Judæis hodie observatur, aut in eorum fastis occurrit; post Christi tempora cœpit in usu esse, non alia forte de causa, quam quod ejus fidem multi Judæi per Græcorum Bibliorum lectionem crederentur amplecti. Ut enim Genebrardus aliique notarunt, septuaginta Seniores non raro a sensu grammatico discesserunt, quo allegoricum sequerentur, & quæ de Christo pronunciata fuerant, evidentius demonstrarent. Vide Joannem Doujat lib. I. prænotionum Canonic. c.21.§.7. Vide quoque Morinum in citato lib. I. exercit. 8. c. 3. & Natalem Alex. in loco etiam superius laudato.

Hæc denique Translatio, quæ sub 70. Interpretum nomine ad nos usque pervenit, pura omnino non est, sed aliis permixta, maxime ex Theodotione, uti post Hieronymum docent Bellarminus, Baronius, aliique, qui rem confirmant exemplis petitis ex Psal. 44. v. 11. & Psal. 75. v. 9. &c. Certe vitiosam esse editionem, quam præ manibus habemus, nemo unus ignorat. Exploratum est enim in omnibus pene annorum numeris, qui in Scriptura tot locis occurrunt, toto cœlo diffidere Septuaginta ab Hebræo, & Latino, & Chaldæo, & Syriaco textu. Ita, verbi gratia, Jonæ 3. ubi

illi

illi habent, *Adhuc quadraginta dies*; in Septuaginta est, *Adhuc tres dies*, & *Ninive subvertetur*. Exodi item 32. v. 28. pro *viginti tribus millibus* occisis (quomodo etiam S. Paulus legit 1. Cor. c. 10. v. 8) ipsi non nisi *tria millia* ponunt. Sic tandem alibi non raro plures inveniuntur errores. Cum autem variæ sint editiones Translationis Septuaginta, inter eas proculdubio emendatior est Romana, quam Sixtus V. adornari curavit; quæque licet aliqua menda contineat, Amanuensium incuriæ, vel audaciæ deputanda; plurimum tamen confert, ut nonnulla Vulgatæ nostræ loca elucidentur, pluresque veterum SS. Patrum sententiæ intelligantur.

Jam vero breviter agendum superest de celebriori alia Scripturæ Versione, quam incertus Auctor elaboravit, quamque *Italicam*, vel *Italam* Augustinus, *Communem*, & *Vulgatam* Hieronymus, *Veterem* Gregorius (postquam nempe Hieronymus novam Versionem induxerat) appellarunt. Hac itaque in re notandum primo est, quod licet olim Latinæ Scripturæ editiones innumeræ prope essent, uti testantur Hieronymus Præf. in Josue, & Augustinus lib. 2. de Doctrina Christ. c. 11., affirmant tamen iidem Patres Vulgatam veterem fuisse magis communem ac ceteris anteponendam, utpote quæ ex Augustino in laudato libro c. 15. erat *verborum tenacior*, *cum perspicuitate sententiæ*.

Quia tamen Librariorum errore, ac temeritate menda non pauca in Editionem illam irrepserant; idcirco S. Hieronymus ei manum admovit. Et novum quidem Testamentum ex Græco emendavit, ut ipse profitetur in Epist. 89.

89. nunc 112. quæ erat 11. nunc 75. inter Augustinianas: vetus autem Testamentum bis transtulit in Latinum; primo ex Græca versione Septuaginta, quemadmodum intelligi potest ex lib. ejus 2. contra Rufinum, & ex epist. 10. nunc 71. Augustini; deinde iterum ex Hebræo, ut ipsemet ait in calce libri de Viris illustribus; atque hæc interpretatio studio Damasi, ac sequentium Pontificum, in Occidentali Ecclesia recepta est, & merito reliquis anteposita ex Isidoro Hispalensi in lib. 1. de Off. Eccl. c. 12 qui suo jam tempore omnes Ecclesias ea versione usas esse testatur, quod *veracior esset in sententiis, & clarior in verbis*.

Advertimus insuper vulgatam sacræ Scripturæ Editionem, quam præ manibus nunc habemus, etsi magna ex parte sit ex Hieronymi interpretatione, continere tamen libros quosdam juxta veterem Versionem. Sane Vulgatæ nostræ Psalterium haud dubie aliud est ab eo, quod Hieronymus ex Hebræo transtulit, quodque inter ejus opera recensetur, a vulgari non parum diversum, seu sensus, seu verba spectentur; ac illud a pluribus esse putatur, quod ex Græca S. Luciani Martyris editione versum ab ignoto Auctore, Hieronymus emendavit. Hoc enim retinere satius est visum ipsi etiam Hieronymo, utpote quod Ecclesiasticis viris jam familiare esset, dudumque in sacro Officio, ac cantu receptum per Occidentis Ecclesias. Quidam præterea cum Bellarmino contendunt, neque ex Hieronymi versione esse libros Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum: at alii cum Lyrano aliter arbitrantur. Plura huc spectantia tradit Serarius in Proleg. Bibl. c. 19.

Observandum est etiam, Vulgatam hanc editionem ex Tridentini Concilii Decreto *de editione sacrorum librorum*, in sess. 4. habendam pro *authentica* esse; ita nimirum, ut divinam auctoritatem habeat,ac certa sit fidei regula, prout ab Ecclesia probata est; nihilque prorsus in ea reperiatur fidei moribusque repugnans, neque in gravioribus a vero dissentiat; tametsi a levioribus quibusdam mendis expurgata omnino non sit, etiam post Sixti V. & Clementis VIII. correctionem. Monent enim Romani Editores in Præfatione quam præfixerunt Vulgatæ, nonnulla se loca, quamquam alioqui correctione indigerent, intacta reliquisse, ne quo scandalo populus afficeretur, longa jam habitudine assuetus veteri lectioni: adduntque præterea fieri facile potuisse, *ut Majores nostri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt; qui fortasse, tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt*.

At licet in Vulgata nostra nonnulli deprehendantur errores, fateri tamen oportet, eandem omnium utriusque Testamenti Versionum castigatissimam esse; quod Theologi nostri ex plurium etiam doctissimorum Protestantium confessione demonstrant. Vide Calmet differt. in Vulgatam. Num vero eadem Vulgata præferenda sit Originalibus textibus,ipsi inter se diffident Catholici. Recte tamen a plerisque defenditur, affirmantem opinionem, etsi probabiliorem, ex Tridentinæ tamen Synodi doctrina non colligi. Et sane hæc Synodus in laudato superius De-

Decreto Vulgatam non cum Hebraicis Græcisque fontibus comparavit, sed cum Latinis aliis Versionibus, quas inter optimam illam esse decrevit. En verba Concilii: *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.* Legendi hac de re sunt Andreas Vega, Alphonsus Salmeron, Robertus Bellarminus, &c.

Ex hucusque dictis infertur, quod cum in Vulgata quædam inveniantur levioris momenti errata, possint ea corrigi ad Hebraici, Græcique textus normam. At cum aliunde in hodiernum Hebraicum & Græcum textum non pauci errores irrepserint, non semper & ubique præstat ex Hebraico Græcoque textu emendare Vulgatam. Immo quoties ista ab originalibus, qui nunc extant, textibus discedit, ita ut in concordiam cum iis adduci non possit, illos plerumque ex hac potius corrigendos esse, quam hanc ex illis.

Infertur 2. ex sola Vulgata trahi a Theologo posse tutum firmumque pro rebus fidei argumentum. Hanc enim solam Ecclesia authenticam esse decrevit, sive infallibilem auctoritatem habere, & esse fidei morumque regulam; quatenus continet exprimitque Dei verbum,

ac sensus ab illo dictatos, ex quibus certa Theologus argumenta depromit. De aliis autem versionibus, sicut & de originalibus quos nunc habemus, textibus nihil unquam hujusmodi definivit Ecclesia. Ubi notandum occurrit, a Jurisperitis mutuatos fuisse Theologos vocem istam *Authenticum*, qua denotatur, *Scriptum aliquod, quod ex se fidem facit in judicio, & supremæ est auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quæstionem vocari debeat*. Ita enim id explicat Julianus Jurisconsultus Tract. *de fide Instrumentorum*.

CAPUT VI.

Ubi aliæ Scripturæ Versiones brevissime indicantur.

PRæter Græcam septuaginta Seniorum Versionem, de qua priori in capite diximus, aliæ recensentur Græcæ etiam veteris Testamenti Versiones, quas oportet ut Tyronibus nostris hic paucis exponamus. Primo itaque advertimus, nonnullos post Clementem Alexandrinum lib. 1. stromatum affirmasse, quod Græca Septuaginta interpretatio non omnium prima fuerit, sed Pentateuchi saltem translatio ante Alexandri Magni tempora, conscripta jam fuerit, ejusdemque inde cognitio ad Græcos sapientes, Pythagoram, Platonem, aliosque pervenerit: unde a Numenio Pythagorico Plato dictus sit Moses Attice loquens.

At

At probabilior opposita videtur opinio, quæ primam in Græcum versionem ad Ptolemæi Philadelphi tempora refert. Si enim prius Græca alia sacrorum librorum versio extitisset, nihil fuisset causæ, cur de nova instituenda Ptolemæus ille tanta solicitudine laboraret. Græci vero Philosophi Mosaicam sapientiam, non minus ex colloquio cum eruditioribus Judæorum in Ægypto degentium, ac Græcæ linguæ peritorum, aut ex Hebraici sermonis cognitione ab ipsis accepta, quam ex aliqua Græca versione haurire potuerunt. Sed lege P. Calmet in Differt. *an veteres Legislatores & Philosophi e Scriptura leges suas, & moralem scientiam hauserint.*

Alteram itaque post Septuaginta Græcam V. T. versionem ex Hebræo edidit Aquila genere Ponticus, qui ex Gentili Christianus, ex Christiano Judæus effectus, anno Adriani Imperatoris 12, Christi vero circiter 130., opus illud ita perfecit, ut vaticinia de Christo quoad posset everteret: unde S. Epiphanius in lib. *de ponderibus & mensuris* illum vocat Judaizantem hæreticum.

Tertiam versionem adornavit Theodotion Ephesinus, Tatiani primum discipulus, Marcionis deinde sectarius, ac tandem in Synagoga receptus Judæus, ea lege, ut vetus Testamentum Græcum redderet; quod & præstitit circa annum Christi 184. multa addens, multa etiam demens: at illum inter Judaizantes hæreticos numerat S. Hieronymus præfat. in Jobum.

Quartam elucubravit Symmachus circa annum Christi 200. Is genere Samaritanus, cum

nullum sibi honorem a gente sua deferri videret, transiit ad Judæos, deinde ex Judæis ad Christianos; ac demum Ebionis hæresim professus, Græcam ex Hebræo versionem, non verbum ex verbo, sed sententias ex sententiis reddendo perfecit.

Quinta versio, quæ a nonnullis Vulgata dicta est inter Græcas, anonymum habuit auctorem; & Hierichuntina vulgo vocatur, quia Hierichunte non procul Hierosolymis in quibusdam doliis inventa fuit, Antonini Caracallæ 7. & Christi 117.

Sexta quoque incerti auctoris est, & dolio item inclusa apud Nicopolim juxta Actium promontorium in Epiro, imperante Alexandro Mammææ filio, reperta fuit circa Christi annum 230.

Hic adnota, ex indicatis editionibus Origenem sua *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla* concinnasse. Primo namque selegit ille quatuor priores Græcas versiones, nimirum 70. Interpretum, Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, easque in unum volumen redegit quatuor distinctis columnis; ita, ut omnes eodem aspectu conspici possent, & versus versibus, periodi periodis responderent: atque easdem versiones a quatuor columnis illis *Tetrapla* nominavit. Deinde quatuor prædictis versionibus & columnis e regione adjunxit Hebraicum textum per duas alias columnas, quarum prima continebat textum illum literis Hebraicis scriptum, altera vero eundem textum Græcis literis exaratum: tunc itaque editiones illæ propter sex columnas *Hexapla* dicebantur. His tandem Origenes duas addidit columnas, quibus quintam & sextam ver-

versionem, Hierichuntinam scilicet & Nicopolitanam, inseruit; cumque jam octo columnæ essent, *Octapla* nuncupavit.

Septima ejusdem Origenis versio est, quam sane ex Hebræo textu nequaquam ornavit; sed ita edidit, ut interpretationem 70. Seniorum correxerit, plura ex Theodotione, & ex aliis fortasse editionibus, adjungendo, plura etiam resecando: & ea quidem quæ suppleverat, asterico, sive signo stellæ radiantis indicavit; superflua vero obelo, idest veru transfixit. Tot autem correctio illa mutationes invexit, ut nova visa sit versio; atque ita obtinuit, ut ex Hieronymo epistola 89. bibliothecas omnes impleverit, eodemque S. Doctore testante, Præfat. in Isaiam, communis consueverit appellari.

Octava versio est S. Luciani Antiocheni Presbyteri & Martyris, tempore Diocletiani. Cum enim ille videret sacros Codices corrumpi, & in pravum sensum detorqueri, eosdem, ad fidem Hebraici textus, Græce reddidit emendatos. Hanc editionem S. Athanasius, sub Constantino, propria Luciani manu descriptam, Nicomediæ repertam fuisse testatur.

Nona versio edita est ab Hesychio Presbytero, qui Septuaginta interpretationem correxit, ejusque opus Alexandria & Ægyptus recepit, usuque probavit. Atque ita novem fuisse patet Græcas V. T. illustriores versiones, quas Eusebius, Athanasius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, aliique recensent.

Vetus insuper Testamentum in Chaldaicum sermonem ex Hebræo versum est, non verbo ad verbum, sed paraphrastico modo; unde &

Chaldaica Paraphrasis est potius appellanda, quam versio. Pentateuchum transtulisse dicitur Onkelos; Prophetas vero priores, & posteriores, idest Josue, Judices, & Regum libros, itemque Isaiam, Jeremiam, ceterosque Prophetas R. Jonathan filius Uzielis; Hagiographa, idest Psalmos, Job, Ruth, Esther, & Salomonis opera vertit R. Josephus cæcus.

Hæ paraphrasticæ translationes, aliæque hujusmodi, quæ diversis post Christum natum seculis adornatæ fuerunt, vulgo *Targumim*, idest *Interpretationes* appellantur: & quia magnæ apud Hebræos auctoritatis sunt, eosdemque convincere valent, idcirco nobis quoque sunt utiles. Ceterum ab Ecclesia non tanti fiunt, ut ex eis inter Christianos duci possit irrefragabile aliquod argumentum. Et sane si Pentateuchi Paraphrasin ab Onkelos elaboratam excipias, aliæ Judaicis fabulis, & Thalmudistarum nugis aspersæ, alicubi contrarium, sæpe diversum longe sensum ab Hebræo textu, & a Græcis Latinisque versionibus præ se ferunt.

Extant præterea Syriaca & Arabica V. T. versiones, in quibus etsi multi sint nævi, non exigui tamen illæ momenti habendæ sunt; cum sint antiquæ, nec raro etiam Vulgatæ sensum exprimant, eandemque confirment.

Novum quoque Testamentum ab ipsis Ecclesiæ crepundiis in plura idiomata translatum est; ita nimirum, ut Eusebius in Isaiæ c. 45. v. 20. de sua ætate, quarto nempe seculo, testari potuerit, omnium sermone & characteribus descriptos sacros libros nullam gentem latere. Cum vero inter omnes linguas Latina maxime & Syriaca post Græcam latius obtinerent,

rent, Versiones illæ N. T. omnium primæ non immerito reputantur. Has deinde Versiones aliæ exceperunt; scilicet Arabica, Æthiopica, Cophtica sive Ægyptiaca, Persica, Armena, & Gothica; quas fuse recensent Interpretes.

Multæ sunt insuper Latinæ Scripturarum sanctarum translationes, quas tum Catholici, tum Heterodoxi recentius ediderunt. Inter Catholicos 1. eminet Sanctes Pagninus Lucensis Ord. Præd. qui vetus Testamentum ex Hebræo, novum ex Græco in Latinum transtulit, circa annum Christi 1530. Verum quia non omnia exacte ab illo translata videbantur, Benedictus Arias Montanus Hispalensis, Vir egregius, adhibitis variis editionibus, partim ex ejus Interpretatione, partim ex diligenti Hebraicæ locutionis observatione, novam quodammodo confecit, in qua Hebraicis Græcisque vocibus Latinas interlineares superponit, & quæ ipse immutavit, ab iis quæ Pagnini erant, diverso charactere distinguit.

Alteram interpretationem ex Hebræo & Græco Parisiis edidit, vel potius dictavit, Franciscus Vatablus, regius linguæ sanctæ Professor, Vir probatæ semper fidei, & doctrinæ. Sed cum Robertus Stephanus, Typographus Calviniana labe infectus, Vatabli notis alias hæreticas notas inseruisset, edidissetque anno 1545., opus illud perniciosum evasit, fuitque prohibitum. Eandem vero versionem ac paraphrasim emacularunt, quoad licuit, Theologi Salmanticenses anno 1584. atque ita usurpari permittitur. Legendi sunt tamen hac de re Genebrardus, Possevinus, Serarius, aliique.

Isidorus etiam Clarius Brixiensis, ex Cassi-

nensi

nensi Monacho Episcopus Fulginas, Biblia ex Hebræo in Latinum transtulit, circa seculi XVI. medietatem; ejusque versionem plurimi faciunt Eruditi.

Hæ sunt præcipuæ privatorum Catholicorum translationes, in quibus hæc est servanda regula, ut admittantur ad majorem Vulgatæ, & textuum Hebraici, ac Græci, veterumque versionum dilucidationem, non ut ipsis quidquam valeant derogare.

Variæ pariter numerantur Latinæ Bibliorum versiones a recentioribus Hæreticis adornatæ. Inter celebriores I. habetur illa Munsteri, quæ prodiit anno 1525. II. Œcolampadii, anno 1535. III. Leonis Judæ, recutiti & Zuingliani; quæ versio vulgo Tigurina vocatur, quod Tiguri edita sit anno 1544. IV. Sebastiani Castalionis, quæ typis mandata est Basileæ anno 1556. V. Emmanuelis Tremellii, & Francisci Junii, Heidelbergensium Professorum: edita fuit Genevæ anno 1590. & postea Hannoniæ anno 1592. Lege Genebrardum Præfat. in Origenem, Serarium Proleg. Bibl. c. 18. aliosque Interpretes, ac Theologos.

Sunt postremo pleræque Scripturæ versiones, quæ quia vernacula, sive vulgari populi vel nationis lingua conscriptæ fuerunt, Vernaculæ nuncupantur. Circa ejusmodi versiones, duo sanxit Ecclesia. Primum, ne passim, & citra expressam facultatem in publico Ecclesiæ Officio, ac præsertim in Missa, legantur. Id constat ex Tridentino Concilio sess. 22. cap. 8. ubi de Missæ Sacrificio ait: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lin-*

lingua celebraretur. Alterum, ne omnibus indiscriminatim legi permittantur; *cum*, juxta quartam Indicis regulam a Pio IV. Sixto V. & Clemente VIII. summis Pontificibus approbatam, *experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, &c.*

CAPUT VII.

De variis Scripturæ sensibus.

SAcræ Scripturæ sensus id dicitur, quod Spiritus Sanctus ejusdem Scripturæ Auctor significare nobis per illam intendit. Cum vero in aliis scientiis solum verba significent, in sacra tamen Scriptura Spiritus Sanctus non solum verba, sed aliquando ipsas etiam res ad significandum accommodat. Uti enim bene S. Thomas ait p. 1. q. 1. a. 10. *Auctor sacræ Scripturæ est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, propter quod sensus spiritualis super*

super literalem fundatur, & eum supponit.

Sacræ itaque Scripturæ sensus bifariam primo dividitur; in literalem scilicet, sive historicum; & in spiritualem, sive mysticum: qui duo sensus exprimi putantur per Librum scriptum intus & foris apud Ezechielem c. 2. & apud Joannem Apoc. c. 5. ita ut exterior scriptura Literam indicet, interior vero Mysterium.

Spiritualis præterea sensus adhuc triplex vulgo distinguitur; Allegoricus scilicet, Tropologicus, & Anagogicus. Allegoricus ad ea refertur, quæ in nova lege credenda proponuntur: atque ita vocatur a Græca voce ἀλληγορία; quæ *inversionem* significat, qua aliud verbis exprimitur, aliud sensu intelligitur. Tropologicus, sive Moralis, ad ea quæ agenda sunt, pertinet: τρόπος enim *mores* Græce significat. Anagogicus vero spectat ad ea quæ speramus, seu ad æternam alterius vitæ felicitatem, deducto nomine a Græca etiam voce ἀναγωγή, qua subtilis intelligentia, & erectio animi ad sublimia denotatur. Tres istos sensus una cum literali tritissimum Distichon illud ostendit:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Hujusce rei proferri solet exemplum in voce *Jerusalem*, quæ ad literam significat Judææ Civitatem: juxta moralem vero sensum sumitur pro Anima fideli, ut apud Isaiam c. 52. v. 2. *Sede Jerusalem; solve vincula colli tui, &c.* In sensu allegorico accipitur pro Ecclesia militante, ut Apoc. c. 21. v. 2. *Ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cælo, &c.* Juxta denique anagogiam designat triumphantem Ecclesiam: quo in sensu

su Galat. 4. v. 26. inquit Apostolus : *Illa autem quæ sursum est Jerusalem , libera est, &c.* Ita similiter per *sabbatum* , Hebr. 4. v. 9. & alibi , denotatur quies diei septimæ , cessatio a peccatis , requies Christi in sepulcro , & æterna Sanctorum quies in Cœlo . Lege quæ de multiplici Scripturæ sensu scribit S. Bonaventura in Opusculo de Reductione artium ad Theologiam : lege pariter quæ hac de re in Theologiæ Præludio a nobis notata fuere .

Literalis insuper sensus est duplex : unus proprius,quem verba proprie accepta significant;velut cum dicitur , *Diliges Dominum Deum tuum* , sensus literalis est , Deum , ut verba sonant, esse diligendum . Alter vero metaphoricus , sive improprius , quum verba a sua propria significatione ad impropriam transferuntur ; ut dum dicitur Joan. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt* , sensus literalis respicit fidelem populum , quem *oves* metaphorice acceptæ significant.

Contineri vero dicitur sensus metaphoricus sub literali , quia significatur non per res , uti sensus spiritualis , sed per voces . *Per voces autem* (inquit S. Thomas p. 1. q. 1. a. 10. ad 3.) *significatur aliquid proprie , & aliquid figurative : nec est literalis sensus ipsa figura , sed id quod est figuratum . Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium , est literalis sensus, quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale ; sed id , quod per hoc membrum significatur , scilicet virtus operativa* . Denique sensus metaphoricus solet etiam *parabolicus* appellari .

Præfatis sensibus addunt nonnulli sensum alterum minus principalem , eumque *accommoda-*

titium

tium vocant; cum nempe Scripturæ verba rem unam significantia, usurpantur ad significandam aliam propter aliquam convenientiam, quam usurpans inter utramque intercedere arbitratur. Ita bella & persecutiones Israelitici populi, & Civitatis Hierosolymitanæ Templique vastatio trahuntur ad explicandas persecutiones, quibus Hæretici Tyrannique vexarunt Ecclesiam: ita etiam quæ de Sapientia Salomon ait, B. Virgini adaptantur: ita demum sacri Oratores in concionibus plures Scripturæ textus adducunt, eos applicando Viris sanctis, quorum præclara gesta commendant. At hujusmodi sensus non est Scripturæ proprius, nec a Spiritu Sancto intentus; sed eidem Scripturæ juxta beneplacitum & existimationem usurpantis affixus.

Quærunt hic Theologi, num quandoque Scriptura sub iisdem verbis plures etiam literales sensus includat; communiterque omnes affirmative respondent cum Angel. Doctore loco paulo supra citato in fine conclus. ubi ait: *Quia sensus literalis est, quem auctor intendit, auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit; non est inconveniens, ut dicit Augustinus 12. Confess. si etiam secundum literalem sensum, in una litera sacræ Scripturæ plures sint sensus.*

Hujus autem rei vulgatissimum habes exemplum ex Psal. 2. v. 7. ubi illud: *Ego hodie genui te*, Paulus ad Hebr. c. 1. v. 3. interpretatur de æterna divini Verbi generatione; & eadem in epist. c. 5. v. 5. explicat de temporali Christi generatione, & Sacerdotio; ac præterea Act. c. 13. v. 33. de ejus resurrectione eundem textum exponit.

No-

Notandum insuper est, hoc inter literalem mysticumque sensum versari discrimen, quod ex illo firmum semper petatur argumentum ad fidei morumque dogmata demonstranda. Literalis enim sensus proprie sumptus est sensus Spiritus Sancti, quem ille per Scripturæ verba intendit: ex eo itaque firmum semper argumentum eruitur. Sensus vero mysticus tunc solum firmum suppeditat argumentum, quando constat eum fuisse a Christo vel ab Apostolis usurpatum, aut e Scriptura deduci. Cum enim res, in quibus mysticus sensus fundatur, variam habeant similitudinem, & convenientiam; varium etiam, ancipitemque referre possunt sensum mysticum, nisi aliunde constet certo, quem referant: id autem certo constare non potest, nisi ex ipsa Scriptura, vel Christi & Apostolorum exemplo. Unde Hieronymus in c. 13. Matth. agens de fermenti explicatione, qua nonnulli utuntur, ut Mysterium SS. Trinitatis exponant, ait: *Pius quidem sensus; sed nunquam parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem dogmatum proficere.*

Idem autem sensus præbere interdum potest validum Theologo argumentum. Deus enim Scripturæ auctor non voces dumtaxat ad significandum usurpat, sed pro libito rebus etiam imponit, ut alia significent. Dummodo itaque manifestum fuerit, mysticum sensum aliquem super vocem quandam literamque fundari, & a Spiritu Sancto intendi; firmum ex eo poterit argumentum afferri: id autem, ut dictum est, vel ex ipsa Scriptura, vel ex Christi aut Apostolorum exemplo interdum apparet. Ita ex illis Deuteronomii verbis, c. 25. v. 4. *Non liga-*

gabis os bovis terentis, recte mysticum hunc sensum inferimus, quod Evangelii Ministris non sint deneganda stipendia, quia Paulus in 1. ad Cor. c. 9. tropologice sententiam illam iisdem Ministris adaptat. Ita similiter quod Malachias Propheta de temporali possessione pronunciat c. 1. v. 2. & 3. *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui*, Apostolus ad Rom. 9. v. 13. allegorice ad prædestinationem extendit.

Ex accommodatitio denique sensu nunquam Theologus firmum deducere potest argumentum. Sensus enim ille non est nobis a Spiritu Sancto traditus simul cum literali, nec eum respicit auctorem; sed a quolibet interprete pro ingenii sui dexteritate arbitrioque sacræ Scripturæ aptatur, & velut assuitur: humanam ergo dumtaxat, non vero divinam vim habet ad res fidei morumque probandas.

Hac autem in re advertendum præterea est, quod ut accommodatitio sensu recte quis utatur, ad alienos profanosque sensus sacræ Scripturæ verba detorquere non debet; alioquin enim non ejusdem Scripturæ accommodatio, sed depravatio esset. Hinc merito Synodus Tridentina in fine sessionis 4. „ temeritatem „ illam reprimere volens, qua ad profana quæ„ que convertuntur, & torquentur verba, & „ sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scili„ cet, fabulosa, vana, adulationes, detractio„ nes, superstitiones impias, & diabolicas in„ cantationes, divinationes, sortes, libellos „ etiam famosos; mandat, & præcipit ad tol„ lendam hujusmodi irreverentiam, & con„ temptum, ne de cetero quisquam quomodo„ libet verba Scripturæ sacræ ad hæc, & si„ mi-

„ milia audeat usurpare, ut omnes hujus ge-
„ neris homines, temeratores, & violatores
„ verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Epi-
„ scopos coerceantur.

Quæ vero superius de multiplici Scripturæ sensu generatim sunt a nobis exposita, quamvis facilem habeant intelligentiam; difficile tamen arduumque interdum est, determinare genuinum Scripturæ sensum; illum nempe, quem Spiritus Sanctus intendit. Ut enim scribit Augustinus in lib. 2. de doct. Christ. c. 6. *ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt*, divinitus provisum est, ut obscura quædam dicta densissimam caliginem Scripturis obducerent; quod infra prolixe probabimus. Unde SS. Patres, & Interpretes nonnullas ad inveniendum Scripturæ sensum tradunt leges, ac regulas, quarum nos hic præcipuas subjungemus: prius autem pro certo supponimus, in omnibus sacræ Scripturæ sententiis aliquem sensum literalem, sive proprium, sive metaphoricum reperiri; cum ceteri sensus in literali sensu suum habeant fundamentum; ut etiam in loco paulo superius laudato Angelicus Doctor affirmat, demonstratque inter alios Serarius in Proleg. Bibl. c. 21. quæstiuncula 4.

Esto igitur 1. regula. Non in singulis Scripturæ locis quærendi sunt quatuor illi sensus, de quibus supra locuti sumus, sed plerisque in textibus literalis dumtaxat est inspiciendus. Plurima enim occurrunt loca quæ non sunt mystice explicanda; ut præcepta charitatis, juris naturalis principia, adhortationes ad virtutem; in quibus spiritualis sensus a literali non dif-

 fert.

fert. Vide Serarium citato in loco quæst. 8.

II. regula. Scripturæ verba sunt proprie ac literaliter intelligenda, & non ad metaphoram sensusque improprios detorquenda, quando ex iis ita acceptis, nihil sequitur aperte falsum, aut absurdum, vel fidei veritati morumque honestati repugnans: metaphorice autem ac figurate accipienda sunt, si ex iisdem literaliter explicatis absonum quid sequatur. Hæc regula tum ab aliis traditur, tum ab Augustino in lib. 3. de doct. Christ. c. 10. & in lib. 8. de Gen. ad lit c. 7. Nisi enim evidens ratio cogat, a proprio literali sensu minime recedendum est; alioquin actum de Scripturis esset, si unicuique liceret eas a proprio & naturali sensu ad figuratum & allegoricum detorquere. Qua in re quanta peccaverit Origenes, manifestum est omnibus; dum præsertim quæ de Paradiso secundum literam proprie dicuntur, ad mysticos sensus inflexit. Erravit etiam Lactantius, erraruntque alii, cum annos quibus regnaturi cum Christo Sancti dicuntur super terram, quod figurate accipiendum est, juxta literam intellexerunt.

III. Sacri Scriptores, ac Prophetæ præsertim, frequenter utuntur mutatione temporum, personarum, numeri, affectuum; quoniam Spiritu Sancto afflati, modo ad præterita, modo ad præsentia aut futura, modo ad Deum, modo ad creaturas, easque diversas, animum convertebant. Quamobrem ad percipiendam eorum mentem, non semper, etiam in eodem capite, aut Psalmo, ad easdem res ac personas, aut ad eadem tempora cogitatio dirigenda est.

IV. Diligenter notandæ sunt phrases, seu idiotismi Hebrææ linguæ, qua scripta est vete-
ris

ris Teſtamenti pars longe maxima ; itemque manifeſta patent Hebraici ſermonis etiam in Græco novi Fœderis textu veſtigia . Hebræi enim loquendi formulas a noſtris alienas uſurpant; Græci quoque peculiaribus idiotiſmis utuntur: ut igitur genuinus Scripturæ ſenſus inveniatur, ad utriuſque linguæ advertendum eſt phraſes. Nam, uti recte ait Auguſtinus in lib. de vera Relig. c. 54. *Habet omnis lingua ſua propria genera locutionum , quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda* . Idemque S. Doctor in lib. 2. de doct. Chriſt. c.14. hac de re ita ſcribit: *Aut ignotum verbum facit hærere lectorem, aut ignota locutio . Quæ ſi ex alienis linguis veniunt , aut quærenda ſunt ab earum linguarum hominibus, aut eædem linguæ, ſi & otium eſt & ingenium, ediſcendæ, aut plurium interpretum conſulenda collatio eſt* . Hebraicæ ac Græcæ linguæ idiotiſmos, & proprietates, quæ ſæpius in Scripturis occurrunt, notavit explicuitque breviter ac perſpicue Jacobus Tirinus in Prolegomenis Commentarii ſui ad V. & N. Teſtamentum .

V. Genuinum Scripturæ ſenſum invenies, ſi antecedentia, & ſubſequentia verba notaveris , ac ſi textum unum cum altero, obſcurum ſcilicet cum manifeſto contuleris . Unde Hieronymus in cap. 25 Matth. ait: *Conſideret*, lector, *priora , media , & ſequentia , & nectat ſibi univerſa, quæ ſcripta ſunt* . Et Auguſtinus in lib. 2. de doct. Chriſt. c. 9. *Ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla , & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem incertis auferant* .

VI. tandem regula hæc ſit: Legitimus Scri-

pturæ ſenſus petendus eſt ex SS. Patrum interpretatione, Eccleſiæque judicio. Hæc regula eſt omnium tutiſſima, quam præſcribit Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. *in Decreto de editione & uſu ſacrorum librorum*, inquiens: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent.* De hoc autem argumento plura inferius ex profeſſo dicentur.

Qui præterea ſacram Scripturam legere & interpretari voluerit, oportet, ut præter enumeratas aliaſque conſimiles regulas, his inſtructus diſpoſitionibus ad illam accedat: Primo quidem fide: ſcriptum eſt enim Iſaiæ 7. v. 9. juxta 70. Interpretes: *Niſi credideritis, non intelligetis*, Hinc juxta Apoſtoli monitum in 2. ad Cor. 10. 5. in captivitatem redigamus oportet intellectum in obſequium Chriſti; tunc etiam, quum ejuſmodi proponuntur articuli, qui rationi repugnare videntur, & a naturæ ordine omnino recedunt; quia tamen a Deo, cui nihil impoſſibile eſt, revelati noſcuntur, pro certiſſimis ſunt habendi. Secundo, legenda eſt Scriptura cum humilitate: nam Chriſtus Matth. 11. v. 25. Patrem alloquens, ait: *Abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti*

ea parvulis. Tertio, cum conſcientiæ puritate: legitur enim Sap. 5. v. 4. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Quarto, cum oratione; quia non tam a libris, quam a Deo intelligentiæ lumen expectandum eſt, ab eoque petendum cum Davide Pſal. 118. v. 34. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*. Unde S. Auguſtinus in lib. 3. de doct. Chriſt. c. 37. inquit: *Non ſolum admonendi ſunt ſtudioſi venerabilium literarum, ut in Scripturis ſanctis genera locutionum ſciant...., verum etiam, quod eſt præcipuum & maxime neceſſarium, orent, ut intelligant*. Quinto demum addenda eſt aſſidua Scripturæ lectio, quam commendat Chriſtus, dicens Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*: commendat & Paulus in 1. ad Tim. c. 4. v. 13. ſcribens: *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*: commendat poſtremo Hieronymus in epiſt. 22. ad Euſtochium verbis illis n. 17. *Crebrius lege; diſce quamplurima. Tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat*. Vide inſuper quæ *de modo ſtudendi, & proficiendi in ſacra Scriptura* docet S. Bonaventura ſerm. 19 in Hexameron; quem etiam conſulere poteris in Legenda S. P. Franciſci c. 11. ut agnoſcas, quomodo Seraphicus Vir ſacræ Scripturæ ſtuduerit, Fratreſque ſuos eidem ſtudere voluerit.

CAPUT VIII.

Quod Scripturæ obscurum non raro sensum includant, cujus interpretatio, judiciumque ab Ecclesia sit petendum.

Recentiores Hæretici licet affirment Scripturam pluribus in locis intellectu esse difficilem, donumque interpretationis ab Ecclesia omnino non auferant; contendunt tamen in eadem Scriptura dogmata quæque ad salutem necessaria contineri, eaque obscura quidem esse infidelibus & superbis, non vero fidelibus & humilibus, qui uno Scripturæ suffulti præsidio omnia quæ sunt credenda dijudicant. Si quid enim abstrusum ac perdifficile in uno Scripturæ textu ob implexam verborum significationem occurrit, illud expedite aperteque absque ulla ambiguitate alio in loco docetur; omnisque difficultas non rerum est, sed verborum, quibus per grammaticas institutiones, ac peritiam Hebræorum, Græcorumque syntaxeos explicatis, Catholica doctrina clare prorsus & evidenter affulgeat. Hinc illi divinarum Traditionum necessitatem negant, auctoritatemque docentis Ecclesiæ despicantur.

Propositio 1. Scriptura non adeo clara est, uti asserunt Novatores.

Probatur. David in Psal. 118. v. 18. Deum ita

ita precatur: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua:* & v. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Atqui David humilis erat, fidelis, electus, Scripturæ studiosus, Hebraicæ linguæ peritus; neque verborum, sed latentium mysteriorum expositionem efflagitat. Hinc bene appositeque S. Hieronymus in epist. 13. nunc 58. ad Paulinum scribit: *Totum quod legimus in divinis libris, nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem.* Revela, *inquit David*, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas parvulos, & pene lactentes inscitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non solum in facie Moysi, sed & in Evangelistis, & Apostolis positum est.*

Eadem Catholica veritas ex novo Testamento colligitur. Nam Eunuchus Reginæ Æthiopum licet sacrorum librorum cultor esset, ac ita discendi cupidus, ut illos vel in ipso curru perlegeret; tamen a Philippo rogatus Act. 8. v. 30. *Putasne intelligis quæ legis?* sincere respondit v. 31. *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*

Christus præterea duobus Discipulis proficiscentibus Emmauntem Scripturarum sensum exposuit, Lucæ 24. v. 27. *Et incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Ita se quoque gessisse cum omnibus Apostolis refertur ibidem v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas:* quod testimonium præclare exponit S. Bonaventura, Commen. in

Lucam. Denique S. Petrus in epist. 2. c. 3. v. 16. de Pauli epistolis ait: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Ubi notandum cum Bellarmino aliisque Theologis est, Petrum Apostolum non dixisse, *Sunt quædam difficilia indoctis & instabilibus*, ut exponunt Hæretici, sed *difficilia* absolute pronunciasse.

Idem quoque dogma ex unanimi SS. Patrum sententia demonstratur. Ex iis autem brevitatis gratia unum eligimus Augustinum, cujus præsertim auctoritate Adversarii nostri perperam abutuntur; horum enim errorem S. Doctor passim explodit, ac signate in epist. 3. nunc 137. ad Volusianum c. 1. ait: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.* Et post pauca subdit: *Tanta non solum in verbis* (nota bene) *quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat quod eadem Scriptura quodam loco* (Eccli. 18. v. 6.) *habet: Cum consummaverit homo, tunc incipit.*

Postremo idem S. Doctor Præfat. in Psalmum 140. scribit: *Sunt in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Et sane divinæ Scripturæ dignitas ac præstantia requirebat, ut fidei mysteria absque arrogantia crederentur, Deique oracula assidua contemplatione ab homi-

mine versarentur. Recolite quæ priori in capite diximus ex eodem S. Augustino in lib. 2. de doct. Christ. c. 6. quæque in Theologiæ Præludio c. 2. §. 1. ex Irenæo notavimus.

Sed vel ipsi Novatores suo testimonio, ac experimento invicte commonstrant, non eam Scripturæ claritatem inesse, qualis ab iisdem effingitur. Sane Lutherus eorum omnium antesignanus Præf. in Psal. inquit: *Nolim ab ullo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit etiam sanctissimorum, & doctissimorum, id est, Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere, & docere: &c.* Et infra: *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum.* Magistro subscribunt Brentius, Kemnitius, Centuriatores, aliique complures. Vide Bellarminum lib. 3. de Verbo Dei c. 1.

Experimento etiam suo iidem Hæretici veritatem istam ostendunt. Ea enim Christi verba in Evangelio: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, si quoad nativam obviamque significationem considerentur, aperta profecto sunt, manifesta, clarissima; & tamen in eorum intelligentia quantum a Lutheranis Calvinistæ dissentiant, nemo unus ignorat. Quod si Scripturæ sensus uno in loco obscurus, in alio clare invenitur expressus; cur apertiora testimonia minime proferuntur, ut hæc aliæque inter ipsos exortæ controversiæ pacate ac illico dirimantur?

Propositio 2. Ecclesia est supremus Scripturarum Interpres, & Judex.

Probatur. Scripturæ sensum interpretari, ac de eodem proferre judicium, ad ipsammet

Scri-

Scripturam pertinere non potest; 1. quia ex dictis pluribus in locis est obscura: 2. quia judex est mortuus; proindeque nequit ita sententiam loqui, ut evidenter appareat, cuinam parti adjudicanda sit causa. Hinc recte Catholici hac in re normam inter, judicemque distinguunt. Est enim Scriptura veritatis norma, sive regula, ad quam fidei controversiæ dirimuntur; non tamen est judex, cum nequeat inter litigantes definitivam pronunciare sententiam.

Neque ejusmodi munus privato uniuscujusque spiritui tribuendum est. Scripturæ enim eodem exponendæ sunt Spiritu, quo conscriptæ fuerunt; divino videlicet, quem Christus suæ promisit Ecclesiæ, & qui unus est, omnemque aperit veritatem; non humano, qui diversis diversa pro libito dictat, & pugnantia omnino dogmata frequenter inspirat; uti innumeris demonstrari potest exemplis, eoque præcipue, quod supra ex verbis illis adduximus: *Hoc est corpus meum*. Recolenda hic sunt quæ Apostolorum Princeps ait in epist. 2. c. 1. vv. 20. & 21. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Legendus est etiam Vincentius Lirinensis in cap. 2. Commonitorii.

Neque ad secularem Principem vel politicum Magistratum spectat hac de re proferre sententiam. Non enim ex Scripturis, aut ex Traditione, aut ex usu Christianorum, vel etiam Judæorum ostendi potest, spiritualem auctoritatem de Scripturarum & fidei dubiis decernendi politico Principi convenire. Nam recen-

censendi profecto non sunt inter eos, quibus ab Apostolo dicitur Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Neque eorum sunt successores, quibus Christus ait Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes &c.*

Reliquum itaque est, ut dicamus hujusce-modi auctoritatem collatam a Christo fuisse Romano Pontifici, & Episcopis, in generali præsertim Concilio congregatis. Id enim ex huc usque dictis evidenter eruitur, probaturque præterea ex quo in V. T. potestas isthæc concessa legatur Sacerdotibus, ac præcipue summo Pontifici, ut apparet ex Deut. c. 17. ubi v. 8. & seq. hæc habentur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, ... venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem: . . . Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, . . . & decreto Judicis, morietur homo ille.*

Neque de legalibus tantum controversiis, uti volunt Hæretici, sed & de controversiis fidei sensuque Scripturæ judicium ad Sacerdotes pertinuisse colligitur ex 2. Paralip. c. 19. v. 10. ubi Josaphat rex Juda præcepit, ut illi judicarent, *ubicunque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus.* Orto insuper ad fidem spectante dubio, num Christus natus esset, Herodes (Matth. 2. v. 4. & sequent.) *congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Judæ: Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, &c.* Denique Jo-

ſephus in lib. 2. contra Apionem inquit : *Omnium rerum inſpectores, & controverſiarum judices conſtituti ſunt Sacerdotes. Pontifex ante alios Sacerdotes Deo ſacrificat, leges cuſtodit, dijudicat controverſias, convictos delicti punit: cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius*. Si igitur in V. T. Sacerdotes ac Pontifices tali tantaque præditi auctoritate fuerant, potiori hæc nunc eadem jure Epiſcopis, Romanoque præſertim Pontifici, tribuenda eſt. Lege quæ ſcripſimus in Theologiæ Prælud. c. 2. §. 5.

Et profecto Paulus ad Epheſ. c. 4. v. 11. de Chriſto ſcribit: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, &c. ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Eccleſia itaque per Paſtores Doctoreſque ſuos, Epiſcopos nempe, omnem nobis fidei morumque doctrinam tradit; proindeque per eoſdem germanum Scripturæ ſenſum exponit.

Hinc excitata circa legalium obſervantiam controverſia Act. c. 15., non delata res eſt ad Scripturam, ex qua tum pro affirmante, tum pro negante parte adduci poterant teſtimonia; ſed ad Petrum, alioſque Apoſtolos Jeroſolymis tunc morantes, qui coacto Concilio ſe controverſiæ illius idoneos Judices declararunt, ajendo v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Ita quoque ſubſequentia Concilia plures fidei quæſtiones, varioſque Scripturarum ſenſus contra Hæreticos explanarunt; quod ex in-

infra dicendis evidentius apparebit.

Objicies 1. Deut. c. 30. v. 2. legitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum*. Facilis est igitur unicuique Scriptura, nec oportet; ut Brentius ait, pro interpretatione ejus superare montes, ac mare, Romanumque adire Pontificem. Hinc etiam in Psal. 18. v. 9. legitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Et in Psal. 118. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Ac tandem infra v. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*.

Resp. ex 1. textu inferri dumtaxat posse, quod mandatum Mosaicæ legis in Deuteronomii libro conteptum, ac complectens naturalem legem Decalogi, legemque cæremonialem, & judicialem, facile possit intelligi, & operatione compleri. At ex quo facilis intellectu sit pars illa Scripturæ, inepte concluditur hanc ubique esse perspicuam; oppositum enim vel ipsi demonstrant Hæretici, dum tot tamque variis commentariis suis Scripturæ sensus explanare contendunt.

Qui vero ex Psalmis objecti sunt textus, ostendunt tantum, Dei legem, quando declarata, revelata, ac bene intellecta est, nos illuminare; videlicet, ut bene agamus, regulam exhibere. Et ideo Propheta ait: *Declaratio sermonum &c. Revela oculos meos &c. Da mihi intellectum &c.*

Eadem quoque reddenda responsio est, dum illud opponunt ex 2. epist. Petri c. 1. v. 19. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in* ca-

caliginoso loco. Scripsit enim epistolam illam Petrus ad Asianos, qui jam crediderant, jamque per Ecclesiæ magisterium prophetici de Christo sermonis sensa didicerant, & Evangelii lucem prævia Apostolorum prædicatione conspexerant.

Objicies 2. Isaiæ 8. v. 20. mandat Deus, ut in ambiguis rebus *ad legem magis, & ad testimonium*, tanquam ad judicem, recurramus. Christus etiam Joan. 5. v. 39. Judæos ad solam Scripturam remittit, ut Messiæ adventum agnoscant, inquiens: *Scrutamini Scripturas*. Refertur insuper Act. c. 17. v. 11. quod Berœenses Judæi *susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*. Non ergo oportet alienum postulare judicium, ut legitimi Scripturæ sensus intelligentiam assequamur.

Confirmari id præterea potest innumeris aliis Scripturarum oraculis, eoque præsertim quod apud Jer. c. 31. v. 33. ait Dominus: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Et apud Isaiam c. 54. v. 13. *Ponam universos filios tuos doctos a Domino*. Scribit postremo Joannes in epist. 1. c. 2. v. 27. *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium*.

Resp. in 1. Isaiæ textu diserte agi contra eos, qui pythones, divinosque de futuris rerum eventibus consulebant. Remittuntur autem illi ad legem a Deo latam Deut. 18. v. 9. *Non inveniatur in te qui pythones consulat, aut divinos, aut quærat a mortuis veritatem*. Testimonii item nomine ipsa Dei lex significatur, per quam testatur nobis ille suam voluntatem.

Sed

Sed en integer Isaiæ contextus : *Et cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus, & a divinis, qui strident in incantationibus suis : Numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux*. Non itaque ex hoc textu recte concluditur, claram in omnibus esse Scripturam, & Ecclesiæ interpretatione nequaquam egere.

Ad alterum. Christus eo loci non ad solam Scripturam Judæos remittit, sed primo ad testimonium Joannis Baptistæ v. 33. *Vos misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati*. Secundo ad miraculorum opera quæ patrabat, v. 36. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*. Tertio ad testimonium Patris, v. 37. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me*. Quarto demum ad testimonium Scripturarum, v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Non igitur ita Judæi ad Scripturas remittuntur, ut eas alio quolibet secluso testimonio ad privatum suum sensum intelligant. Lege S. Bonaventuram in hunc locum.

Quidam insuper opinantur, illud *scrutamini* non imperativi modi esse, sed indicativi; adeoque a Christo non remitti Judæos ad sacrorum librorum lectionem, sed illorum verborum hunc esse sensum: Vos scrutamini quidem Scripturas, mihi tamen, de quo illæ testimonium perhibent, credere detrectatis. Ex quo potius Hæ-

Hæreticorum sententia refutatur: nam sicut Judæi, licet scrutarentur Scripturas, quia non receperunt Joannis testimonium, non crediderunt Christi miraculis, non obedierunt voci Patris, excæcati sunt, & videntes non viderunt; ita Hæretici solam Scripturam perlegentes, & Sanctorum testimonia, miraculorum virtutem, vivamque Dei vocem, summorum Ecclesiæ Pastorum ore prolatam, pervicaciter contemnentes, ignorantiæ tenebris obvolvuntur, veritatique resistunt.

Ad hæc, aliud est Scripturam scrutari, expendere, & ex ea veritatem inquirere; aliud vero sensum ejus ambiguum definire, & de fidei controversiis absolutam pronunciare sententiam. Ita Berœenses, qui jam, Paulo prædicante, verbum cum omni aviditate susceperant, scrutabantur Scripturas, non quod dubitarent, sed ut in fide proficerent, videntes omnia, quæ de Christo ab Apostolo enuntiabantur, Prophetarum vaticiniis fuisse prædicta. Hac autem intentione, animoque profectum faciendi, unicuique fas est Scripturas expendere, & ex illis veritatem investigare, judicio discussionis, non judicio definitionis, quæ duo callide Heterodoxi confundunt.

Et hæc quidem ratio tenet, etiamsi quis asfereret, Berœenses dubitando scrutatos fuisse Scripturas. Non enim scrutabantur ut definirent, sed ut inspicerent, num consona Scripturis essent, quæ prædicabat Apostolus: atque prudenter se ita gerebant, cum nemo credere teneatur, nisi prius motiva credibilitatis intelligat. Qui vero semel Christi fidem suscepere, Ecclesiæ auctoritatem agnoscere debent, sine qua

qua fidei ac religionis unitas consistere omnino non potest; neque amplius dubitare fas illis est, an quæ docet Ecclesia, ita se habeant.

In citato autem Jeremiæ capite non excluditur Pastorum ac Doctorum in Ecclesia ministerium; sed discrimen innuitur inter vetus Testamentum, in quo lex atramento scripta in tabulis lapideis minitando terrebat, & inter novum, in quo lex in visceribus cordibusque fidelium scripta Spiritu Dei vivi, per uberiorem gratiam adjuvat, amorem justitiæ inspirando.

Neque obstant sequentia ibidem verba v.34. *Non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus*. Significant enim, non opus ultra futurum prolixa molestaque exteriori instructione, qualem Rabbini in Synagogis adhibere solebant, ut veram unius Dei cognitionem hominibus suaderent. Nam quamvis externa nunc etiam prædicatio requiratur, hæc tamen præ interna Spiritus Sancti voce quasi nihil est, & quasi nullo labore in Dei cognitionem & amorem rudes quoque, ac pueri inducuntur.

Verborum Isaiæ idem est sensus. Ponam nempe universos filios tuos doctos, non externa tantum magistrorum institutione, sed interna etiam ab ipso Domino. Nam fidei mysteria, quæ Evangelici præcones discipulis suis exterius proponent, ego Dominus interius illuminando intellectum, & excitando voluntatem, inculcabo suaviter, & persuadebo; ne frustra sit externa doctrina.

Ad ultimum. Joannes ibi dumtaxat asserit, potuisse Parthos per gratiam fidei, internamque

que Spiritus Sancti unctionem dignoscere quidquid in adimplendis mandatis præstandum ab ipsis erat,& Pseudo apostolos vel Apostatas Verbi Divinitatem atque Incarnationem negantes explodere. At jam eis mysteria isthæc per Apostolicam prædicationem innotuisse colligitur ex ejusdem cap.v.21. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem,sed quasi scientibus eam.*Et v.24. *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.*

Objicies 3. Apostolus in 2. ad Cor. 4. v.3. ait: *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum; in quibus deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi*. In novo itaque Testamento Scriptura infidelibus est operta, aperta autem & clara fidelibus. Scribit item in 1. ad Cor. 2. vv.14. & 15. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.... Spiritualis autem judicat omnia,& ipse a nemine judicatur*. Qui igitur Dei Spiritum habent,possunt ex sese de vero Scripturæ sensu, ac de omnibus fidei controversiis judicare.

Resp. ad 1. Evangelium dici opertum infidelibus, quia illi credere noluerunt Evangelicæ prædicationi, & Christianæ fidei, quam per terrarum orbem *in manifestatione veritatis* disseminabant Apostoli. Lege v.1. & 2. Ex hoc autem quod infideles propter voluntariam mentis excæcationem mysteria nostræ redemptionis, licet aperte annunciata, non capiant, profecto non sequitur, Scripturam infidelibus esse obscuram, claram vero perspicuamque fidelibus.

Ad 2. Animalis dicitur homo, qui sensu ac naturali dumtaxat rationis lumine nititur, dum dijudicat: spiritualis vero dicitur, qui fide ac

Spi-

Spiritus Sancti illustratione dirigitur. Ille terrena tantum percipit, & humana: iste autem percipit judicatque omnia, tam humana scilicet, quam spiritualia & divina, quæ naturale lumen excedunt; non vero singula, sed ea omnia, quæ ad adipiscendam salutem necessario requiruntur. Nam spirituales erant Apostoli, qui tamen *non intelligebant quæ dicebantur*, Lucæ 18. v. 34. Petrus etiam & Joannes *nondum sciebant Scripturam*, Joan. 20. v. 9. Christus præterea Lucæ 24. v. 27. *interpretabatur illis*, discipulis, *in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*. Non ergo qui Spiritum Dei habent, in universum omnia judicant, sed tantum fidei rudimenta cuilibet necessaria ad salutem, quæ delirantes Ethnicorum Philosophi denegabant. Judicant insuper non definiendo; quod Judicum est, Pastorum scilicet, ac Doctorum; sed approbando vel reprobando, juxta ea quæ ab Ecclesiæ Magistris accipiunt. Ac ipsi denique quando & quatenus spiritualiter judicant, a nemine judicantur; idest redargui vel condemnari non possunt.

Objicies 4. Non raro Patres affirmant, sacras Scripturas intellectu esse facillimas, easdemque non interpretatione, sed lectione dumtaxat egere. Ita inter alios Chrysostomus hom. 3. de Lazaro scribit Philosophos, ut admirationi essent, obscure fuisse locutos, additque: *Apostoli vero ac Prophetæ omnia contra fecerunt, manifesta claraque quæ prodiderunt, exposuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, ut per se quisque discere possit ea quæ dicuntur e sola lectione*. Et hom. 3. in c. 2. epist. 2. ad Thessal. ait: *Quid opus est sermone? Omnia sunt di-*

 lu-

lucida & recta quæ sunt in divinis Scripturis: manifesta sunt quæcunque sunt necessaria.

His consona scribit Augustinus in lib. 2. de doct. Christ. c. 6. *Magnifice, & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.*

Postremo Hieronymus in cap. 44. Ezechielis manifeste sic loquitur: *Priusquam enim Salvator humanum corpus assumeret, . . . clausa erat Lex & Prophetæ, & omnis scientia Scripturarum. . . . Postquam autem ille pependit in cruce, ... statim velum templi scissum est, & aperta sunt omnia.*

Resp. SS. Ecclesiæ Patres claram asseruisse Scripturam non in omnibus ubique locis, sed in nonnullis solum, in quibus generalia quædam fidei dogmata, aut morum præcepta traduntur, & historiæ quædam aut miracula recensentur. Hæc sane mens est Chrysostomi, qui quamvis ut auditores suos ad assiduam Scripturarum lectionem accenderet, objecta verba protulerit, e vestigio tamen ita in hom. 3. de Lazaro subdit: *Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ non sunt memoria tenens, ea quæ obscura sunt, parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem.* Ubi dubio procul Ecclesiæ institutionem aliquibus Scripturam legentibus necessariam esse fatetur.

Eadem est S. Doctoris sententia homilia 3. in 2. ad Thessal. addit enim: *Quænam ea obscu-*

ſcuritas, dic quæſo? Annon ſunt hiſtoriæ? Noſti quæ ſunt clara & dilucida, ut de iis quæ ſunt obſcura pertranſeas. Hiſtoriæ innumerabiles ſunt in Scripturis. Dic mihi unam ex illis; ſed non dices. Prætextus hæc ſunt & verba.

Auguſtinus non loquitur de omnibus Scripturæ locis, uti ex adverbio illo liquet, *fere:* & recte quidem, cum plures ſint in Scriptura textus, qui per alios explicari non poſſunt; cujus rei nos ſupra ex verbis illis exemplum adduximus, *Hoc eſt corpus meum*. Neque ita S. Doctor Scripturarum lectionem collationemque commendat, ut Eccleſiæ auctoritatem nihili ducat, cum in ejuſdem Operis lib. 3. c. 2. ſcribat: *Conſulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ auctoritate percepit.*

Hieronymus agit de redemptionis noſtræ myſteriis, quæ in veteri lege erant obtecta figuris; unde Liber ſignatus erat, ut ait Iſaias c. 29. v. 11. At in lege nova, cum Chriſtus vita, morte, & reſurrectione ſua figuras illas impleverit, eadem myſteria ab omnibus intelliguntur; ac proinde apertus eſt Liber, ſicuti dicitur in Apocalypſi c. 5. v. 5. Hæc enim Scripturæ teſtimonia confert ibidem S. Doctor.

Objicies 5. Si ad Romanum Pontificem, vel ad Eccleſiam pertineret de legitimo Scripturæ ſenſu proferre judicium, jam Dei verbum, quod ſubjici nequit errori, ab hominum qui mendaces ſunt, judicio dependeret.

Reſp. ex argumento deduci quidem, quod mendax ſit Lutherus, Calvinus, ac quilibet Heterodoxus, qui ſpiritu effertur humano, proindeque mendaci: cujus profecto mendacii evidens indicium eſt eorum vanitas, arrogantia,

pervicacia, contradictio. At summus Ecclesiæ Rector, homo licet sit, Spiritu tamen divino dirigitur, juxta factam B. Petro Christi promissionem, quod nunquam deficiet fides ejus, inferique portæ adversus eum minime prævalebunt. Hæc Spiritus Sancti directio adest & aliis, si tamen cum ipso Ecclesiæ Capite conjungantur; ac propterea supremus controversiarum fidei Judex est solus Romanus Pontifex, de cujus auctoritate inferius plura dicemus.

Neque judicii nomen hoc loco significat sententiam ejus, qui superior est re ipsa, quam judicat. Alioqui, si ea semper esset vocis hujus significatio, cum juxta Apostolum in 1. ad Cor. 14. v. 29. Prophetæ duo aut tres loquuntur, & cæteri dijudicant, oporteret hos, qui judicium ferunt, & Prophetis, & prophetia esse superiores. Asserimus ergo Ecclesiam de Scripturis, earumque sensu judicare; id est, discernere humanam a divina, verum a falso; quam quidem facultatem ei a Christo fuisse collatam momenta superius adducta demonstrant. Quapropter ex argumento non sequitur, Dei verbum Ecclesiæ subjici, aut ab ea pendere, sed solum, Ecclesiæ judicium esse privatorum hominum judicio præferendum.

CAPUT IX.

An singulæ Scripturæ particulæ Spiritu Sancto inspirante sint scriptæ.

THeologi dum de sacra Scriptura sermonem instituunt, de ejus inspiratione, inspirandi-

dique ratione disputare prolixius consueverunt. Nos itaque ut eadem in quæstione breviter ac perspicue procedamus, tria in Scripturis distinguenda monemus; res scilicet, verba, & stylum. Res verbis expressæ aut sunt dogmata quædam, sive sententiæ, quæ ad fidem moresve pertinent; aut præteritorum temporum historiæ; aut futurorum prædictiones. Verba sunt ipsæ voces, quibus sacri textus sensus exprimitur. Stylus denique est verborum ordo, series, ac structura.

Triplex insuper in sacris Auctoribus Dei operatio distinguenda videtur; revelatio nimirum, inspiratio, ac specialis directio sive assistentia. Revelatio proprie ac stricte sumpta, est rei antea ignotæ facta divinitus declaratio, seu manifestatio. Inspiratio est interior incitatio, sive quidam motus, quo Deus Agiographum excitat ad scribendum, & ad delectum eorum, quæ vult ut ab eo scribantur. Assistentia vero, seu specialis directio, est singulare divini Spiritus auxilium, quo fit, ut sacer Auctor falsum quid literis mandare non possit.

Anomæi neque verba, neque ipsas etiam res omnes, sive sententias divinæ inspirationi adscribendas esse putarunt, ajentes, quod sacri Auctores humano interdum spiritu ea conscripserint, in quibus memoria lapsi sint, humanisque affectibus abrepti. Spinoza quoque omnem pene sanctorum Librorum inspirationem evertit, cum eorum Auctores nullo supernaturali dono præditos, nulla peculiari Dei præsentia directos affirmet.

Inter Catholicos vero Theologos nonnulli non res tantum & sententias, sed singula insuper verba, a Spiritu Sancto dictata fuisse con-

tendunt, cui etiam ſtylum ſcribendique modum attribuunt. Genſent alii, prophetias quidem, & omnia fidei myſteria immediate a Spiritu Sancto ſacris Scriptoribus revelata fuiſſe; non tamen hiſtorias & facta naturaliter nota, in quibus ſcribendis opus dumtaxat fuiſſe ajunt inſpiratione, ac ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, non tamen proprie dicta revelatione. Verba etiam, verborumque ordinem ac ſtylum uniuſcujuſque Scriptoris ingenio & indoli permiſſa fuiſſe defendunt.

Propoſitio I. Res omnes in ſacra Scriptura contentæ, conſcriptæ quidem fuerunt Spiritu Sancto inſpirante, ac ſpecialiter aſſiſtente; non tamen eodem Spiritu revelante.

Probatur. Et quod ad primam propoſitionis partem pertinet, in 2. ad Tim. c. 3. v. 16. ſcribit Apoſtolus: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, &c.* Petrus etiam in epiſt. 2. c. 1. v. 20. ait: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Et ne alios adducamus textus, Chriſtus ipſe non raro ſignificat ſacros Libros Spiritu Sancto inſpirante ac ſpecialiter dirigente fuiſſe conſcriptos, ut liquet ex Matth. 22. ex Joan. 5. & 10. ex Lucæ ultimo, &c. Recole quæ de ſacræ Scripturæ divinitate in prioribus hujus libri capitibus ſparſim a nobis notata fuere.

Ita quoque indubitata conſenſione tradiderunt SS. Eccleſiæ Patres, quos inter Auguſtinus in ſacris Auctoribus inerrantiæ munus paſſim agnoſcit; ex eo videlicet, quod illi divinitus inſpirati, ac ſpecialiter adjuti conſcripſerint.

Hinc

Hinc in epist. 19. nunc 82. ad Hieronymum ait: *Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam: &c.* Itemque Gregorius M. in Præfat. Mor. de libro Job sic loquitur: *Quis hæc scripserit valde supervacue quæritur; cum tamen auctor Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & in illius opere inspirator extitit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit.* Lege etiam Irenæum lib. 2. adversus hæreses c. 22. Nyssenum orat. 7. contra Eunonium, Chrysostomum hom. 26. in Gen. Hieronymum in epist. ad Paulinum, &c.

Deinde, nisi res omnes Spiritu Sancto inspirante ac peculiariter assistente conscriptæ dicantur, sacrarum Scripturarum magna ex parte labefactatur auctoritas. Ut enim Augustinus ait in epist. 8. nunc 28. & 19. nunc 82. ad Hieronymum, si in sacro quovis libro una quælibet falsitas reperitur, totius libri interit certitudo: quo uno argumento idem S. Doctor in lib. 2. de cons. Evang. c. 12. satis ostensum ac patefactum existimat, Prophetarum & Apostolorum scripta nullam omnino falsitatem habere, *non solum eam quæ mentiendo promitur, sed etiam eam quæ obliviscendo.* Lege Canum lib. 2. c. 17.

Altera etiam assertionis pars evidens ac certa videtur. Deus enim sicut in necessariis non deficit, ita in superfluis non redundat, quemadmodum vel ipse Aristoteles demonstravit. Ad ea vero, quæ naturali lumine nota erant, supernaturalis revelatio necessaria non fuit. Quæ

igi-

igitur sacri Scriptores audiverant, viderant, manibusque tractaverant, sine propria expressaque revelatione narrarunt. Unde Joannes in epist. 1. c. 1. v. 1. inquit: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: . . . testamur, & annuntiamus vobis*. Lucas quoque c. 1. v. 2. ait se res scripto mandare, *sicut tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis*. Sed & Marcum, quæ a Petro didicerat, rogatum a discipulis scripsisse, ex communi traditione colligitur, de qua inter alios lege Canum lib. 2. c. 18. ad 1. Postremo Auctor lib. 2. Machab. c. 2. v. 24. ait se quæ *a Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa* fuerant, *tentasse uno volumine breviare*: additque v. 27. *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus.*

Propositio 2. Probabilius dicendum putamus, quod Spiritus Sanctus uniuscujusque Scriptoris ingenio & indoli verba, stylumque permiserit.

Probatur. Ad fidei & veritatis certitudinem quæ sacræ Scripturæ convenit, satis profecto videtur, quod Spiritus Sanctus Scriptori assistat, eumque custodiat ab omni falsitate, & errore, & ab omnibus verbis, ac phrasibus, quæ nequaquam expediunt, vel eandem Scripturam minime decent; per specialem scilicet providentiam avertendo objecta omnia, quæ excitare possunt ejusmodi verborum, phrasiumque conceptus. Potest itaque Dei Spiritus se accommodare cujusque Scriptoris ingenio, eidemque permittere, ut familiaria sibi verba, usitatumque

que ſtylum adhibeat.

Sane Hieronymus Præfat. in Iſaiam & Præfat. in Ezechielem,& Comment. in c.1. Amos advertit, Iſaiam in aulis verſatum, elegantiori uſum fuiſſe ſtylo; Ezechielis ſermonem nec ſatis diſertum, nec admodum ruſticum eſſe, ſed ex utroque medio temperatum; Amos ruſticum ſubruſticum quoque dicendi genus uſurpaſſe. Conſtat præterea Lucam Græci ſermonis eruditiſſimum, comptius in novo Teſtamento ſcripſiſſe præ aliis: atque ita in unoquoque Scriptore verum apparet. Quare nonnulli huc illud trahunt quod apud Oſee c. 12. v. 20. Dominus ait: *Locutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicavi, & in manu Prophetarum aſſimilatus ſum.* Præſertim vero ad rem facit, quod Auctor lib. 2. Machab. c. 15. v. 39. veniam petit, ſi quid minus digne conſcripſerit, inquiens: *Et ſi quidem bene, & ut hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim: ſin autem minus digne, concedendum eſt mihi.* Quod quidem minime dixiſſet, ſi ſtylum, ac verba Spiritui Sancto tribuenda putaſſet. Hinc demum ſacri Hiſtorici numeros interdum certo non ſtatuunt, ſed humana phraſi has ſimileſque voces uſurpant: *Circiter, quodam tempore, duobus, ſeu tribus diebus, &c.*

Objicies 1. contra 1. propoſ. Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 7. v. 10. quædam ponit, de quibus aſſerit, quod Domini ſunt mandata: *Præcipio* (inquit) *non ego, ſed Dominus.* Mox vero v. 12. ſubdit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Per quod manifeſte declarat, non ſemper divino, ſed humano interdum ſpiritu ſe fuiſſe locutum.

Deinde, idem Apoſtolus in 2. ad Cor. c. 2. v. 1.

v. 1. & c. 7. v. 8. indicare videtur affectum se pœnitentia esse, quod illos prioris Epistolæ reprehensione vexarit. Rei autem semel scriptæ non alium pœnitere potest, nisi eum, qui scribendo crediderit se errasse. Non igitur Paulus, quæcunque ad Corinthios scripsit, divino illa Spiritu se scripsisse putavit.

Rursum, in hac etiam epist. 2. c. 11. v.21. inquit: *In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego*: & v. 23. *Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico) plus ego*. At blasphemum est, quod Spiritus Sanctus inspirat, in insipientia dictum asserere. Humano igitur spiritu ibidem locutus est Paulus.

Postremo, in epist. 1. c. 15. v. 10. cum dixisset Apostolus, se plus omnibus laborasse, correctione mox adhibita, docet parum se caute fuisse locutum. *Non ego autem*, inquit, *sed gratia Dei mecum*.

Resp. ad 1. Paulum Domini seu præceptum, seu consilium eo sane loco vocare, quod Christus Dominus ore proprio vel præcepit in Evangelio, vel consuluit. Nam, quod consilium suum Spiritus Sancti consilium existimaret, satis ipse indicat, dicens eodem in cap. v. 40. *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam*.

Ad alterum brevis est facilisque responsio. Non enim ibi, pœnitere, resipiscere significat, sed tristari, ut legenti perspicuum est. Tristatur autem pater cum filios dolentes videt; sed lætatur, cum dolorem ad salutem fuisse cognoscit.

Ad 3. Quo modo Paulus sit intelligendus, ipse se explicat, inquiens v. 16. & 17. *Iterum dico*

dico (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier) quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriae. Et capite ejusdem epistolæ 12. v. 6. ait: *Si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam:* & v. 11. *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Quid ergo, sapiens, & insipiens? Nempe sapiens rêvera, sed quasi insipiens, qui tanquam insipientis personam assumere, & seipsum jactare videretur. Laudare quippe se insipientis hominis nota est. Verum hæc, quæ stultitia esse videbatur, Dei erat sapientia, ut Apostolus non sponte, sed coactus, non ex vanitate, sed ex charitate gloriaretur. Ab Spiritu igitur Sancto erat hujusmodi quasi stulta gloriatio. Lege Estium in hunc locum.

Ad 4. Non incaute Paulus fuerat locutus; sed ne quis in ea laude aut arrogantiam, aut vanitatem aliquam subesse interpretaretur, docet se non in seipso, sed in Domino gloriari; *Non ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum*. Simile fere illud est, quod ait Christus Joan. 7. v. 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* Hunc igitur in modum cum Paulus vere dixisset, se plus omnibus laborasse, addit, & vere etiam addit, se non plus omnibus laborasse; &c.

Objicies 2. Necesse non fuit, ut Deus omnia quæ in Scripturis habentur, ac præsertim historias, inspiraret: revera igitur minime inspiravit; non enim ille miracula absque necessitate consilioque multiplicat. Probatur antecedens: Sacris Historicis memoria tantum, & diligentia opus fuit, ut vera certaque enarrarent. Eæ etiam Scripturæ partes, in quibus nul-

nulla vaticinia continentur, conscribi a piis, sapientibus, ac studiosis Auctoribus naturali mentis acumine potuerunt, ut integram mererentur fidem, etiamsi Spiritus Sanctus supernaturali inspiratione scribentibus non adesset.

Resp. posse utique Historicum, quin divinitus inspiretur, veram certamque narrationem intexere; posse etiam sacrum Oratorem absque peculiari inspiratione utilem concionem validis & evincentibus rationibus communire: at Historicus, certæ licet fidei, accuratæque diligentiæ, nunquam divinæ & infallibilis auctoritatis contexet historiam; neque Concionator orationem suam proferet, veluti infallibilem morum normam, & supernaturalis fidei fundamentum, nisi diligentiæ memoriæque Historici, & pietati scientiæque Concionatoris, accesserit supernaturalis inspiratio vel peculiaris saltem divina præsentia, quæ errorem & quamlibet humanæ naturæ infirmitatem ab illis avertat. Cum ergo Deus a nobis exigat, ut historiis, morumque præceptis, ac omnibus denique partibus, quibus Sacra Scriptura componitur, supernaturalem præbeamus fidem, quæ ipsi tantum Deo, non alteri, sapientissimo licet piissimoque, debetur; necesse idcirco fuit, ut ipse peculiari inspiratione, singularique directione sacris Scriptoribus semper assisteret.

DE

DE PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ LOCIS

LIBER II.

Ubi de ſacra Traditione diſſeritur.



Actenus de Scriptura, nunc protinus de Traditione, præſertim divina, e veſtigio tractandum eſt. Veteres novique Hæretici ſolam Scripturam tanquam fidei regulam agnoſcentes, ut locum iſtum everterent, nullum lapidem non moverunt. Peſtilentiſſimum illorum errorem hic refutare breviter quidem, ſed invicte conabimur; dataque occaſione de Apoſtolicis etiam, & Eccleſiaſticis Traditionibus nonnulla dicemus.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Traditio.

TRaditionis nomen latius uſurpatum ſignificare ſolet doctrinam omnem ab uno alteri, ſive voce, ſive etiam ſcripto concreditam. Strictius vero idem nomen acceptum denotat quam-

quamcumque notitiam, quæ de aure in aurem a Majoribus nostris ad nos sine scripto descendit. Ac demum quod ad præsens attinet institutum, Traditio dicitur ea fidei, morum, aut disciplinæ doctrina, quæ ab Auctore suo non scripta, sed viva voce primum prodiit, & ad posteros dimanavit.

Hoc posteriori modo sumpta Traditio juxta diversum respectum diverso etiam modo distinguitur. Relate enim ad Auctorem dividitur in Divinam, Apostolicam, & Ecclesiasticam. Spectata vero secundum materiam circa quam versatur, alia est Traditio fidei, alia morum, alia disciplinæ. Quod si consideretur ex parte ejus cui traditur, in universalem particularemque dirimitur: illa traditur Ecclesiæ universali, ista particulari dumtaxat Ecclesiæ. Ex parte autem durationis distribuitur in perpetuam & temporalem: illa semper viget, ista ad determinatum solummodo tempus extenditur. Ex parte tandem modi quo traditur, dividitur in necessariam, quæ cum lata sit per modum præcepti, ad sui observationem astringit; & in liberam, quæ per modum consilii instituta, servari potest pro libito, vel omitti. At præstat modo singula divisionis hujusce membra prolixius explicare.

Divina ergo Traditio est verbum Dei non scriptum, sed traditum; seu Dei doctrina est in sacris literis non expressa, sed a Deo immediate Majoribus revelata, & a Majoribus ad posteros quasi de aure in aurem successive transmissa. Talis fuit ante legem a Moyse scriptam, seu in lege naturæ, doctrina de Mundo isto a Deo creato, de remedio adhibendo pro originalis deletione peccati; aliæque ejusmodi no-

notiones, quibus in vero Dei cultu tunc continebatur Ecclesia: cum enim Dei doctrina tunc temporis scripta non esset, per doctrinam ab ipso traditam Fidelium populus regebatur.

Talis etiam fuit post scriptam a Moyse legem, & ante Christum, doctrina de sacrorum librorum divinitate, de remedio pro expungenda in feminis originaria culpa, de præfigurata Christi morte per cruenta sacrificia; ac postremo de aliis, quæ etsi scripta non essent, uti tamen a Deo tradita tenebantur.

Talis denique est adhuc hodie in nova Christi lege doctrina de perpetua Deiparæ virginitate, de baptizandis ante rationis usum infantibus, de non rebaptizandis hæreticis, de septenario Sacramentorum numero, de invocatione Sanctorum, de licito sacrarum Imaginum cultu; de aliisque similibus, quæ ad fidem quidem pertinent, in sacris tamen literis vel nullatenus, vel dumtaxat obscure leguntur.

Apostolica vero Traditio ea est, quæ primum ab Apostolis non scripto manavit, sed viva voce, & veluti per manus ad nos usque pervenit. Hujusmodi sunt Quadragesimæ institutio, observatio diei Dominicæ loco Sabbati, & similia, quæ Spiritus Sancti instinctu in bonum Ecclesiæ instituerunt Apostoli, tanquam ejusdem Ecclesiæ Pastores, vivaque voce præscripsere Fidelibus.

Notandum hic est, Divinam Traditionem quandoque Apostolicam appellari eo tantum in sensu, quod ipsam Apostoli Ecclesiæ commendarunt. At cum illi non proprio, sed Christi nomine, & tanquam Christi præcones Divinam Traditionem mandarint Ecclesiæ; idcirco ejus-

modi doctrina improprie solum Apostolica dici potest, cum sit reipsa Divina: sicuti dum per Legatum, Regis verbum enunciatur, & traditur; verbum illud revera Regis est verbum, quamvis verbum quoque Legati improprie aliquando dicatur.

Traditio Ecclesiastica rigoroso in sensu illa vocatur, quæ nec a Christo, nec ab Apostolis, sed ab Ecclesiæ Prælatis, vel populis introducta, ac tandem per modum legis, vel consuetudinis, tacito succedentium Fidelium usu recepta, & ad nos usque delata est. Ejusmodi sunt observatio, & solemnitas quarundam festivitatum, abstinentia a carnibus, ovis, & lacticiniis in quibusdam anni diebus, religiosa formandæ Crucis consuetudo, pius aqua lustrali aspergendi mos, hujusque generis alia ad cæremonias ritusque spectantia.

Præterea Traditio alia fidei dicitur, alia morum. Prior est dogma non scriptum, quod spectat ad fidem; cujusmodi ea omnia sunt, quæ ad Divinam Traditionem pertinere superius dictum est. Posterior est doctrina non scripta, pro dirigendis formandisque moribus, sive ritibus introducta; quo modo se habet consuetudo quæcumque ex Apostolica, & Ecclesiastica Traditione descendens.

Nonnulli tamen hic Traditionem distinctius clariusque in tria membra secernunt, ita ut alia sit fidei, alia morum, alia disciplinæ. Traditio fidei respicit quæ revelata a Deo sunt, & obligant ad credendum: Traditio Morum refertur ad ea, quæ Deus uti necessario facienda præcepit: Traditio denique disciplinæ spectat dumtaxat ad ritus, quos vel Apostoli vel Ecclesiæ

Præ-

Prælati aut Populus induxerunt. Atque juxta hanc dividendi rationem non tantum fidei, sed & morum dogmata ad Divinam Traditionem pertinere certissimum est.

Perpetua insuper Traditio dicitur, quæ instituta ab initio taliter fuit, ut semper duret, nullaque potest creata auctoritate mutari. Tales sunt Divinæ omnes, & a Christo per Apostolos ad nos usque transmissæ Traditiones, respicientes quæ credenda sunt necessario vel agenda.

Temporalis vero Traditio illa dicitur, quæ sive ad determinatum, sive ad indefinitum tempus instituta sit, talis tamen est generis, ut mutari per Ecclesiam possit; quales sunt omnes Apostolicæ, & Ecclesiasticæ Traditiones. Nam & reipsa earum nonnullæ mutatæ fuerunt, quas inter est trina immersio, quæ olim in Baptismate servabatur.

Alii tamen aliter divisionem istam exponunt, quatenus Traditio perpetua ab ipso Ecclesiæ initio floruit; temporalis autem post Apostolorum tempus incepit. Illa vel Divina est, vel Apostolica: hæc autem Ecclesiastica esse dumtaxat potest.

Traditio universalis ea dicitur, quæ, sive Divina sit, sive Apostolica, sive Ecclesiastica, omnes ubique gentium Fideles respicit, idest ad universam spectat Ecclesiam. Particularis vero Traditio apud unam dumtaxat, vel apud particulares quasdam Ecclesias obtinet. Hujusmodi esse non potest Divina Traditio, sed vel pure Apostolica, vel Ecclesiastica; qualis olim Romæ erat observatio jejunii in Sabbato, quam suo adhuc tempore viguisse testatur Augustinus in epist. 86. nunc 36. ad Casulanum, eandemque ex S. Petri institutione ortam juxta plu-

rimorum opinionem affirmat. De hac denique consuetudine scribit idem S. Doctor in calce illius epistolæ S. Ambrosium ita fuisse locutum: *Quando hic sum* (Mediolani videlicet) *non jejuno Sabbato, quando Romæ sum, jejuno Sabbato: & ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis aut facere.*

Traditio necessaria ea dicitur, quæ cum per modum præcepti fuerit instituta, servanda necessario est. Hujus sunt generis majorum quarundam Festivitatum observatio, usus etiam aquæ calici immiscendæ, mos insuper celebrandi Pascha in Dominica prima post decimam quartam Martii Lunam; tales denique sunt Divinæ Traditiones omnes; ac pleræque Apostolicæ, & Ecclesiasticæ pro loco & tempore, pro quo institutæ sub præcepto fuerunt.

Libera vero Traditio dicitur, cujus observantia prætermitti pro libito potest; cum non per modum præcepti, sed consilii fuerit introducta. Ita usus se Cruce signandi, aut lustrali aqua tingendi, ad liberas pertinet Traditiones, ac sine culpa potest omitti, nisi interveniat contemptus, aut proximo scandali præbeatur occasio. Vide quæ hac etiam de re scripsimus in Theologiæ Præludio c. 2. §. 2.

Postremo a Tyronibus nostris bene notatum volumus, non ideo Traditionem dici doctrinam non scriptam, quod nullibi scripta legatur; sed quia viva voce, non scripto, a suo primum Auctore processerit; quamvis deinde illam alii scripto mandaverint. Ita Divinæ, & Apostolicæ Traditiones in nullo quidem canonico libro inveniuntur expressæ, a Sanctis tamen Ecclesiæ Patribus fuere postmodum literis consignatæ.

CA-

CAPUT II.

Nonnullæ exponuntur regulæ, ut Divina Traditio ab Apostolica, & Apostolica ab Ecclesiastica secernatur.

HÆretici ex eo præsertim capite sacrarum Traditionum existentiam necessitatemque elevare conantur, quod constare nobis nullo modo possit ratio ac via veras a falsis, divinasque ab humanis Traditionibus discernendi. At perperam omnino, cum Theologi nostri quasdam passim assignent regulas, ad quas animum si attendere illi voluerint, in Traditionum vestigatione minime aberrabunt.

Prima itaque regula hæc esto: Considerandum est Traditionis, de qua tractatur, initium. Ut enim ait Augustinus in lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*. Hinc si Quadragesimalis jejunii quæras originem, videasque consuetudinem illam ab Ecclesia semper & ubique retentam, eamque neque ab ullo Romano Pontifice, neque ab ullo Episcoporum Concilio primitus institutam; recte inde concludes ex Apostolica Traditione descendere, quod in Quadragesima jejunemus. Hæc autem regula non in moribus solum, verum & in fidei dogmate

servanda est, si unumquodlibet novum esse calumnientur Hæretici. Lege Melchiorem Canum in lib. 3. c. 4.

Secunda regula: Spectanda res est, circa quam Traditio ipsa versatur. Si enim quod ex Traditione dimanat, Ecclesiæ potestatem excedat; ut si ad Sacramentorum materias & formas, eorumque institutionem attineat; dicendum profecto erit, id a Christo auctoritatem & initium habuisse, & Apostolos fuisse dumtaxat ejusdem rei præcones: proindeque non Apostolica, sed Divina dicenda est hujusmodi Traditio. Talis ex Cypriano in lib. 2. epist. 3. alias 63. est ritus, quo in Sacrificio aqua vino miscetur.

Tertia regula præcedenti affinis: Attendendum est, num mutari vel abrogari per Ecclesiæ auctoritatem id possit quod Traditione tenetur. Ecclesia enim, utpote Deo inferior, quæ ab illo sunt, mutare aut prorsus abrogare non valet; eandem præterea auctoritatem nunc habet Ecclesia, qua olim Apostolorum tempore fruebatur: si quid igitur Traditio doceat, quod per Ecclesiæ auctoritatem mutari vel antiquari non potest, non id ex Ecclesiastica, neque ex Apostolica, sed ex Divina Traditione manasse dicendum est: atque ita e converso, quod mutare vel tollere Ecclesia valet, non id ex Divina, sed ex Ecclesiastica, vel Apostolica Traditione descendit. Hinc cum quandoque Quadragesimalis jejunii obligationem omnino relaxet Ecclesia, liquet sane, ad Divinam illud Traditionem minime pertinere.

Quarta regula: Observandus in Traditionis negotio est communis SS. Patrum consensus. Quod enim illi, secundum suorum temporum suc-

successionem, semper & ab initio habuerunt ut fidei dogma, oppositumque sentientes uti hæreticos refutarunt; id etsi nullibi in sacris Literis expressum appareat, ad Divinam pertinet Traditionem. Talis est perpetua B. Mariæ Virginitas, certus Evangeliorum numerus, &c. Hujus autem regulæ ratio obscura non est: si enim omnes, aut fere omnes Ecclesiæ Patres in hoc errarent, erraret & ipsa quæ eos sequitur, ac sequi tenetur Ecclesia.

Quinta demum regula: Attendendum hac in re est Ecclesiæ judicium. Si enim adhibitis regulis aliis non adhuc constet, ex cujusnam generis Traditione dogma aliquod, vel consuetudo dimanet, considerandum est, quale ea de re judicium latum ab Ecclesia fuerit, quæ falli omnino non potest. Unde rectissime S. Augustinus in lib. 2. contra Cresconium c. 32. scribit: *Non accipio quod de baptizandis hæreticis & schismaticis B. Cyprianus sensit; quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.*

Hæc vero cum ita se habeant, jam patet primo, ad Divinam Traditionem id minime pertinere, cujus initium aut in Patrum statutis, aut in summorum Pontificum decretis, aut in Conciliorum Canonibus invenitur, licet in universa servetur Ecclesia. In iis enim quæ fidem moresque spectant, novæ revelationes admitti non debent; uti Theologi probant, docetque etiam Vincentius Lirinensis, qui in Commonitorio suo c. 9. ait: *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.* Quare, eodem testante Auctore, Concilia, summi-

que Pontifices ad hoc unum adversus Hæreticos animum attenderunt, *ut defenderent susceptæ semel religionis integritatem*. Patres etiam grande piaculum esse dixerunt, quidpiam affirmare quod auditum ante non fuerat: *Annunciare ergo*, inquit Vincentius c. 14. *aliquid Christianis Catholicis præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit: & anathematizare eos qui annunciant aliquid præterquam quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nusquam non oportet, nunquam non oportebit.*

Et sane, si quid recens revelaretur Ecclesiæ, vel notum id fuisset Apostolis, vel fuisset ignotum. Si primum, illud Apostoli docuissent; alioquin infideliter se in ministerio præbuissent. Si secundum, culpandus esset Christus, qui non omnia Ecclesiæ necessaria suos docuisset Apostolos, falsoque promisisset Spiritum Sanctum eos docturum esse omnem necessariam veritatem. Unde Tertullianus in lib. de Præscript. c. 22. de quibusdam sui temporis Hæreticis ait: *Solent dicere non omnia Apostolos scisse; eadem agitati dementia, qua rursus convertunt: omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse: in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit.*

Consonat & Irenæus ita scribens lib. 3. c. 3. *Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipso-*

ipsorum locum magisterii tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.

Ea denique veritas confirmatur ex Apostolo, qui in 1. ad Timoth. c. 6. v. 20. scribit: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. Quorum verborum iste est sensus: Custodi thesaurum sanæ & sacræ doctrinæ, intelligentiæ Scripturarum, & mysteriorum fidei: quem tu tuopte ingenio non invenisti, nec propria industria tibi comparasti, sed Deus & ego tibi quasi depositum integre servandum tutandumque tradidimus: ac devita profanas non modo rerum, sed vocum etiam novitates.

Ita profecto hunc textum inter alios interpretatur Vincentius Lirinensis c. 26. inquiens: *Non dixit, antiquitates; non dixit, vetustates. Immo plane quid e contrario sequeretur, ostendit. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas: & si profana est novitas, sacrata est vetustas.* Ac iterum c. 27. in eandem sententiam ita scribit: *Quid est, Depositum custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos.... Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; rem usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.*

Patet postremo, humanum errorem esse, non dogma divinitus traditum, quod perpauci, licet antiqui, Scriptores asserunt, repugnantibus aliis numero, doctrina, & auctoritate præcipuis;

puis; vel quod particularis tantum Ecclesia aliqua docet, aut servat, universali Ecclesia refragante. Fides enim nostra est antiqua, non recens; publica, non privata; Catholica, non particularis. Ut enim apposite scribit Vincentius Lirinensis in laudato Opere c.3. *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus; quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere, proprieque Catholicum: quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit: Sed hoc ita demum fiet; si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: Si hanc unam fidem veram esse fateamur; quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos Sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter, & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.* Alia plura huc spectantia præclare docet idem Auctor eo in libro, vere aureo, ad quem Tyrones nostros legendum sedulo relegendumque remittimus.



CA-

CAPUT III.

Ubi Divinas Traditiones admittendas esse probatur.

VEteres, recentioresque fere omnes Hæretici solam Scripturam pro fidei regula statuunt, divinasque Traditiones abjiciunt, ut illam in pravum sensum pro libito detorquentes, facilius veritati resistant, ac pervicacius perversa sua dogmata tueantur. Ita Ariani Filium Patri *Homousion* esse negarunt, eo quod vocabulum illud in Scriptura minime legeretur. Macedoniani etiam, & Eunomiani ob eandem rationem rejiciebant morem glorificandi Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio per ea verba: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Nestoriani similiter B. Virginem Mariam *Theotocon*, nempe *Deiparam*, fateri nolebant, alienam a Scripturis esse vocem illam ajentes. Pariter Eutychiani duas in Christo naturas admittere recusabant, quia dogma istud ex Scripturis se non didicisse dicebant. Nota insuper Pelagianorum vox est apud Augustinum in lib. de nat. & gra. c. 39. *Credamus quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus adstruere.*

Horum aliorumque veterum Hæreticorum vestigia persequens Lutherus, pluribus in locis contra Divinas Traditiones debacchatus est, ac præsertim in Comment. super Epist. ad Galatas c. 1. ita scripsit: *Neque alia doctrina in Ec-*

Ecclesia tradi, & audiri debet, quam purum Dei verbum, hoc est sancta Scriptura: Doctores, vel auditores alii, cum sua doctrina anathema sunto. Idem quoque Calvinus obganniit, inquiens in lib. 4. Instit. c. 8. n. 8 *Esto hoc firmum axioma, Non aliud habendum esse Dei verbum, cui detur in Ecclesia locus, quam quod Lege primum ac Prophetis, deinde Scriptis Apostolicis continetur; nec alium esse rite docendi in Ecclesia modum, nisi ex ejus verbi præscripto, & norma.*

At vero Catholici omnes præter scriptum Dei verbum admittunt & traditum, seu Divinam Traditionem, ex qua certum peti possit pro fide & moribus argumentum. Unde Synodus Tridentina sess. 4. in Decreto de canonicis Scripturis, *perspiciens hanc fidei veritatem, & morum disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto Traditionibus; quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur.* Sit itaque

Propositio. Tum ante, tum post Christi adventum viguit semper, vigetque adhuc Divinæ Traditionis evidens usus, ac certa necessitas.

Probatur. In statu legis naturæ, ab Adam scilicet usque ad Mosem, extitit vera fides, vera Religio, vera Ecclesia, quin ullus extaret liber

di-

divinitus inspiratus; uti fert communis opinio, ipsique Novatores admittunt. Ergo priscis illis Dei cultoribus pro necessaria fidei morumque regula non Scriptura fuit, sed Divina Traditio; quatenus filii a parentibus fidem, ac religionem, ritumque colendi Deum vivæ vocis oraculo addiscebant. Hinc Gen. c. 18. v. 19. Deus de Abraham ait: *Scio quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium, & justitiam*. Hinc & ipse Abraham circumcisionem a Deo primum acceptam Gen. 17. familiæ posterisque suis sine scripto exequendam indixit. Hinc demum in Psalmo 77. v. 6. legitur: *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera*.

In statu etiam Mosaicæ legis licet plura literis consignata jam essent, plura tamen creditu factuque necessaria ad salutem non nisi ex Majorum Traditione Judæi tenebant. Nusquam enim Scriptura declarat, quonam remedio expediri debuerint ab originali peccato femellæ, & qui ad Israeliticum populum non spectarent, vel qui morte præventi octavum diem minime attigissent. Ex sola insuper Traditione constabat legitimus Scripturarum canon, & sensus; ac per eandem denique edocti Judæi fuerant, futuram Christi mortem per cruenta sacrificia præsignari.

Quod item ad Evangelicæ legis statum pertinet, profecto patet Divinæ Traditionis a Christo ad nos usque necessitas. Ille enim nullum scripsit librum, neque Apostolis præcepit ut scriberent, sed ut prædicarent Evangelium omni creaturæ: quapropter isti viva prius voce Christi dogmata tradiderunt, ac deinde post ali-

aliquot annos pro data occasione, aut opportunitate literis exararunt. Primitiva igitur Ecclesia non Scripturam, sed solam Traditionem uti fidei morumque regulam observabat.

Sed & posteaquam plures novi fœderis libri conscripti fuerunt, Apostolus in 2. ad Thessal. c. 2. v. 15. adhuc ita Fideles hortatus est: *Itaque fratres state, & tenete traditiones*, (Græce παραδόσεις, nempe *præcepta*) *quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. Quæ quidem verba, uti interpretantur Patres, perpetuam in Ecclesia necessitatem Divinæ Traditionis ostendunt. Unde Chrysostomus hom. 4. in eum locum ait: *Hinc est perspicuum, quod Apostoli non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fide dignam. Est Traditio: nihil quæras amplius*.

Idem præterea Apostolus ita Timotheum in epist. 2 c. 1. v. 13. monet: *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, & in dilectione in Christo Jesu: Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum*. Quem textum exponens prælaudatus Chrysostomus inquit: *Non per literas solum discipulo, quæ agenda erant suggerebat, sed etiam verbis; quod & plurimis aliis in locis ostendit, dicens:* Sive per verbum, sive per epistolam, quasi per nos missam.... *Ne ergo putemus aliquid in doctrina deficere. Multa enim illi absque scripto tradidit, quæ in memoriam revocans dicit:* Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti.

In eadem quoque epistola c. 2 v. 2. legitur: *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios do-*

docere. Ubi profecto Paulus de Traditionibus verba facit: nam si de solis Scripturis ille loqueretur, non eas fidelibus verbi præconibus, sed librariis commendari juberet, uti in hunc locum adnotat Tirinus. Hinc & Arabica Versio habet: *Arcana quæ audisti, ea depone*..

Accedunt Ecclesiæ Patres, qui Catholicam hanc veritatem concorditer, constanterque tuentur. Horum primus sit Irenæus, qui in lib. 3. c. 3. Valentinianos exagitans inter alia scribit: *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: & habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur*.

Tertullianus in lib. de Corona militis c. 4. commemorat nonnullas Ecclesiæ observationes circa Baptismum, Eucharistiam, oblationesque pro defunctis, atque alia ejusmodi; indeque subjungit: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix*.

Sequitur Epiphanius in Hæresi 76. n. 8. ita perspicue scribens: *Potest vero quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere? quemadmodum a Salomone scriptum est*, Proverb. 1. v. 8. Audi fili sermonem patris tui, & ne repellas legem matris tuæ. *Quibus Patrem, hoc est unigenitum Deum, cum Spiritu Sancto declarat partim scripto, partim sine scripto docuisse: matrem vero nostram Ecclesiam decreta quædam habere penes se, quæ dissolvi evertique nequeunt.*

Nec

Nec minus aperte Basilius in lib. 3. de Spiritu Sancto c. 27. huic dogmati suffragatur, inquiens: *Dogmata, & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica.*

Tandem Augustinus hanc passim edocuit veritatem, ac præcipue in lib. 5. de Baptismo c. 26. ait: *Quod autem nos admonet*, Cyprianus, *ut ad fontem recurramus, idest ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.*

Laudatis denique Patribus assentiuntur alii ad unum omnes, quorum certa claraque testimonia collegerunt Bellarminus, Gretserus, Brancatus, Annatus, Berti, aliique innumeri, qui insuper demonstrarunt Patres & Concilia non Scriptura solum, verum etiam Traditione, & hac præsertim, hæreses refutasse.

Dictis adjunge, quod ut in priori libro cc. 4. & 8. probatum est, ad Ecclesiam spectet sacrorum librorum canonem definire, legitimumque illorum sensum interpretari. Atqui non nisi Traditione utens id præstat Ecclesia: non enim ex Scriptura ipsius Scripturæ canon ostenditur; neque illa ex privato spiritu, sed ex unanimi Patrum sententia debet exponi. Hinc referente Rufino in lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ c. 9. Sancti Basilius, & Gregorius Nazianzenus in Monasterio *per annos tredecim, omnibus Græcorum secularium libris semotis, solis*

lis Scripturæ divinæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex Majorum scriptis & auctoritate sequebantur; quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. Sed lege etiam Vincentium Lirinensem in Common.c.38.

Ad hæc, plura sunt fidei dogmata, quæ aut nullo pacto, aut non nisi obscure in sacris literis continentur. Credimus enim baptizandos esse infantes, valere Baptismum ab Hæreticis collatum, matrimonium ratum & non consummatum dissolvi per solemne Religionis votum, Deiparam denique virginitatem perpetuo coluisse; atque alia multa, quæ divina Traditione rejecta, demonstrari certo non possunt; cum aut nullatenus, aut non ita aperte in Scriptura legantur. Imo & quæ in sacris literis dogmata expressa patent, facile possunt in contrarium sensum detorqueri, si sanctorum Patrum Traditio contemnatur. Unde Tertullianus in lib. de Præscriptionibus c. 15. & sequentibus ex instituto docet, ut adversus Hæreticos magis Traditionibus, quam Scripturis utamur; cum istæ in varios sensus facile pertrahantur, illæ non item. Lege Canum in lib. 3. c. 3. Nos interim ad refellenda Novatorum sophismata veniamus.

CAPUT IV.

Diluuntur Hæreticorum objecta.

INnumera sunt argumenta, quæ contra sacrarum Traditionum existentiam necessitatem-

 que

que ab Hæreticis opponuntur: juxta vero nostrum disputandi morem difficiliora dumtaxat hic refutanda proponimus, illudque sit primum. Deuteronomii c. 4. v. 2. ait Moyses: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, Et ibidem c. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas*, Reiiciendæ itaque sunt Traditiones, quæ scripto Dei verbo nonnulla credenda adjiciunt, vel agenda.

Resp. objectis in locis non vetari quamlibet additionem ad scriptum in Deuteronomio verbum; alioquin enim omnes etiam Prophetarum, & Apostolorum libri vetiti essent, cum in iis multa addantur dogmata, & præcepta dogmatibus, præceptisque Mosaicis. Vetatur itaque Judæis additamentum contrarium, vel adulterans ea, quæ circa Dei cultum in Deuteronomio præscribuntur. Cum enim illi procliviores essent ad idololatriam, & superstitiosos gentilium ritus, provide jussit Moses, ut ingressi horum regionem, ea tantum *facerent Domino*, idest offerrent, quæ ipse præceperat; nec *adderent quidquam* ex sacrificiis ethnicorum; nec *auferrent*, aut *minuerent* quidquam ex sacrificiis aut sacrificandi modo ab ipso statutis. Vide utrumque contextum, ac præsertim secundum.

Ad rem ergo non faciunt adducta ex Deuteronomio verba; nisi inepte quis ita argumentari voluerit: Judæi idololatriam colere non debebant, sed Mosaica præcepta servare: igitur Christiani non debent Traditiones admittere, sed sola Scriptura debent esse contenti.

Notandum est insuper, non dixisse Mosen, Non addetis ad verbum, quod ego *scribo*; sed quod

quod ego *loquor*, & *precipio* vobis; ac vox illa *Verbum* (Hebraice דבר *dabar*) non solum divinam Scripturam significat, sed & legem viva voce prolatam.

Objiciunt 2. Christus Matth. 15. v. 6. Pharisæos increpans ait: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*: ac deinde v. 9. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*. Qui ergo pro Traditionum necessitate decertant, Pharisæorum inducunt morem, legisque divinæ contemptum. Quare S. Petrus in epist. 1. c.1. v.18. inquit: *Redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis*. Et Paulus ad Coloss. 2. v. 8. scribit: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum*.

Resp. Christum eo loci reprehendere traditiones, doctrinas, & mandata *hominum*; quæ scilicet ita hominum erant, ut Dei non essent; id est, quæ Pharisæi non ex Divino præcepto, neque ex Mosaica disciplina, sed ex proprio ingenio & arbitratu contra Dei mentem & voluntatem effinxerant. Ejusmodi enim erant traditiones, quæ eo in capite indicantur; nempe vel vanæ prorsus & futiles, ut superstitiosæ illæ lotiones v. 2. Vel etiam erroneæ, ut inquinari animam per cibos v.11. Vel denique naturali divinæque legi aperte contrariæ, ut parentum defraudatio vv.5.& 6. Alibi vero Christus quasdam Pharisæorum traditiones non obscure commendat, uti dum Matth.23. v.2. ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite*. Lege Hilarium in Psal. 2. n. 24

Petrus etiam in citato loco de humana traditione loquitur opposita naturalibus divinisque doctrinis ac præceptis, cui olim inhærentes ii ad quos scribit, *ignorantiæ desideriis serviebant*. Eodem tandem in sensu locutus est Paulus, nam e vestigio subdit: *Secundum elementa mundi, & non secundum Christum.*

Objiciunt 3. Ad Galatas c. 1. v. 8. scribit Apostolus: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit:* & v. 9. *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit*. Ergo præter Evangelium admittendæ non sunt Traditiones.

Et re quidem vera sola Scriptura sufficienter omnia continet, quæ ad salutem necessario requiruntur. Ut enim idem Apostolus ait in 2. ad Tim. c. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Resp. Apostolum ad Galatas non dixisse, præterquam quod scripsimus, sed præterquam quod evangelizavimus: at verbum evangelizatum Scripturam simul, ac Traditionem includit. Deinde tam Græcum παρὰ, quam Latinum *præter*, tum apud sacros, tum apud profanos auctores sæpissime idem ac *contra* significat; uti patet ex 1. ad Cor. 3. v. 11., ex Roman. 11. v. 24. &c. itemque ex Aristotele in 1. de Cœlo c. 3., ex Terentio in Andria, &c. Hunc etiam sensum objecto in loco illud *præter* habere, totius Epistolæ contextus & argumentum evincit. Loquitur enim Paulus de Pseudoapostolis, qui Ga-

Galatas recenter ad Christum conversos pellexerant ad circumcisionem, aliasque Judaicas ceremonias, quasi ad justitiam & salutem necessarias, una cum Evangelio conjungendas. Hæc itaque interpretatio laudato textui danda est: Sed licet aut nos mutata mente, aut Angelus de Cœlo, si fieri id posset, evangelizet vobis contrarium aut repugnans aliquid doctrinæ, quam nos evangelizavimus vobis, anathema sit. Ita passim Interpretes, quibus etiam Arabica, & Æthiopica Versiones adstipulantur. Non ergo rejiciendæ sunt Traditiones, sed potius admittendæ, quia non opponuntur doctrinæ quam Paulus Galatis de justificatione tradiderat; imo id sunt de quo Thessalonicensibus expresse mandaverat, *Tenete traditiones*. Lege objecti hujus ad Galatas testimonii expositionem apud Vincentium Lirinensem in Commonitorio c. 12. 13. & 14.

Ad 2. Illud *utilis est* idem denotat, ac conducit, & ad eum usum finemque condita est, ut doceat, arguat, &c. inde vero non sequitur, quod sola Scriptura sit necessaria, sola sufficiens: in eadem enim epistola c. 4. v. 11. Marcus dicitur *utilis ad ministerium*, nec tamen supervacanei erant Lucas, Timotheus, Titus, Onesimus. Utilis etiam ad nutriendum est cibus, nec tamen rejiciendus est potus. Utilis insuper Scriptura dicitur, quin tamen excludantur bona opera, & Sacramenta. Postremo loquitur Apostolus de Scriptura veteris Testamenti, nam v. 15. præmittit: *Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem*. At dum infans erat Timotheus, novi Testamenti Scriptura non adhuc extabat: dum deinde id Paulus Timotheo scribebat, nondum editæ erant

Apocalypsis, aut Evangelium Joannis, ejusve Epistolæ; quæ profecto ad nanciscendam perfectionem non sunt minus utiles, quam essent Scripturæ tunc conditæ, quas objecto in textum commendavit Apostolus.

Objiciunt 4. id quod Joannes in Apocalypsi scribit c. 22. v. 18. *Contestor omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Non ergo licet Scripturis Traditiones apponere.

Resp. hoc testimonio redargui Lutheranos, qui non solum de verbis prophetiæ libri hujus aliquid diminuunt, sed e divinarum Scripturarum Canone librum totum expungunt; non vero damnari Traditiones, quia non prohibetur, ne præter Apocalypsim aliquid aliud admittatur; alioquin addendi huic libro non essent Evangelia, Epistolæ, aliæque tum novi, tum veteris Testamenti Scripturæ. Solum ergo vetatur, ne verba Apocalypsis ab aliquo depraventur; quod duplici modo fieri potest; additione videlicet, ut si quis ad Apocalypsim apponat aliquid, quasi sit pars ejus, quæ revera pars non est. Vel diminutione, ut si detrahat aliquid, quasi ad illam non pertineat, quod revera ad eam pertinet. At neutrum faciunt Orthodoxi.

Objiciunt 5. S. Irenæus in lib. 3. c. 1. ait, Evangelium per Apostolos ad nos pervenisse; *quod quidem tunc præconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt.* In solis ergo Scripturis omnia fidei morumque dogmata ab Apostolis Ecclesiæ tradita conti-

nen-

nentur. Hinc idem Irenæus c. 2. inquit Valentinianos, dum e Scripturis arguuntur, ad Traditionem converti, *quia non possit inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem.* Tum in lib. 2. c. 28. docet *Scripturas perfectas esse;* ac lib. 4. c. 34. inveniri in illis *universam actionem, & omnem passionem Domini nostri prædictam.*

Resp. Irenæum non Apostolicas Divinasque Traditiones excludere, sed humanas quas, explosis Apostolicis ac Divinis, per summam insaniam obtrudebant Hæretici; ita nimirum (ait S. Doctor in lib. 3. c. 2.) *ut digne secundum eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Basilide, &c. Unusquisque enim ipsorum omnimodo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.*

Dum vero ait, Apostolos quod prius prædicaverant, literis postmodum consignasse, & Scripturas esse perfectas, &c. loquitur ille de præcipuis fidei morumque dogmatibus, & apposite ad hæreses quas refellit. Agit enim contra Valentinianos qui adversus Scripturas aperte unum Deum annunciantes, commenti fuerant *Dei, & Ennœæ ejus, & Verbi, & Vitæ, & Christi nativitates,* ac ipsum Dominum dicebant *labis fructum, & ignorantiæ prolationem;* ut legitur lib. 2. c. 28. n. 4. Et in lib. 4. c. 34. Marcionitas autumantes ab altero Deo esse Prophecias, ex eo refutat, quod hi omnia quæ Christus egit vel passus est, non obscure prædixerint, novumque Testamentum antiquis vaticiniis plane consentiat.

Distinguenda sunt igitur ea quæ credere omnes promiscue debent, ut Deum esse unum,
 &

& Trinum, Verbum hominem factum &c., ab iis quæ ab Ecclesia, ejusque Doctoribus, quasi in deposito, custodiuntur; ut hanc Scripturam esse canonicam, Patrem & Filium esse unum Spiritus Sancti principium, &c. Et primi quidem generis dogmata omnia ab Apostolis post prædicationem literis mandata fuerunt, non vero quæ secundi sunt generis, uti ex probationibus manifestum est.

Objiciunt 6. Tertulliani verba contra Hermogenem c. 22. *Adoro*, ait ille, *Scripturæ plenitudinem . . . Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat Væ illud adjicientibus, aut detrahentibus destinatum*. Solam ergo Scripturam pro fidei regula Tertullianus admisit omni Traditione rejecta. Nam & in lib. de carne Christi c. 7. contra Marcionem inquit: *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers*.

Resp. primo in loco Tertullianum agere adversus Hermogenem, qui Mundum non ex nihilo, sed ex præjacente materia conditum fuisse dicebat contra apertam illam Scripturæ sententiam Geneseos 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*; qua allata subjungit Tertullianus, *Adoro Scripturæ plenitudinem qua mihi & factorem manifestat & facta . . . . An autem de aliqua subjacente materia facta sint omnia nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat &c.* Horum proinde verborum iste est: Cum Scriptura plenissime afferat Deum universorum Conditorem esse, timeat Hermogenes væ illud destinatum adjicientibus aliquid Scripturæ contrarium, cujusmodi est, Mundum esse factum ex materia Deo coæterna, vel detrahentibus aliquid

quid ad eandem Scripturam pertinens, ut in proposito est, Deum in principio Cœlum terramque e nihilo condidisse. Ex quo autem Tertullianus affirmet Scripturam plene dogma istud exponere, falso concluditur, illum putasse quod omnia prorsus dogmata contineat, sitque rejicienda Traditio.

Neque secundum Tertulliani testimonium Traditiones eliminat, sed miserrimum Marcionis effugium, qui ne humanam Christi fateretur generationem, rescissis pluribus Evangelii verbis, versum 47. capitis 12. Matthæi, *Ecce mater tua, & fratres tui, &c.* hac ratione studebat eludere, *Tentandi gratia nuntiaverant ei matrem, & fratres, quos non habebat:* hæc ibidem Tertullianus, qui ostendens citato in versu non esse materiam tentationis, ut est cap. 19. v. 3. & c. 22. v. 35. *Non recipio*, inquit, *quod de tuo infers:* nuntiatum nempe Christo, *Ecce mater tua*, &c. tentandi animo, non quod revera matrem ac fratres haberet.

Objiciunt 7. S. Cyprianus in epist. 74. ad Pompejum nihil præter Scripturas probandum asseruit, Traditionemque contempsit. Cum enim Stephanus Romanus Pontifex contra Rebaptizantes rescripsisset: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est;* respondit ille: *Unde est ista traditio? . . . Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur.*

Resp. idcirco Cyprianum citato in loco ad sacras literas provocasse, quoniam arbitrabatur traditionem præscriptam a Stephano commentitiam esse, Scripturisque unam Fidem, & unam Ecclesiam commendantibus repugnantem; paratus tamen erat S. Martyr recipere peranti-

tiquam & Apostolicam Traditionem, uti sub finem ejusdem epistolæ ait: *Si in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas; ad originem Dominicam & Evangelicam, & Apostolicam traditionem revertamur.* Et paulò ante finem: *Si ad divinæ traditionis caput & originem revertamur, cessat error humanus.* Denique in epist. 63. ad Cæcilium Traditionem aperte commendat inquiens; *ut in Calice offerendo Dominica traditio servetur . . . . . ut Calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.*

Objiciunt 8. S. Hieronymus in Psal. 86. ait: *Quamvis sanctus sit aliquis post Apostolos: quamvis disertus sit, non habet auctoritatem.* Et in c. 1. Aggæi: *Quæ absque auctoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Præterea contra Helvidium: *Ut hæc quæ scripta sunt non negamus, ita ea quæ non sunt scripta renuimus.* Hisce similia alibi quoque scribit, ac præsertim in cap. 23. Matthæi, ubi ait: *Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Ex quibus apparet docuisse Hieronymum, quod sola Scriptura sit infallibilis fidei morumque regula.

Resp. S. Doctorem in Psal. 86. asserere quod privata scripta non sunt Apostolicis comparanda, & quæ *paucis scripta fuerunt*, abscindenda sunt a canone eorum, *quæ principes Ecclesiæ, & principes Christi non scripserunt paucis, sed universo populo.* Rejicitur ergo a Hieronymo privata commentatio; non universalis Traditio, quæ vel a Christo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia dimanavit, suamque ab eis aucto-

ritatem obtinuit. Ceterum Breviarium in Psalmos, ex quo Expositio ista deprompta est, falso Hieronymo adscribitur, uti Eruditi omnes adverterunt.

Altero in loco Hieronymus de iis loquitur, quæ sponte *confingunt* Hæretici, nec a Majoribus acceperunt; ut *observationes varias*, *chameunias*; idest, *humi dormitiones*, &. *xerophagias*, idest, *aridas epulas*, ineptiasque *de Tatiani radice crescentes*.

Ad 3. Cum Helvidius affirmaret; *Mariam nupsisse post partum*, Scripturisque garriret, apposite Hieronymus iisdem armis revincit hæreticum. Ceterum S. Doctor ibidem scribit posse Helvidium etiam Traditione refelli: *Numquid non possum tibi totam veterum Scriptorum seriem commovere; Ignatium; Polycarpum, Irenæum, Justinum Martyrem, multosque alios Apostolicos, & eloquentes viros?*

Demum in c. 23. Matthæi non rejicit Hieronymus legitimas traditiones, sed apocrypha scripta, cum contra eos agat, qui Zachariam filium Barachiæ occisum inter templum & altare, esse Zachariam patrem Joannis, *ex quibusdam apocryphorum somniis approbabant*.

Objiciunt 9. S. Augustinum, qui in epist. 82. alias 19. ad Hieronymum ita scribit: *Solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam*. Rursus in lib.2. de doct. Christ. c.9. ait: *In iis enim, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur ea omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi*. Item tract. 49. in Joannem: *Electa sunt quæ scriberentur, quæ*

quæ saluti credentium sufficere videbantur. Ac demum in lib. de bono Viduitatis c. 1. *Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquam oportet sapere*. Ex quibus profecto testimoniis fatis superque monstratur, Augustinum solam Scripturam habuisse pro sufficiente fidei morumque regula, flocciique fecisse Patrum traditionem in nullo Canonico libro conscriptam.

Resp. ad 1. Augustinum ibi dumtaxat asserere, quod privati Auctoris libri non eo excipiendi sint honore, quo divinas Scripturas excipimus. Subdit enim: *Non te arbitror, sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant dubitare nefarium est*. At Traditio, de qua præcipue loquimur, non privati hominis est dogma, sed Dei.

Ad 2. Post objecta verba sequuntur hæc alia: *Spem scilicet atque charitatem, de quibus superiore libro tractavimus*. Atqui in lib. 1. de doct. Christ. non tractat S. Doctor de dogmatibus universis, sed de præcipuis tantum fidei morumque præceptis, quorum cognitio & observatio cuilibet necessaria est ad salutem.

Ad 3. Non ibi loquitur Augustinus de omnibus creditu necessariis, sed de fide in Christum, cujus divinitas sufficienter ostenditur ex ipsius miraculis, quæ scripta sunt, ac signanter ex Lazari resurrectione; etsi ille multa dixerit feceritque quæ scripta minime fuerunt, uti Joannes c. 21. v. 25. testatur.

Ad 4. Eo in loco de alia re non agit S. Doctor, quam de bono, sive perfectione viduitatis; aitque Scripturam, ideft Apostolum in 1.

ad Cor. c. 7. v. 8., aperte indicare quid agendum sit, ut Viduæ status sui perfectionem attingant. Sunt tamen alia dogmata, in quibus non Scriptura, sed Traditio doctrinæ regulam figit; idque etiam Augustinus asseruit, uti ex ejus testimonio supra in probationibus adducto colligitur, cui addi plura possunt legenda apud Bellarminum, Berti, &c.

Alia hic sanctorum Patrum testimonia obtrudunt Hæretici, quibus solas illi Scripturas non raro commendant. Ut vero respondeas, adverte 1. Patres aliquando in subjecta materia loqui, apposite scilicet ad hæresim aliquam refellendam, aut ad determinatum aliquod dogma probandum; cui profecto rei Scripturæ sufficiunt, posteaquam earum canon & sensus per Traditionem in Ecclesia custoditam nobis innotuit. Atque ita Irenæum contra Marcionem, ac Tertullianum contra Hermogenem fuisse locutos superius dictum est. Ita etiam Athanasius sæpe, & Constantinus M. apud Theodoretum lib. 1. c. 7. inquiunt Verbi divinitatem ex Scripturis ostendi.

II. Patres quandoque idcirco docent in Scripturis omnia contineri, quia non de singulis, sed de præcipuis fidei morumque dogmatibus differunt, uti supra exposuimus Augustini verba ex lib. 2. de doct. Christ. c. 9. Hoc etiam in sensu Chrysostomus hom. 13. in 2. ad Cor. Scripturam appellat exactam rerum omnium *lancem ac normam*; itemque Basilius in Regulis brevioribus n. 95. de Episcopo asserit: *E divinis literis edifcat rectum, & necessarium.*

III. Dum Patres nihil præter Scripturas probandum affirmant, earumque auctoritatem expostulant, intelligendi plerumque sunt de hi-

sto-

ſtoriolis e Scriptura apocrypha hauſtis, vel de dogmatum novitate ſpuriis ſuppoſitiſque libris innixa, ac ſacris etiam Scripturis adverſa; vel demum de obſcuriſſimis quæſtionibus, quæ Traditione reſolvi non poſſunt. Ita ſupra explicavimus Hieronymi verba in c. 23. Matthæi, eodemque in ſenſu Theophilus Alexandrinus Origeniſtarum commenta refellens in 2. epiſtola Paſchali ait: *Dæmoniaci ſpiritus eſt inſtinctus, ſophiſmata humanarum mentium ſequi, & aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum*. Huc denique refertur Auguſtini monitum, quod tradit in lib. 2. de peccat. mer. c. 36. agens de obſcuriſſima tunc quæſtione circa traducem animorum: *Ubi de re obſcuriſſima diſputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in partem alteram declinando*: dictique ſui hanc ibidem rationem aſſignat, *ut magis inquiſitio cauta laudetur, quam præcipitata reprehendatur aſſertio*. At quæſtio obſcura non eſt, ubi Catholicæ Eccleſiæ eſt manifeſta Traditio. Unde idem S. Doctor in lib. 1. contra Creſconium c. 33. ſcribit: *Quiſquis falli metuit obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat*.

Objiciunt 10. ex ratione. Fidei regula neceſſaria eſſe debet, & conſtans, & certa: Atqui ejuſmodi non eſt Traditio; I. quia is qui accipit, vel non ſatis accurate auſcultat, vel morbi, ætatis, naturæque injuria nonnunquam obliviſcitur, vel certe interdum moritur, antequam tradat accepta. Deinde quia quæ de aure in aurem tranſeunt, aut in dies majora fiunt,

aut

aut profecto non eadem perseverant, sed mutatis auribus ob multiplicem humanorum eventuum causam permutantur: quin etiam pereunt, nisi ea literarum monimenta conservent. Quidquid igitur ad infallibilem certissimamque fidei regulam spectat, sola divina Scriptura complectitur.

Resp. quod si providentiam curamque neges qua suam Christus regit Ecclesiam, ex argumento sane consequitur, neque traditum, neque scriptum verbum fuisse servatum: ut enim illud in auribus, & lingua mutari multifariam potuit, ita etiam istud potuit ab amanuensi adulterari, tinea corrodi, igne incendi, temporumque injuria depravari. Sed si Christo curæ Ecclesiam suam esse fateberis, jam non erit ambiguum, quin illa utrumque verbum, scriptum scilicet, traditumque, servaverit. Ineptum itaque argumentum est, in quo haud secus ratiocinantur Hæretici, ac si non divinitus res Ecclesiasticæ gererentur.

Sunt insuper singularia quædam Traditionum adminicula, perpetuus Ecclesiæ usus, Episcoporum successio, Conciliorum canones, Patrumque scripta; quibus ea quæ de aure in aurem transeunt, ut deleri oblivione non possint, firmantur moribus fidelium, consuetudine, disciplina, præceptionibus, ac literarum insuper munimentis; quamvis etiam absque scripto possit constare Traditio, ut de barbaris gentibus inquit Irenæus in lib. 3. c. 4. *Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta & atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes*. Sicut itaque Ecclesia in sensu potius

tius quam in litera Evangelium, Deo providente, custodit; ita & ceteras custodit Traditiones, quas ei Apostoli tantopere commendarunt. *O Timothee, depositum custodi, &c.* ex epist. 1. ad eundem Timotheum c. 6. v. 20.

At instant. Si Veterum traditionibus fidem & religionem nostram asserimus, id Pagani, id Judæi, id Saraceni faciunt; eoque præsertim nomine sectas suas retinent, quod quemadmodum nos, ita ipsi quoque Majorum institutis inhærent, eaque longissimi temporis possessione defendunt. Nostra autem disciplina non est Pythagorica, ut traditionibus quasi vestigiis insistamus, ac pseudomagistris irrationabilem præstemus assensum.

Resp. quod ad credendum Ecclesiæ proponenti accepta a Majoribus nostris dogmata quorum Deus est auctor, certa nos pertrahant argumenta, quæ in alia qualibet secta, vel hæresi non habentur. Lege quæ scripsimus in lib. 14. c. 4. Sicut itaque non irrationabiliter assentimur Ecclesiæ, dum Scripturarum canonem sensumque definit, ita neque dum acceptas ab Apostolis Traditiones exponit: proindeque non est absurdum asserere, disciplinam nostram in eo esse similem Pythagoricæ, aut hanc potius nostræ esse similem, quod sicuti Pythagoræ discipuli de magistri dogmatibus interrogati, nihil aliud respondebant, quam, *ita visum fuisse Pythagoræ*, sic etiam Christiani dogmatum suorum hanc proferant rationem; *Ita tradiderunt Apostoli, veteresque Ecclesiæ Doctores*. Hinc apposite Nazianzenus in 1. adversus Julianum Steliteutica, sive Invectiva, scribit: *Primum & maximum Pythagoræ præceptum erat, ut si quis di-*

discipulos suos de dogmatibus interrogasset, aut eorum rationem aliquam exegisset, nihil aliud responderent, quam quod ita visum fuisset Pythagoræ; essetque illa dogmatis ratio inculpabilis. Ita ergo, ac multo etiam magis, exigit ratio, ne fidem nos denegemus iis, quæ a divinis dicta sunt hominibus, habeaturque pro rationis demonstratione fide digna illorum relatio omni vi rationabili & irrationabili validior. Lege Canum lib. 3. c. ult. in fine.

Urgent vero. Vel ipsi priorum seculorum Patres falsa quandoque dogmata pro divinis Apostolicisque traditionibus venditarunt; uti tum aliis demonstrari potest exemplis, tum illo tritissimo, quod Papias apud Eusebium lib. 3. H. E. c. ult. ex non scripta traditione peregrinas Salvatoris parabolas, regnumque Chiliastarum invexit; quem in errorem inciderunt quoque Justinus, Irenæus, Lactantius, aliique.

Resp. patere argumenti solutionem ex dictis in fine cap. 2. Non enim si unus aut item alter prætexerit traditionum auctoritatem, fidem nos ei statim debemus adjungere. Nam & nonnulli sacras literas præferunt, quos jure ac merito explodimus, quoniam sacrarum literarum testimoniis abutuntur. Attendendum est igitur ad communem Patrum consensum, Ecclesiæque judicium; quorum utroque modestiorum etiam Chiliastarum dogma refelli satis ac super ostendimus in lib. 3. c. 8.

Insistunt denique. Patres etiam quum inter se unanimi assertione consentiunt, vel narrant ut testes ea quæ ipsorum tempore credebat, aut gerebat Ecclesia; vel ut doctores, quod sentiunt, nobis exponunt. Atqui quocumque

modo loquantur, errori inveniuntur obnoxii. Probatur prima pars minoris. Nosse, quæ singulis seculis fuerit Ecclesiæ sententia, est cognitio non juris, sed facti; non fidei, dogmatisque, sed solius historiæ: Patres autem in re facti, & historica errare potuerunt, imo reipsa eorum plures errarunt. Probatur etiam altera pars minoris. Esto Patres sanctitate, doctrinaque claruerint, homines tamen illi fuerunt; in sua igitur proferenda sententia decipi potuerunt, cum specialem Spiritus Sancti assistentiam nequaquam habuerint, qualem habuere librorum canonicorum divinitus inspirati Scriptores.

Resp. negando utramque minoris partem. Et quod ad primam ejus probationem pertinet, etsi dare vellemus, falli posse Patres in simplici facto; non tamen dicendum est, posse eosdem falli in facto, quod cum dogmate, ac jure connectitur. Sit exemplum: Quæstio facti est, an libri canonici quos Ecclesia legit, sint sacra Scriptura & Verbum Dei; sive an a Prophetis, Evangelistis, & Apostolis sint conscripti; quæstio tamen meri facti non est, sed quæstionem juris involvit; an scilicet Deus sacram Scripturam sive Verbum suum a Prophetis, Evangelistis, & Apostolis, literis mandatum, Ecclesiæ suæ tradiderit. Quare qui negaret hos, qui in Ecclesia leguntur, libros ab Agiographis Auctoribus fuisse compositos, consequenter assereret nullam in Ecclesia sacram Scripturam extare. Ita similiter quæ singulis seculis fuerit Ecclesiæ sententia, facti quidem quæstio est; quæ tamen cum jure conjungitur, cum ea scilicet quæstione, quænam seculis illis ob-

obtinuerit vera fides. Si itaque universi Patres, quando ut oculati testes, & ab Ecclesia approbati recensent, quid ipsorum tempore circa fidem sentiret Ecclesia, errasse dicantur, consequens profecto erit, Ecclesiam quoque errare, quæ illos ut incorruptos testes sequitur, sequendosque proponit.

Ad alteram igitur probationem jam ex dictis patet explorata responsio. Etsi enim ex argumento descendat, singulos Patres seorsim sumptos decipi potuisse, non tamen simul omnes, cum fidei dogma tradunt; alioquin & ipsa deciperetur Ecclesia, quæ eos non solum ut testes sequitur, verum etiam ut doctores.

Objiciunt ultimo. Plura Patrum opera, quæ pro genuinis habita quandoque fuerunt, nunc passim in dies ab Eruditis rejiciuntur ut spuria. Temporum item injuria, hominumque vel imperitia, vel malitia, quæ ab illis fuerunt in lucem edita, variis in locis immutata, & adulterata leguntur: quare timere prudenter possumus nihil integrum incorruptumque in Patrum libris existere. Illorum præterea sensus aliquando adeo involuti implexique sunt, ut vix ullum lector certum sensum possit elicere. Frustra igitur Patrum testimonia quærimus, ut antiquæ traditionis & fidei dogmata cognoscamus.

Resp. neminem asserere jure posse, quod vel omnia Patrum opera, vel major illorum pars, sint supposita, vel corrupta: alioquin aliis etiam omnibus veterum Auctorum libris deroganda esset fides, atque ita unusquisque posterorum in profunda antiquitatis ignoratione maneret. Ex iis itaque Patrum Operibus quæ vulgo pro

genuinis & incorruptis habentur, antiquæ traditionis dogmata demonstramus. Cumque præterea nemo merito dixerit, aut omnes, aut plerosque Patrum sensus obscuros esse, consequitur, recte nos ad probandam Ecclesiæ traditionem sensus quos manifestissimos novimus, adhibere: si quos autem invenimus obscuros, eos usurpare non cogimur, cum de fidei summa disserimus. Sed lege Natalem Alex. in Hist. Eccl. secundi seculi Dissertatione XVI. ubi hæc aliaque Riveti, ac Dallæi sophismata cavillosque egregia responsione confutat.



DE

DE PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ LOCIS

LIBER III.

In quo de Ecclesia disputatur.



Otatum jam alibi est inter Theologiæ locos recensendam esse Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem, ex qua ad confirmandam fidem, dirigendosque mores invicta possint argumenta proferri. Hoc itaque nunc dogma ex professo pauloque prolixius ostendendum aggredimur; quod ut bene perspicueque præstemus, exponendum est etiam, quid Catholicæ Ecclesiæ nomen importet, quanam illa possit ratione describi, quibus constet membris, quibus insuper characteribus innotescat, quibus denique proprietatibus insignita præfulgeat.

CAPUT I.

De Ecclesiæ nomine, & definitione, figurisque ac parabolis quibus illa in Scripturis exprimitur.

ECclesia Græcum est nomen derivatum a verbo ἐκκαλέω, quod Latine significat *evoco*; quapropter Ecclesia juxta vim nominis *concio*, *cœtusque vocatorum* rectissime nuncupatur. Ut enim Theologi communiter adverterunt, nemo se huic populo ex proprio instinctu adjungit; sed omnes quotquot veniunt, a Deo vocatione præveniuntur. Nam primum beneficium quod Sancti a Deo recipiunt, est ipsa vocatio. *Quos vocavit* (inquit Apostolus Rom. 8. v. 30.) *hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit*. Hinc sæpe idem Apostolus Christianos *vocatos* appellat, uti Rom. c. 1. v. 6. & 7. necnon 1. Cor. c. 1. v. 2. & 9. ac alibi passim.

Ad istud Ecclesiæ etymon attendens Augustinus, ac exponens ea Pauli verba Rom. 1. v. 1. *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei*, Ecclesiæ discrimen a Synagoga deducit, inquiens Expositione inchoata in epist. ad Rom. *Breviter in duobus verbis Ecclesiæ dignitatem a Synagogæ vetustate discernit. Ecclesia quippe ex vocatione appellata est, Synagoga vero ex congregatione.*

Con-

Convocari enim magis hominibus congruit, congregari autem magis pecoribus: unde greges proprie pecorum dici solent. Quamvis ergo, plerisque Scripturarum locis, ipsa Ecclesia grex Dei, & ovile Dei, & pecus Dei vocetur; tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent. Et apparet, hujusmodi homines non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissionum tanquam terreno pabulo esse contentos. Paulus *ergo* servus Christi Jesu vocatus *est* Apostolus, *quæ vocatio illum cooptavit Ecclesiæ.* In Evangelium *autem* Dei segregatus *est*, *unde nisi a grege Synagogæ.*

Generaliter tamen acceptum Ecclesiæ nomen quandoque usurpatur pro quacunque concione, infidelium etiam, ac impiorum: unde in Psalmo 25. v. 5. legitur: *Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.* In Actis quoque Apostolorum c. 19. v. 32. conventus Ephesinus contra Paulum concitatus dicitur *Ecclesia confusa*. Aliquando insuper ipse locus, quo hominum multitudo confluit, Ecclesia nuncupatur; cujus sane rei plura in sacris literis occurrunt exempla.

Præterea, Angelorum, hominumque societas, tum in Cœlo regnantium, tum militantium in terra, tum denique patientium in purgatorio, interdum Ecclesiæ nomine designatur. Quandoque vero vocabulum illud viatoribus solum fidelibus adscribitur, qui in terra adhuc cum immanissimis hostibus, Mundo, Carne, ac Dæmone præliantur.

Rursus idem nomen non raro tribuitur Prælatis Ecclesiæ, ut Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ:* tribuitur item particularibus fidelium con-

gregationibus, uti sæpe in Apocalypsi, & in Paulinis Epistolis; ac postremo passim adscribitur universo fidelium cœtui ubique gentium existenti.

Ecclesia in hoc ultimo sensu accepta non eodem modo a Catholicis, Hæreticisque describitur. Horum enim plures cum vel solos justos, vel solos prædestinatos ad Ecclesiam spectare contendant, perperam definire illam solent, quod sit justorum, vel prædestinatorum cœtus. Quidam insuper Catholici ajunt Ecclesiam esse cœtum Sanctorum Deo servientium sub uno capite Christo Jesu. Hæc autem definitio designare videtur solam Ecclesiam triumphantem in Cœlis, vel saltem Ecclesiam abstrahentem a triumphante, & militante; non vero militantem Ecclesiam, de qua solummodo hic tractatur.

Melius itaque ab aliis definitur, quod sit hominum cœtus unius ejusdemque fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione conjunctus, sub uno Capite Christo Jesu, ac sub regimine legitimorum Pastorum, præsertim vero Romani Pontificis.

Tres ergo partes descriptio ista complectitur; veræ nimirum fidei professionem sub Christo Capite: proindeque excluduntur infideles omnes, qui nunquam in Ecclesia fuerunt, ut Judæi, Turcæ, Pagani; & qui licet olim in ea fuerint, postmodum exierunt, uti Apostatæ, & Hæretici. Altera descriptionis pars est Sacramentorum participatio, cujus defectu ab Ecclesia excluduntur Catechumeni, qui nondum admissi sunt, & Excommunicati, qui ab Ecclesia sunt ejecti. Tertia denique pars est subjectio uni Christi Vicario: quapropter excluduntur Schismatici, qui etsi fidem habeant, & Sacramenta,

cum

cum tamen legitimo Paſtori, Romano nempe Pontifici, non ſubdantur; idcirco foris profitentur fidem, foriſque Sacramenta percipiunt. Includuntur autem omnes alii, etiamſi peccatores ac reprobi; dummodo veram Chriſti fidem profiteantur, in Sacramentis communicent, legitimumque vice Chriſti Paſtorem agnoſcant. At hæc ex infra dicendis maniſeſtiora reddentur.

Plures autem ſunt figuræ, quibus in veteri ac novo Teſtamento deſignatur Eccleſia: harum præcipuas dumtaxat recenſebimus nunc, ac paucis exponemus. Prima ergo figura fuit Paradiſus terreſtris, cum quo quanta ſit Eccleſiæ ſimilitudo, ita explicat Auguſtinus in lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 1. *Eccleſia Paradiſo comparata indicat nobis poſſe quidem ejus Baptiſmum homines etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradiſi, ſicut Scriptura teſtatur, etiam foras largiter manaverunt. Nominatim quippe commemorantur, & per quas terras fluant, & quia extra Paradiſum conſtituta ſunt, omnibus notum eſt: nec tamen in Meſopotamia, vel in Ægypto, quo illa flumina pervenerunt, eſt felicitas vitæ, quæ in Paradiſo commemoratur. Ita fit, ut cum Paradiſi aqua ſit extra Paradiſum, beatitudo tamen non ſit niſi intra Paradiſum. Sic ergo Baptiſmus Eccleſiæ poteſt eſſe extra Eccleſiam, munus autem beatæ vitæ non niſi intra Eccleſiam reperitur.*

Eva quoque alteram Eccleſiæ figuram expreſſit, de qua idem S. Doctor hæc habet tract. 9. in Joan. *Dormit Adam, ut fiat Eva: moritur Chriſtus, ut fiat Eccleſia. Dormienti Adæ fit Eva de latere; mortuo Chriſto lancea percutitur*

la-

latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia: Cui non appareat, quia in illis tunc factis futura figurata sunt, quandoquidem dicit Apostolus ipsum Adam formam futuri esse?

Tertia Ecclesiæ figura fuit Arca Noe. Sicut enim extra Arcam nulli patebat aditus ad salutem, ita nemo extra Ecclesiam potest ad æternam gloriam pervenire. Rursus sicut in Arca animalia munda & immunda simul erant, ita in Ecclesia probi sunt simul, & improbi. Denique sicut in Arcam non nisi a latere patebat ingressus, ita in Ecclesiam quis ingredi non potest nisi per Christi latus, a quo Sacramenta fluxerunt. Lege S. Augustinum in lib. 12. contra Faustum cc. 14. 15. &c. & Hieronymum in epist. 15. alias 57. ad Damasum.

Quarta figura eluxit in veterum Patriarcharum uxoribus; imprimis vero in Sara uxore Abrahami, & in Rebecca Isaaci, & in Rachele ac Lia Jacobi; in eoque præcipue sitam esse comparationem observat Augustinus in lib. 1. de Bapt. contra Donat. c. 15. & sequent. quod sicut insignes illæ matronæ non tantum ex sinu suo, sed etiam ex utero ancillarum in quas jus habebant, liberos pepererunt; ita & Ecclesia non tantum in sinu suo parit filios, sed etiam de ancillarum sinu, hoc est inter ipsos Hæreticos. *Ecclesia*, inquit S. Doctor ibi c. 15. *omnes per Baptismum parit, sive apud se, id est, ex utero suo; sive extra se de semine viri sui: (sive de se, sive de ancilla).* Ex quo colligit Augustinus nasci aliquos Ecclesiæ filios in ipsis Hæreticorum sectis, horumque Baptisma valere.

Et hæ quidem figuræ Legem Mosaicam præcesserunt: hujus autem Legis tempore duplex in-

insignior extitit Ecclesiæ figura. Prima resplenduit in Templo Jerosolymitano, ad quod Judæi omnes ex Legis præscripto accedere tenebantur, ut celebrarent Pascha, suaque Deo sacrificia redderent; adeo ut profanus haberetur, quicunque Paschalem agnum extra Jerosolymam ederet, aut alia sacra perageret. Eo itaque Templo significabatur Ecclesiæ Catholicæ unitas & amplitudo, in quam gentes omnes undequaque confluerent, & extra quam nemo posset sperare salutem. Ita passim id explicat Augustinus, explicatque Hieronymus in laudata superius ad Damasum epistola.

Secunda figura legitur Danielis c. 2. ubi lapis primum quidem parvus apparuit; at magnum postea excrevit in montem, universamque terram implevit. Quod de Ecclesiæ diffusione in omnes gentes intelligendum esse advertit Augustinus tract. 4. in Joan. ac sæpe dum Donatistas impugnat.

Neque in veteri solum Testamento, sed & in novo, figuris expressa legitur Christi Ecclesia. Ex illis tres tantum hoc loco seligimus exponendas, quibus etiam parabolas adjungemus, per quas Ecclesiæ characteres dotesque signantur.

Primo itaque denotata fuit Ecclesia in vase illo, velut linteo magno, quod e Cœlo descendere vidit Apostolorum Princeps S. Petrus in mentis excessu, Act. c. 10. Sicut enim illud quatuor initiis submitti visum est de Cœlo in terram, ac intra se claudere omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli; nempe tam munda animalia, quam immunda: ita & Ecclesia ad nos e Cœlo delapsa, & per quatuor Mundi plagas expansa, sinu suo complectitur quasvis gentes, quantumcunque ferinis antea

tur-

turpibusque moribus inquinatas, atque a legali Judæorum munditie alienas. Lege Interpretes.

Secunda figura fuit duplex jubente Christo facta piscatio. Altera ante ejus mortem Lucæ 5. altera post ejusdem resurrectionem Joan. 21. Per priorem quidem piscationem, qua specialiter non jubetur in quam partem mittendum sit rete, præsens Ecclesia designatur, quæ bonos simul malosque comprehendit, nec eligit quos trahat, quia quos eligere possit ignorat; & quæ schismatibus obnoxia est, sive recedere ex ea possunt aliqui unitate disrupta; quemadmodum etiam in citato Lucæ textu v. 6. legitur, quod *rumpebatur rete*. Per posteriorem vero exprimitur Ecclesia jam in Cœlo triumphans, in qua multi pisces capiuntur & magni, nec tamen rete disrumpitur; quia nimirum sancta Electorum Ecclesia in continua Auctoris sui pace quiescens, nullis jam dissensionibus agitatur. Vide Augustinum tract. 122. in Joan. & Gregorium hom. 24. in Evang.

Dominica quoque vestis, ac inconsutilis tunica tertiam Ecclesiæ figuram exhibuit. Augustinus enim tract. 118. in Joan. quærit; *Quid significet in tot partes vestimentorum facta divisio, & de tunica illa sortitio*; ac ita respondet: *Quadripartita vestis Domini Jesu Christi quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam, toto scilicet qui quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam, & omnibus eisdem partibus æqualiter, idest concorditer distributam... Tunica vero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur .... Merito ergo vestis, qua* charitas *significatur, desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem, ne aliquando*

do diffuatur ; & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit.

Prima vero parabola est illa Areæ, quæ a Joanne Baptista proposita legitur Matth. 3. v. 12. ubi Christus habere dicitur ventilabrum in manu sua, quo *permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Augustinus enim aliique per aream illam intelligunt Christi Ecclesiam, quæ bonos simul habet & malos, sicut in area frumentum simul manet & palea: cum vero ventilationis tempus advenerit, tunc illud ab ista, mali nimirum a bonis, per Christi sententiam secernentur. *Area*, inquit S. Doctor Enarrat. 2. in Psal. 25. n. 5. *Area est Ecclesia hujus temporis ; & paleam habet, & frumentum. Nemo quærat exire totam paleam, nisi tempore ventilationis. Nemo ante tempus ventilationis deserat aream, quasi dum non vult peccatores ; ne præter aream inventus, prius ab avibus colligatur, quam ingrediatur in horreum.*

Secunda est Agri, in quo cum Paterfamilias zizania simul cum tritico apparuisse scivisset, noluit ea colligi a servis suis, ne forte colligentes zizania, eradicarent simul cum eis & triticum. *Sinite*, dixit ille, *utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Extat hæc Christi parabola apud Matthæum c. 13. v. 24. & seq. eademque ita exponitur ab Augustino, ut per agrum qui Mundum denotat, significetur Ecclesia toto terrarum Orbe diffusa: atque vel ex eo unico momento convinci Donatistas affir-

affirmat, apud ipsos Ecclesiam Catholicam non extare; quandoquidem illorum Ecclesia per totum Orbem diffusa non sit, sed in Africæ angulum sit redacta; iidemque præterea ab Ecclesiæ sinu peccatores abjiciant, cum citata parabola doceat eos etiam in Ecclesia contineri, sicut in agro zizania cum tritico permiscentur.

Tertia parabola qua Christus suam designavit Ecclesiam, est *Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam cum impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis.* Ita legitur in citato cap. 13. Matth. v. 47. & seq.

Quarta est Convivii nuptialis, quod describitur Matth. 22. v. 2. & seq. ubi per Regnum Cœlorum significatur Ecclesia, in quam adscribi potest quicunque voluerit, & in qua probi simul morantur & improbi; donec absoluto Convivio, hoc est, exacto mortalis vitæ curriculo, qui inventi fuerint sine nuptiali veste, nimirum charitatis expertes, segregabuntur ab aliis, & mittentur in tenebras exteriores, scilicet in infernum:

Quinta demum est Pascuorum, Matth. 25. v. 32. & seq. ubi oves simul hædique consistunt; probi nimirum & improbi, qui in ejusdem Ecclesiæ sinu una manentes, iisdem cibis, scilicet Sacramentis, eodemque Dei verbo pascuntur, donec in extremo judicii die ab invicem secernantur.

CA-

CAPUT II.

De Ecclesiæ antiquitate.

POst assignatam Ecclesiæ descriptionem breviter nunc de ejusdem antiquitate & origine disputamus. Non tamen loquimur de Angelorum Ecclesia, quam in eorum creatione initium habuisse certissimum est; siquidem illi in fide gratiaque creati, unam spiritualem constituerunt Rempublicam, quæ ad eundem finem sub iisdem supernaturalibus legibus, ac sub eodem Principe Deo tendebat. Neque loquimur de hominum Ecclesia, prout modo est, eorum nempe societas, qui fidem habent in Christum jam natum & passum, consummatis omnibus redemptionis humanæ mysteriis: hanc enim institutam primum a Christo fuisse, in dubium vocari non potest, uti tum ex aliis momentis ostenditur, tum ex eo quod legitur Matth. 16. v. 18 *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Sermo itaque est de Ecclesia, prout est cœtus hominum, qui veram Christi fidem, sive explicitam, sive etiam implicitam habent; ac quæritur 1. num illa adventum Christi præcesserit, atque in ipsa naturæ lege floruerit: 2. an precise in Adamo, vel potius in Abele eandem incepisse dicendum sit.

Propositio 1. Tempore etiam legis naturæ ac scriptæ extitit Christi Ecclesia.

Pro-

Probatur. Utriusque legis tempore homines extitere, qui æternam salutem adepti sunt, credentes in Christum: erant itaque Christiani, & ad Christi Ecclesiam pertinebant. Probatur antecedens pluribus Augustini testimoniis, quorum hic nonnulla dumtaxat adducimus. Et primo quidem in epist. 102. alias 49. quæst. 2. n. 12. scribit S. Doctor: *Sicut nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, ideo fides ipsa variata, vel salus ipsa diversa est.*

Rursus in epist. 190. alias 157. c. 2. n. 8. ait: *Profecto quod scriptum est, Non esse aliud nomen sub cælo, in quo oportet nos salvos fieri, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est genus humanum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Quia sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita & in regno vitæ nemo sine Christo.*

Idem docet concione 3. in Psalmum 36. inquiens: *Omnes qui ab initio seculi fuerunt justi, caput Christum habent: illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos; ut esset & ipse totius caput civitatis Jerusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem.*

Alibi denique S. Doctor conceptis verbis affirmat, eandem apud antiquos Fideles extitisse Ecclesiam, quæ apud nos nato jam Christo nunc extat. Ita serm. 4. de Jacob & Esau, alias

alias 44. de diversis c. 11. n. 11. ait: *Ecclesiam accipite, non in his solis qui post Domini adventum, & nativitatem esse cœperunt sancti; sed quotquot fuerunt sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent.*

Consonat etiam Gregorius M. hom. 19. in Evang. ita scribens: *Quis Patrisfamilias similitudinem rectius tenet, quam Conditor noster, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subjectos dominus in domo: Qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.* Revocanda huc sunt quæ in Institut. nostris habentur lib. 14. c. 6. propos. 2. & c. 9. quæsito 4.

Ut vero de eo quod secundo loco quæritur, opinionem nostram breviter exponamus, advertimus, Ecclesiam, proprie loquendo, non posse in una tantum persona consistere: est enim nomen, ut inquiunt, collectivum; ideoque quemadmodum respublica vel populus una dumtaxat persona non constant, ita neque Ecclesia, cum sit cœtus ex plurium hominum conjunctione consurgens. Proprie itaque si loqui velimus, in solo Adamo non fuit Ecclesia: quæstio autem est, an ita ab illo inceperit, sicuti numerus ab unitate desumit initium.

Propositio 2. Ecclesia produci cœpit in Adam, formataque Eva, dici proprie potuit quod extaret Ecclesia; saltem dum post lapsum uterque resipuit; etiam ante, quam Abel existeret.

Probatur. Ecclesia, prout hic sumitur, est cœtus hominum qui fidem habent in Christum: atqui Adam & Eva vel in ipso innocentiæ statu hujusmodi fidem habuerunt, ut constat

ex dictis in Instit. lib. 11. c. 1. propos. 3. Eorum ergo conjunctio sive cœtus dici proprie potuit Ecclesia. Neque obstat, Ecclesiam in statu illo plurimum differre ab Ecclesia quæ post lapsum apparuit: totum namque discrimen accidentarium est; cum eadem fides, idem caput, idem finis, eadem denique primaria ac substantialia salutis media tunc extarent.

Verum omisso innocentiæ statu, quod post peccatum prius in Adam & Eva, quam in eorum filiis Ecclesia fuerit, facile demonstratur 1. quia illi criminis sui pœnitentiam egerunt non multo post lapsum; ut inter alios docet Irenæus in lib. 3. adversus hæreses c. 34. utque retulimus in citato lib. 11. c. 9. Pœnitentia vero salutaris esse non potest, nisi ex Christi fide procedat: simulque ab Adæ & Evæ lapsu usque ad generationem Abel diuturnum tempus interfuit: Floruit itaque in protoparentibus Ecclesia prius, quam Abel existeret.

Deinde constans est SS. Patrum ac Theologorum assertio, Abel ceterosque primos homines ab Adamo per traditionem fidei mysteria didicisse. Vide quæ hac de re scripsimus in lib. 11, c. 1. Prius igitur in protoparentibus, quam in eorum filiis extitit vera fides, & Ecclesia.

Præterea nemo negabit, Abeli ante usum rationis remissum fuisse originale peccatum: atqui peccatum istud in ipsa etiam naturæ lege non dimittebatur nisi per parentum fidem exteriori aliquo visibilique signo manifestatam, ut diximus in Instit. lib. 24. c. 6. Ex quo refutata manet quorundam opinio, qui fidem quidem prius in Adamo fuisse non negant, exteriorem tamen fidei professionem primum in Abele fuisse contendunt.

Obji-

Objicies 1. contra 1. propof. Veteres ante Chrifti adventum omni prorfus fide caruerunt. Ut enim inquit Apoftolus ad Galatas c. 3. v. 23. & feq. *Prius autem quam veniret fides, fub lege cuftodiebamur conclufi, in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus nofter fuit in Chrifto, ut ex fide juftificemur. At ubi venit fides, jam non fumus fub pædagogo.* Ergo ante adventum Chrifti non erat fides, nec confequenter Ecclefia; quæ cum fit ipfa Fidelium collectio, abfque fide fubfiftere omnino non poteft.

Refp. nego antecedens. Paulus autem objecto in loco non afferit veteres Patres caruiffe fide; fed potius eandem habuiffe docet, cum eodem in cap. v. 6. de Abraham fcribat: *Abraham credidit Deo, & reputatum eft illi ad juftitiam.* In adducto vero textu dum ait, *Prius quam veniret fides*, fidei nomine fidei revelandæ tempus, & objectum intelligit; proindeque hic reddendus eft fenfus: Prius quam veniret revelandæ fidei tempus (quod nimirum eft in Chrifti adventu) tenebamur conclufi fub cuftodia legis, tanquam pædagogi, & ab illa quafi manu ducebamur ad Chriftum fuo tempore manifeftandum, cujus fide juftificamur. Poftquam ergo jam venit Chriftus fidei noftræ objectum, non fumus amplius fub illius pædagogi tutela, vel fervitute, fed liberi & emancipati per Chriftum ad legalium obfervantiam non tenemur.

Objicies 2. Si in antiquo Teftamento Chrifti floruiffet Ecclefia, Veteres etiam fuiffent Chriftianorum nomine decorati: atqui nomen iftud auditum ante non fuit, quam Paulus & Barnabas Antiochiæ Evangelium prædicaffent, ut legitur Act. 11. v. 26.

Resp. Veteres in Christum credentes, veros fuisse Christianos, etsi eo nomine insigniti non fuerint. Ut enim ait Augustinus lib. 3. contrà duas epist. Pelagian. c. 4. n. 11. *Eadem fides est & in illis, qui nondum nomine, sed reipsa fuerunt antea Christiani, & in istis, qui non solum sunt, verum etiam vocantur, & in utrisque eadem gratia per Spiritum Sanctum.* Hinc absolute potest illis Christianorum nomen attribui. *Nam cum Christiani nomine*, inquit Eusebius lib. 1. Hist. c. 4. *nihil aliud significetur, quam vir qui per Christi cognitionem atque doctrinam modestia, justitia, tolerantia, fortitudine, & pietatis cultusque unius qui super omnia est, Dei professione ornatus est; hæc omnia Veteres illi non minus studiose quam nos excoluerunt.*

In eo autem Actorum textu dumtaxat legitur, Paulum & Barnabam Antiochiæ tot convertisse fideles, ut novum militiæ nomen inde per totum Orientem fuerit evulgatum; & discipuli qui *Nazareni*, vel *Galilæi* antea dicti fuerant, jam *Christiani* ab eorum duce ac præceptore *Christo* sint cognominati. Sicut itaque ex hoc inferri non potest, novi Testamenti Fideles ante id temporis aut veros non fuisse Christianos, aut eo nomine decorari minime potuisse; ita neque id ipsum contra veteris Testamenti fideles infertur.

Instabis. Veri Christiani debent esse sub gratia; nihil enim magis Christianæ Religionis est proprium, ac singulare, quam gratia. Atqui Veteres illi sub gratia non fuerunt; cum Joan. 1. v. 17. scriptum sit: *Lex per Moysen data est: gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.*

Resp.

Resp. negando minorem. Ut enim inquit Augustinus in lib. de pecc. orig. c. 25. *Quamvis nec lex per Moysen data potuerit a quoquam homine regnum mortis auferre; erant tamen & legis tempore homines Dei, non sub lege terrente, convincente, puniente, sed sub gratia delectante, sanante, liberante*. Idque S. Doctor ibidem pluribus Scripturarum textibus invicte demonstrat; & in lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum c. 4. n. 6. homines illos novi Testamenti hæredes appellat: *Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant*, Pelagiani, *Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse: nisi cum vetus Testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit, a monte Sina in servitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur Novum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundum distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispensatores, & gestatores, sed Novi demonstrantur hæredes. An vero illum ad Testamentum novum negabimus pertinere, qui dicit, Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis? &c.*

Ex objecto demum textu non sequitur, quod nemo a Deo gratiam ante Christi adventum acceperit; sed quod nemo nisi per Christum; cum Moses & ab eo promulgata lex illam per se conferre nequiverit.

At urgebis. Quibus confertur gratia, promittitur etiam æterna felicitas; gratia enim jus affert ad gloriam. In veteri autem Testamento temporalia solum bona promissa fuerunt.

Resp. distinguendo minorem, promissa fuerunt explicite, concedo; implicite, nego. Ut

enim scribit Augustinus epist. 140. alias 120. c. 2. *Illa quippe terrena munera in manifesto promittebantur, & tribuebantur. In occulto autem illis omnibus rebus novum Testamentum figurate prænunciabatur, & capiebatur intelligentia paucorum, quos eadem gratia prophetico munere dignos fecerat. Dispensabant ergo illi Sancti pro congruentia temporis Testamentum vetus, pertinebant vero ad Testamentum novum. Nam & quando temporalem felicitatem agebant, æternam veram & præferendam intelligebant, & istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio*. Recolite quæ diximus in Instit. lib. 15. c. 7. ad 2. objectionem 2. propos.

Objicies 3. Unitas Religionis & Ecclesiæ ex eorundem Sacramentorum unitate potissimum repetenda est: Veteris autem Testamenti Patres non eadem habuere Sacramenta, quæ nunc Christiana habet Ecclesia.

Resp. Sacramenta diversa esse quoad exteriora signa, non vero quoad rem significatam, Christum scilicet humani generis Redemptorem. Unde Augustinus tract. 26. in Joan. inter alia ait: *Sacramenta illa fuerunt; in signis diversa sunt, sed in re quæ significatur, paria sunt.* Sed lege quæ scripsimus in Instit. lib. 24. c. 14. & 17.

Objicies 4. contra 2. propos. cum Tournely, aliisque. Apostolus ad Hebr. c. 11. v. 4. fidem Patrum veteris Testamenti commendans, ab Abele sic incipit: *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus*. Cur autem Apostolus istud fidei, Fideliumque præconium, ac proinde ipsius Ecclesiæ enumerationem ab Abel incipit, Adamo relicto; nisi quia de isto, post-

quam peccavit, Moses in Genesi nihil enarrat eximium?

Et sane Abel omnium primus aliquo sensibili signo Deum ita coluit, ut illi placeret. Id enim de ipso præsertim Scriptura testatur Gen. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.*

Congruum præterea fuit, ut Ecclesia, cujus sanctitatem in Symbolo profitemur, ab illo haberet initium, in quo primum inter homines sanctitas & innocentia nunquam interrupta permansit; in signum videlicet sanctitatis, quæ in Christi Ecclesia deficere omnino non potest. Atqui talis ante omnes fuit Abel, non Eva, non Adam, quos excidisse constat a justitia, & sanctitate, in qua fuere creati. Hinc non tantum justus dicitur Abel, sed etiam veluti justorum primus commendatur a Christo, Matth. 23. v. 35. *Ut veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, &c.*

Rursus Abel fuit typus, & figura Christi, & Ecclesiæ: fuit enim pastor, virgo, & martyr, ut SS. Patres observant; sicque triplex etiam repræsentavit genus hominum, qui sunt in Ecclesia, nempe Pastorum, Virginum, & Martyrum: eorum enim dux fuit, & antesignanus.

Resp. verisimile non videri, quod Adam postquam eductus est a delicto suo, asperrimamque continuo pœnitentiam una cum conjuge ad Deum placandum agebat, hunc nunquam coluerit sacrificium offerendo, priusquam Abel offerret, post plures scilicet annos. Potius itaque dicendum est Adam non verbo dumtaxat, sed & exemplo, Abelem aliosque filios docuisse modum quo sacrificia Deo deberent offerre;

quamvis id conceptis verbis Scriptura non tradat : quæ idcirco ab Abele fidei Fideliumque laudem inchoavit , quia post Adæ peccatum primus ille justitiam custodivit , & propter eam perfide interfectus fuit a Cain . Ex hac autem ratione non sequitur , Ecclesiam ab Abele initium accepisse, sed illum Ecclesiæ sanctitatem expressius designasse.

Postremo, si Abel fuit pastor ovium, Adam hominum pastor, sive posterorum primus doctor extitit, & Pastores Doctoresque Ecclesiæ repræsentavit. Item si virgo fuisse dicatur Abel, Ecclesiæque Virgines præmonstrasse; Adam sane conjugio suo, veluti magno sacramento, Christi cum Ecclesia conjunctionem præfiguravit, ejusdemque Ecclesiæ propagationem ostendit, ac præsignavit ingentem futurorum Fidelium turbam, qui connubii fidem intemerati custodiunt. Quod insuper Abel martyr ac martyrum dux recte dicatur, non evincit Ecclesiam ab eo cœpisse, sed in ipso primum martyrium tolerasse; ob quam etiam rationem primus inter justos a Christo commendari promeruit.

Objiciunt ultimo, Augustinnm de Civitate Dei, nimirum Ecclesia, ita scripsisse Enarrat. in Psal. 142. n. 3. *Hæc civitas initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas a Cain*. Magnus quoque Gregorius superius laudatus hom. 19. in Evang. docet, universalem Ecclesiam incepisse ab Abel, duraturam usque ad ultimum in fine mundi Electum.

At si nimiam in hisce SS. Patrum verbis vim ponere Adversarii voluerint, consequens profecto erit, aut Adamum & Evam non obtinuisse salutem, aut saltem pœnitentiam non egis-

egisse, non credidisse, Deumque nullo sacrificio coluisse, antequam Abel sacrificium suum offerret. Idcirco itaque Patres Ecclesiæ initium in Abele constituunt, quia ejus fides & sanctitas ac pretiosa mors expressius splendidiusque in Scriptura refertur, ejusdemque tempore justorum societas ab impiorum societate evidentius segregata describitur. Quia tamen esse potest Fidelium ac Bonorum Ecclesia, quin inter illos ac infideles pravosque distinctio ac separatio fiat (ita enim in statu innocentiæ contigisset) idcirco recte in Adamo Ecclesiæ initium collocatur, etiam ante quam infideles impiique homines orirentur.

CAPUT III.

Num soli prædestinati sint vera Ecclesiæ membra?

INter alios quos Wiclefus & Hus sparserunt errores, iste etiam numeratur, quod sola prædestinatio Ecclesiæ membra constituat, proindeque ad illam omnes ac soli prædestinati pertineant. Ita quoque sensit Calvinus, etsi quandoque simulet Catholicam sectari sententiam.

Propositio. Non ex solis prædestinatis Ecclesia vere proprieque conflatur.

Id enim 1. demonstrant quinque illæ parabolæ, quæ in fine capitis primi a nobis adductæ expositæque fuerunt. Nam in Area non so-

solum est triticum congregandum in horreum, Electi videlicet ad gloriam evocandi; verum & palea, reprobi nempe in ignem inextinguibilem projiciendi; ac simul manent usque ad ventilationis tempus, quousque nimirum judicii dies adveniat. In Agro etiam triticum zizaniis ad messem usque miscetur. Rursus Sagena bonos malosque pisces congregat non nisi in litore separandos. Unde Augustinus epist. 139. n. 5. de Donatistis ait: *Si attenderunt, & quod facile fuerat, adverterunt, in Scripturis sanctis Ecclesiam Christi permixtis zizaniis, & palea, & piscibus malis futuram esse promissam usque ad tempus messis, ventilationis, & litoris.*

Nuptiali quoque Convivio intersunt aliqui non habentes vestem nuptialem, qui sane sunt reprobi mittendi *in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*; uti Christus ait Matth. 22. v. 13. & 14. evidenter ostendens plures ad Ecclesiam convocari, qui non sunt de numero Electorum. Lege Augustinum serm. 250. n. 2.

Eisdem præterea Pascuis oves fruuntur & hœdi, donec a Pastore sub diei vesperam segregentur: per quod ostenditur in eodem Ecclesiæ ovili Electos reprobosque concludi, non antea separandos, quam Dominus in majestate sua venerit ad judicandum. Vide Matth. c. 25. v. 31. & sequ. quo etiam in loco v. 1. ac deinceps, similis Ecclesia dicitur decem Virginibus, quarum quinque sunt fatuæ, ad cœlestis Sponsi nuptias minime perventuræ.

Deinde si ad Christi Ecclesiam soli pertinerent Electi, sequeretur 1. non esse Ecclesiæ membra quoscunque Fideles baptizatos, ac non-

du m

dum in aliquod peccatum mortale prolapsos, si ad gloriam prædestinati non forent: e contrario autem sequeretur, jam esse Ecclesiæ membra nonnullos idololatras, qui nihil unquam de Christo audierunt, nonnullosque Judæos, qui Dei Ecclesiam persequuntur, si electi illi essent ad gloriam. Atqui utrumque absurdissimum est, cum omnes qui baptizati sunt, Christum induerint; ac non nisi per Baptismum aditus ad Ecclesiam pateat. *In uno Spiritu*, ait Apostolus 1. Corinth. c. 12. v. 13. *omnes nos in unum corpus baptizati sumus*.

2. Si ex solis prædestinatis constaret Ecclesia, invisibilis illa foret, & a nemine posset certo cognosci; cum nullis detegi possit indiciis, quinam & ubi sint illi homines prædestinati, qui soli vera Ecclesiæ membra dicuntur. Hinc excusandus esset quisquis ad inquirendam Christi Ecclesiam diligentiam non conferret. Id autem perabsurdum est, ipsorumque Protestantium principiis adversatur ajentium nemini licere privatam instituere sectam.

3. Si adversa sententia staret, omnis Superiorum auctoritas, ac debita eisdem reverentia, & obedientia prorsus excideret; quippe cum nec oves Pastores suos, nec Pastores suas oves agnoscerent. Nutabit proinde non solum auctoritas Ecclesiæ, claviumque quas accepit a Christo potestas; sed etiam ipsa fides, & sacra Scriptura, ac omnium Sacramentorum virtus, & veritas evertetur: nemo enim sciret, quæ sit vera fides, quæ vera Scriptura, quæ vera Sacramenta, cum a sola Ecclesia certo ea omnia possit addiscere: unde vero noverit hanc esse veram Ecclesiam, si totam in

præ-

prædestinatis latere statuitur?

Hoc denique fidei dogma perspicue constanterque traditur a SS. Patribus, dum præsertim laudatas supra parabolas interpretantur, dum duplicem jubente Christo factam piscationem exponunt, dum tandem Ecclesiam Arcæ Noeticæ comparant, quæ columbam & corvum, mundaque & immunda animalia continebat.

Jure itaque meritoque Constantiense Concilium sess. 15. hunc primum Joannis Hus damnavit articulum: *Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas:* damnavitque hunc quintum: *Præscitus etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ; & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis.*

Objicies 1. In Cantico Canticorum c. 4. v. 12. 13. & 15. Ecclesia ita describitur: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus, &c. Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Atqui ita describi profecto non posset, si solos non contineret Electos. Unde Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 27. scribit: *Numerus ille justorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum est,* 2. ad Tim. 2. v. 19. *Novit Dominus qui sunt ejus; ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum.*

Resp. cum Melchiore Cano lib. 4. c. ult. interdum per synecdochen multa, quæ dumtaxat parti conveniunt, in totum solere transferri. Id nobis in usu est, cum persæpe alias, tum magis cum de civitate, populo, regno, omnique

pror-

prorsus cœtu differimus, de quibus ea in universum dicimus, in quæ non omnes reipublicæ partes, sed etiam paucæ quandoque concurrunt. Populum enim robustum aut bellicosum appellamus, non quod omnes robusti sint aut bellicosi, sed quod ejusmodi esse soleant viri ad rem bellicam ex ea gente selecti. Nec aliter de humana republica, ac de humano corpore loquimur. Dicimus namque hominem agere aut pati, quæ manus vel pes agit aut patitur; dicimus etiam mundum immundumve, si facies aut munda sit, aut immunda; eodemque omnino modo similiter in reliquis. Inde adeo venit, ut vocabula, quæ quibusdam solum Ecclesiæ partibus convenire videmus, ipsi Ecclesiæ attribuantur. Ad hanc enim legem Ecclesia dicitur amica, pulchra, immaculata, sancta, videlicet ratione bonorum; hortus conclusus, fons signatus &c. ratione scilicet Electorum, qui cum prima atque optima pars sint Ecclesiæ Christianæ, regnique cœlestis hæredes, & principes, vere ac jure quæ in eos conveniunt, in totam trasferuntur Ecclesiam; quoniam, ut ipse etiam Aristoteles Ethic. 9. c. 9. notavit, id civitas aut esse aut facere dicitur, quod in ea primarii aut optimates aut esse dicuntur aut facere. Postremo quemadmodum in horto, etsi concluso, spinæ cum liliis, ceterisque floribus simul inveniuntur admixtæ; ita in Ecclesia, licet occlusa extraneis & alienis a fide, simul cum sanctis ac prædestinatis iniqui reperiuntur & reprobi.

Augustinus autem Ecclesiam quandoque considerat, quatenus est societas omnium omnino Fidelium, sive sint prædestinati sive reprobi, sive justi sive etiam peccatores; atque huic accom-

commodat quod Cantic. 2. v. 2. legitur, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; docetque fideles animas reprobas improbasque spinis comparari, quæ ad ignem utique crescunt; nihilo tamen minus, propter pietatis formam communionemque Sacramentorum, esse revera Ecclesiæ filias, & ad Dei populum pertinere. *Nam & ipsæ spinæ*, ait S. Doctor in Psal. 47. n. 8. *quoniam ad populum Dei pertinent, vis audire? Ita posita est ipsa similitudo: Sicut lilium, inquit, in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Numquid dixit, in medio alienarum? Non, sed in medio filiarum. Sunt ergo filiæ malæ, & inter illas est lilium in medio spinarum. Itaque illi, qui sacramenta habent, & mores bonos non habent, & Dei dicuntur, & non Dei; & ejus dicuntur, & alieni. Ejus, propter ipsius sacramentum; Alieni, propter proprium vitium. Ita & filiæ alienæ. Filiæ, propter formam pietatis; Alienæ, propter amissionem virtutis. Sit ibi lilium, suscipiat misericordiam Dei, teneat radicem boni floris, non sit ingratum pluviæ dulci, de cœlo venienti: Ingratæ sint spinæ, crescant de imbribus; ad ignem crescunt, non ad horreum.*

Aliquando vero Ecclesiam accipit S. Doctor pro nobiliori ejus parte, prout prædestinatos solum justosque complectitur, ac eidem attribuit quod habetur Cant. 4. v. 12. *Hortus conclusus, &c.* Ex hoc enim testimonio Cyprianus demonstrare contenderat Baptismum extra Ecclesiam collatum sua virtute frustrari; cui ab Augustino reponitur, ea verba intelligenda esse de prædestinatis, ac justis; proindeque si Cypriano faverent, probarent pariter irritum esse

esse Baptisma a reprobis impiisque collatum; quod tamen Cyprianus ipse negaverat. Hinc objecto in loco inquit S. Doctor: *Quod in Cantico Canticorum Ecclesia sic describitur, Hortus conclusus, &c. hoc intelligere non audeo, nisi in sanctis & justis, non in avaris & fraudatoribus, & raptoribus, & fœneratoribus, & ebriosis, & invidis, quos tamen cum justis baptismum habuisse communem, cum quibus communem non habebant utique charitatem, ex ipsius Cypriani literis, sicut sæpe commemoravi, uberius discimus & docemus.*

Pergit autem Augustinus, ac paulo post verba in argumento proposita subdit: *Sunt etiam quidam ex eo numero qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant; & tamen etiam illic novit Dominus qui sunt ejus. Namque in illa ineffabili præscientia Dei, multi qui foris videntur intus sunt, & multi qui intus videntur foris sunt. Ex illis ergo omnibus qui, ut ita dicam, intrinsecus & in occulto intus sunt, constat ille hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum.*

Ex quibus apparet hoc in loco S. Doctorem consideraſſe Ecclesiam secundum suum esse finale dumtaxat; prout nempe est prædestinatorum cœtus, qui in bono finaliter perseverans, vitam æternam certissime consequetur: non vero Ecclesiam accepisse secundum essentiale ac universale principium ejus constitutivum, quod est eorumdem Sacramentorum participatio, ejusdemque fidei externa professio, sub regimine legitimorum Pastorum: hæc enim est ratio Bonis malisque, Electis reprobisque communis,

Id

Id etiam non obscure indicat Augustinus, dum caput illud ita concludit: *Horum*, prædestinatorum scilicet, *munera concessa divinitus, partim sunt propria, sicut in hoc tempore infatigabilis charitas, & in futuro seculo vita æterna; partim vero cum malis perversisque communia, sicut omnia cetera, in quibus sunt & sacrosancta mysteria.*

Alibi denique rem hanc luculentius explicat S. Doctor, ac præsertim serm. 223. n. 2. ubi ait: *Neque miremini multitudinem Christianorum malorum, qui Ecclesiam implent, qui ad altare communicant, qui Episcopum, vel Presbyterum de bonis moribus disputantem magnis vocibus laudant, per quos impletur, quod Congregator noster prædixit in Psalmo: Annuntiavi & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. In Ecclesia hujus temporis possunt esse nobiscum; in illa vero, quæ post resurrectionem futura est, congregatione sanctorum, esse non poterunt. Ecclesia enim hujus temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum paleis, habens permixtos bonis malos, habitura post judicium sine ullis malis omnes bonos.* Ex quo sane testimonio Augustini mens perspicue demonstratur; quod nimirum ad hujus temporis Ecclesiam congregentur impii etiam reprobique, qui super numerum excreverunt; qui nempe non ad eum numerum pertinent, de quo dicit Apostolus: *Novit Dominus, qui sunt ejus.*

Objicies 2. Christus Joan. 10. v. 16. ait: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.* Itemque vv. 27. & 28. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me:*

& ego vitam æternam do eis , & non peribunt in æternum, &c. Hic itaque Ecclesia comparatur ovili , quod solas continet Christi oves , scilicet prædestinatos : ergo hi tantum in Ecclesia vere ac proprie continentur.

Id ipsum docet Joannes ita scribens in epist. 1. c. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis ; nam si fuissent ex nobis , permansissent utique nobiscum.* Qui ergo in suscepta gratia minime perseverant , etiam antequam de Ecclesia exirent, non erant de Ecclesia, quamvis de ea esse viderentur. Unde Augustinus in lib. de corrept. & gra. c. 9. ait : *Sunt quidam qui filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo; de quibus ait idem Joannes,* Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis : quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. *Non ait, Ex nobis exierunt, sed quia non manserunt nobiscum, jam non sunt ex nobis : verum ait,* Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: *hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis.*

Resp. quod sicut nomen Ovis in Scriptura quandoque pro justis ac prædestinatis accipitur, ita & nomen Ovilis aliquando designat Ecclesiam, prout bonos electosque complectitur; quales sunt nonnullæ aliæ voces, quas ob eandem rationem Ecclesiæ attribui in priori argumento notavimus. Quocirca non fit, ut si in ovili non sunt nisi oves, in Ecclesia non sint hœdi, quos Sponsa Cant. 1. v. 7. pascere jussa est, quoadusque eos ab agnis summus Pastor ille sejunxerit. At nomen ovis interdum non bonos solum, sed & malos reprobosque significat, ac eos omnes, qui Christiana professione censen-

 tur:

tur: atque hoc in ſenſu Chriſtus Petro dixit Joan. 21. v. 18. *Paſce oves meas:* Et Pſal. 73. v. 1. legitur: *Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ:* Ac demum Iſaiæ 53. v. 6. *Omnes nos quaſi oves erravimus.* In hac itaque acceptione Chriſti Ovile non eſt anguſtius quam Eccleſia; ſed perinde ut illa, cum ſanis morboſas quoque continet oves.

Dominus autem Joan. c. 10. in primum ſenſum ovis oviliſque vocabulum uſurpavit, aſſeruitque alios ſe habere Electos in Gentilibus, qui non erant de numero Electorum ex populo Iſrael, ad unam Eccleſiam per Apoſtolos adducendi. Hi vero etiam antequam credant in Chriſtum, ejuſque ſacramenta participent, dicuntur oves, ſicut & *filii Dei*, Joan. 11. v. 52., non quod reipſa ſint tales, ſed prædeſtinatione dumtaxat, ac ſecundum ſolam præſcientiam. Qua de re ſcribit Auguſtinus tract. 45. in Joan. *Secundum iſtam præſcientiam Dei & prædeſtinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus; & quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris? Quid eſt quod dixi, quam multæ oves foris? Quam multi modo luxuriantur, caſti futuri; quam multi blaſphemant Chriſtum, credituri in Chriſtum; quam multi ſe inebriant, futuri ſobrii; quam multi rapiunt res alienas, donaturi ſuas: verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos ſequuntur. Item quam multi intus laudant, blaſphematuri; caſti ſunt, fornicaturi; ſobrii ſunt, ſe vino poſtea ſepulturi; ſtant, caſuri: non ſunt oves: (de prædeſtinatis enim loquimur: de his loquimur quos novit Dominus qui ſunt ejus.) Et tamen ipſi quamdiu recte ſapiunt, Chriſti vocem audiunt.*

Ecce

Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi; & tamen secundum prædestinationem non oves isti, oves illi.

Secundum eandem Dei præscientiam ac prædestinationem, Hæretici qui ex Ecclesia prodierunt, dicuntur a Joanne juxta Augustini interpretationem non fuisse ex nobis; nempe ex numero Electorum. At quæ rerum consequentia est: Nunquam fuerunt ex Electis: ergo nunquam fuerunt de Ecclesia? Hæc enim est magna illa domus, in qua, uti scribit Apostolus in 2. ad Tim. 2. v. 20. *non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*. Postremo Joannes de Pseudoapostolis loquitur quos Antichristos appellat, ejusque verba hunc sensum præ se ferunt: Ex nostra schola ac societate illi prodierunt, sed non erant ex veris Apostolis, & ex solidis ac constantibus Christianis; nam si fuissent hujusmodi, nobiscum utique permansissent. Ex quo autem illi ex perfectorum Christianorum numero non fuisse dicantur, inferri non potest, quod nunquam Christiani fuerint, ac nunquam ad Ecclesiam vere proprieque spectaverint: imo si ex veris Christi Apostolis Pseudoapostoli exierunt, concludendum est potius, eos prius intus domique fuisse; nec enim aliter potuissent exire.

Objicies 3. Christus est illius Ecclesiæ caput, quam salvat, & quam sibi exhibet gloriosam, ut ad Ephesios 5. v. 23. & 27. docet Apostolus. Ii ergo qui nec salvi, nec gloriosi futuri sunt, non ad eam spectant Ecclesiam, cujus caput est Christus.

Resp. distinguendo primam partem antece-

dentis, quam salvat aut efficaciter, aut saltem sufficienter, concedo; ejus solummodo, quam efficaciter salvat, nego. Christus enim non tantum efficaciter salvat Electos, verum etiam sufficienter salvat omnes homines, eosque præcipue, qui inter fideles recensentur: ut enim inquit Apostolus in 1. ad Tim. 4. v. 10. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

Neque in citato ad Ephesios loco ait Paulus, Christum exhibere sibi gloriosam Ecclesiam; sed, seipsum tradidisse, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*. Quemadmodum autem mortuus ille est, ut omnes viverent, nec vivunt tamen omnes; ita se pro Ecclesia tradidit, ut eam mundaret & glorificaret, nec tamen omnes, qui in Ecclesia sunt, mundantur & glorificantur. Tametsi vere Ecclesiam suam sibi exhibeat gloriosam (Græce, ἔνδοξον, idest, multo decore gloriaque illustrem) si de triumphante loquamur, de qua hunc textum intelligit Augustinus in lib. 2. Retract. c. 18.; & etiam militantem, si sacramenta, doctrinam, & leges, ac nobiliora quoque ejus membra, sanctos nempe, spectemus.

Instabis. Atqui reprobi non pertinent ad eam militantem Ecclesiam, cujus caput est Christus. Augustinus enim lib. de agone Christiano c. 26. scribit: *Corpus Christi, quod est Ecclesia, in ipsa dextera, hoc est, in ipsa beatitudine futurum est.*

Resp. S. Doctorem hic non loqui de mystico Christi corpore, quatenus sana & infirma membra complectitur; sed quatenus sana dumtaxat continet, post mortalem vitam beata immor-

mortalitate donanda. Libro autem secundo Retract. c. 18. ad trutinam revocans septem libros, quos *de Baptismo* adversus Donatistas inscripsit, suam hac de re mentem evidenter exponit, inquiens: *Ubicumque in his libris commemoravi Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, non sic accipiendum est, quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, habet unde quotidie tota dicat, Dimitte nobis debita nostra.* Et sermone 137. c. 1. ait: *Quicumque in caritate friguerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille qui jam exaltavit Caput nostrum, etiam infirma membra sanare; dum tamen non nimia impietate præcidantur, sed hæreant corpori, donec sanentur.*

Objicies 4. Eorum mater est Ecclesia, quorum Deus pater est; ergo ex Dei filiis conflatur Ecclesia: atqui ii sunt vere Dei filii, qui paternam percepturi sunt hæreditatem. *Si filii*, inquit Paulus Rom. 8. v. 17. *& hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Resp. quod etsi Dei filii aliquando secundum prædestinationem nominentur, juxta tamen propriam frequentemque denominationem a præsenti justitia ita dicuntur. Unde Joannes in epist. 1. c. 3. v. 7. scribit: *Qui facit justitiam, justus est ... Qui facit peccatum, ex diabolo est ... In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli.* Imo Dei filii quandoque vocantur omnes qui per baptismum Christo Ecclesiæque sunt geniti, in quibus sunt improbi quidam stultique filii, quos patris matrisque cura parturire iterum gestit, donec formetur in

eis Christus. Dum itaque dicitur, Ecclesiam constitui, dumtaxat ex Dei filiis, accipienda Dei filiatio est in posteriorem hunc sensum; prout illa videlicet ad bonos & malos, ad electos reprobosque fideles extenditur. Vide quod diximus ad primum argumentum ex Augustino in Psalmum 47. n. 8.

Objicies 5. Arca Noe veram Christi Ecclesiam adumbravit, ut docet Augustinus in lib. 5. de Bapt. c. 28. adducens S. Petri textum ex epist. 1. c. 3. v. 20. Ergo quemadmodum in Arca Noe non fuerunt, nisi ii qui a diluvio salvi facti sunt; ita non sunt in Ecclesia, nisi qui salvi erunt, Electi.


Resp. Arcam in duobus potissimum Ecclesiam adumbrasse; primo nimirum, quod sicut in illa cujuscumque generis animalia includebantur, ita in Ecclesia boni & mali, prædestinati & reprobi continentur. Hinc Augustinus tract. 6. in Joan. n. 2. ait: *Merito de arca missus est corvus, & non est reversus: missa est columba, & reversa est: illas duas aves misit Noe. Habebat ibi corvum, habebat & columbam: Utrumque hoc genus arca illa continebat: Et si arca figurabat Ecclesiam, videtis utique, quia necesse est, ut in isto diluvio seculi, utrumque genus contineat Ecclesia, & corvum & columbam. Qui sunt corvi? Qui sua quærunt. Qui columbæ? Qui ea quæ Christi quærunt.* Idemque docet serm. 264. n. 5. inquiens: *Quadraginta diebus arca in diluvio fluctuavit, quæ arca Ecclesia est lignis imputribilibus facta. Ligna imputribilia sunt animæ sanctorum, & justorum; habens tamen animalia munda & immunda; quia quamdiu vivitur in hoc seculo; & per Baptismum*

tan-

tanquam per diluvium Ecclesia purgatur, non potest nisi habere bonos, & malos: & ideo arca illa & munda, & immunda habebat.

Secundo, Arca typus Ecclesiæ fuit, quod sicut extra illam nemo potuit a diluvio liberari, ita pariter extra Ecclesiam nemini patet aditus ad salutem. Unde Hieronymus in epist. 15. alias 57. ad Damasum inquiebat: *Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et Augustinus loco in objectione citato ait: *Sicut ergo non alia, sed eadem aqua in arca positos salvos fecit, & extra arcam positos interemit; sic non alio, sed eodem baptismo, & boni Catholici salvi fiunt, & mali Catholici, vel hæretici pereunt.*

In his ergo duobus stat Arcæ cum Ecclesia comparatio, non autem in eo quod profert objectio; alioquin sequeretur, baptizatos omnes, etiamsi peccatores, in Ecclesia fore salvandos; cum in Arca non munda dumtaxat, verum & immunda animalia inundationem evaserint. Hunc vero errorem refellens Apostolorum Princeps adjunxit v. 21. *Quod & vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.*



CAPUT IV.

Num soli perfecti, ac justi sint membra Ecclesiæ?

REfutato eorum errore qui asserunt ad Ecclesiam prædestinatos solummodo pertinere, alter eliminandus est error affirmantium illam ex probis tantum justisque constitui. Ita post Novatianos ac Donatistas sentire nunc etiam Lutheranos aperte colligitur ex articulo VII. Confessionis Augustanæ, ubi legitur: *Est autem Ecclesia Christi proprie, Congregatio membrorum Christi; hoc est Sanctorum, qui vere credunt, & obediunt Christo, etsi in hac vita huic Congregationi multi mali, & hypocritæ admixti sunt usque ad novissimum judicium.* Ipse quoque Lutherus in lib. de Concilis & Ecclesia parte 3. ait: *Papam & Cardinales idcirco non esse de Ecclesia, quia sancti non sunt.*

Denique Pelagiani non tantum peccatores, sed imperfectos etiam fideles ab Ecclesia excludebant, ajentes, uti Augustinus refert lib. de hæresibus n. 87. *vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga: quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra.*

Propositio I. Imperfecti Fideles sunt vera Ecclesiæ membra.

Probatur. Si oporteret, ut Ecclesiæ membra omni

omni prorsus labe culpaque vacarent, nulla profecto in terris inveniretur Ecclesia; cum nemo usquam mortalium vivat, qui omni ex parte immaculatus sit atque perfectus. Solus enim Christus Dominus ex natura, ac Beatissima Mater ejus Virgo Maria ex gratia, & privilegio, nullum unquam vel levissimum admisere peccatum; de ceteris vero mortalibus generatim Joannes affirmat epist. 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Recolite quæ diximus in lib. 16. c. 9.

Propositio 2. Magni etiam manifestique peccatores sunt vera membra militantis Ecclesiæ, quamdiu ab illa tolerantur, fidemque exterius profitentur.

Id enim evidenter ostendunt adductæ superiori in capite parabolæ, ac figuræ; quibus insuper accedit 1. quod Christus Matth. 18. v. 15. & seq. tradens præceptum fraternæ correptionis, deferri jubet ad Ecclesiam peccatores, qui privatim correpti minime emendantur; additque ejiciendos eos esse ab Ecclesia, si illam audire neglexerint. Ergo supponit Christus ejusmodi peccatores in Ecclesia contineri, a qua propter contumaciam præcipit expellendos.

2. Nisi Christus intelligeret, peccatores Ecclesiæ suæ non membra quælibet, sed præcipua etiam aliquando futuros, nusquam illud profecto moneret, Matth. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite, secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Sunt itaque in Ecclesia mali quidam Præpositi, Doctoresque, quorum vita sermoni non congruit.

3. In Christi familia servus nequam invenitur;

tur; non ille dumtaxat, qui misericordiam conservo negavit, Matth. 18. v. 33. sed is etiam qui super familiam constitutus, cum moram Domini causaretur, pristinumque timorem abjiceret, cœpit percutere conservos suos, & manducavit, bibitque cum ebriosis: Matth. 24. v. 48. & Lucæ 12. v. 45.

4. Inter Corinthios non una erat peccati species, sed plurimæ; neque levia erant errata, sed graviora flagitia: & tamen Apostolus epist. 1. c. 1. v. 2. eos non solum Ecclesiam, sed sanctam Christi societatem & agnoscit, & prædicat. Ad Galatas insuper ille scribens c. 1. v. 2. eas etiam Ecclesias vocat, quas ipse errore arguit depravatas. Ac tandem in Apocalypsi c. 2. & 3. Ecclesias legimus, quarum angelos & ministros Deus ad pœnitentiam admissi criminis adhortatur.

Ad hæc accedit SS. Patrum auctoritas, ac præsertim Augustini, uti ex dictis in præcedente capite evidenter ostenditur, quibus adjunge ejusdem S. Doctoris verba ex lib. 3. contra literas Petiliani Donatistæ c. 12. *Homo sum*, ait, *de Ecclesia Christi*, *palea*, *si malus*; *granum*, *si bonus*. *Non est hujus areæ ventilabrum lingua Petiliani*. Et lib. 4. de Baptismo c. 7. inquit: *Distinguamus inter eos qui mali foris sunt*, *& eos qui intus mali sunt*. Denique in Psal. 8. n. 13. scribit: *Veniant in mentem torcularia*, *habentia vinacia*, *& vinum*; *& area*, *continens paleam*, *& frumentum*; *& retia*, *quibus inclusi sunt pisces boni*, *& mali*; *& arca Noe*, *in qua & immunda*, *& munda erant animalia*; *& videbis Ecclesias interim hoc tempore usque ad ultimum judicii tempus*, *non solum oves*, *&* be-

boves continere, ideft fanctos laicos, & fanctos ministros: sed insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris; homines nempe, ut ibidem S. Doctor exponit, *in carnis voluptate gaudentes, & superbos, & temporalia curiosius requirentes*. Idem denique Patres alii tradunt, ac præcipue Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, Gregorius M. hom. 38. in Evangelia, & Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 45.

Huc præterea redeunt rationes priori in capite contra Wiclefitas allatæ. Si enim probi dumtaxat justique fideles ad Ecclesiam pertinerent, visibilis hæc & conspicua amplius esse non posset; cum sanctitas & justitia perinde nos lateat ac prædestinationis arcanum. Ut enim Ecclesiastes ait c. 9. v. 1. *nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta*. Si vero propriam ignoramus sanctitatem, quanto magis ignorabimus alienam?

Deinde, qui Ecclesiam justorum solum numero definiunt, ii tum a malis Ecclesiæ Pastoribus omnem auferunt potestatem, tum judiciorum Ecclesiasticorum vires infirmant, nec ulla habere possunt firma Ecclesiæ dogmata. In quocumque enim Ecclesiæ judicio is contra quem sententia diceretur, excipere posset, quod judices probi piique non essent; sicque incerta essent omnia, nullusque controversiarum finis existeret.

Objicies 1. Isaiæ c. 52. v. 1. de Jerusalem, hoc est, de Christi Ecclesia dicitur: *Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, & immundus*. Et v. 11. *Recedite, recedite, exite in-*

inde, pollutum nolite tangere; exite de medio ejus, mundamini,&c. Quæ verba sic affert Paulus in 2. ad Cor. c. 6. v. 17. *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis;* additque v. 18. *Et ego recipiam vos.* Non ergo alios in Ecclesiam suam Deus admittit, nisi eos, qui se a peccatorum societate disjungunt. Ut enim citato in cap. v. 14. & 15. inquit Apostolus: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?*

Resp. Isaiam juxta historicum sensum loqui de temporali Judæorum persecutione, futurumque prædicere, quod cum e Babylonica captivitate redierint, incircumcisus immundusque Chaldæus, aut alius quispiam infidelis non adjiciet ultra, ad longum nempe tempus, ut per Jerusalem victor vastatorque pertranseat. Quod si juxta mysticam intelligentiam de Ecclesia hunc versum interpretari volueris, sensus erit, inferi portas prævalituras nunquam fore adversus Ecclesiam, immundumque populum nunquam per eam victoris instar & domini transiturum, ut fidem moresque omnino subvertat. Denique Augustinus in lib. contra Donatistas post Collationem c. 8. de triumphante Ecclesia eundem textum intelligit.

Versus item undecimus, *Recedite &c.* juxta sensum historicum intelligitur de Judæis, quos Isaias hortatur, ut cum captivitatis tempus elapsum fuerit, Babylone discedant: juxta mysticum vero sensum intelligitur de Christianis, qui in iis quæ ad Religionem pertinent, vetantur cum infidelibus habere commercium. Atque

que hoc in sensu ea verba Apostolum intellexisse constat ex v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus:* & v. 15. *Quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* Non ergo de vulgaribus peccatoribus hic sermo est, a quibus non per corporalem discessionem a Sacramentis & ab Ecclesia, sed per spiritualem separationem animo moribusque factam, segregari jubemur.

Objicies 2. Apostolus ad Rom. 8. v. 9. ait: *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* At improbi Spiritum Christi non habent; non ergo pertinent ad ejus Ecclesiam. Idque manifestius ille docet, dum de universo fidelium cœtu ita scribit in 1. ad Cor. c. 10. v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Sicut itaque paleæ non spectant ad panem, ita neque ad Ecclesiam pertinent peccatores, qui palearum nomine designantur.

Resp. peccatores Spiritu Christi destitutos non esse quidem genuinos ejus discipulos, aut membra viva, & per justificationis gratiam omnino perfecta; pertinere tamen ad Christi Ecclesiam tanquam arida & imperfecta membra, quæ motum aliquem habent, tum propter internam fidem, tum propter externam unionem cum reliquo Corpore, quod Spiritu Christi movetur.

Alterius vero testimonii juxta Patrum interpretationem hic est sensus: Quoniam unus est Eucharisticus panis, de quo omnes participamus; hinc per illius sumptionem, omnes, quantumcumque multi, efficimur ac sumus unum Christi corpus. Quare perperam ex verbis il-

lis

lis argumentantur Hæretici: non enim panis ibi Ecclesia est, sed corpus est Christi: ac præterea cum etiam peccatores de mystico illo pane participent, ad Ecclesiæ corpus spectare dicendi sunt. Postremo, licet palea non spectet ad panem, spectat tamen ad triticum, cui in area permiscetur, antequam illud in horreum inferatur.

Objicies 3. Augustinus contra Donatistas agens passim ostendit, immerito ab illis repeti Baptisma collatum ab Hæreticis, eo prætextu quod hi in Ecclesia non sint, cui soli data sunt Sacramenta; quandoquidem datum a facinorosis peccatoribus Baptisma non repetant; licet tam isti, quam illi in Ecclesia minime deputentur. In libro enim de Unitate Ecclesiæ c. 22. ita scribit S. Doctor: *Omnes isti non sunt in lilio, nec super petram: inter hos autem & Hæretici positi sunt. Cur ergo vos, ut omittam cetera, non baptizatis post ebriosos, luxuriosos, invidos, qui regnum Dei non possidebunt, & ideo in petra non sunt; & quia in petra non sunt, proculdubio in Ecclesia non deputantur; quia super hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam: & nos vultis ut baptizemus post Hæreticos, qui inter easdem spinas regnum Dei non possessuras enumerati sunt;* ab Apostolo scilicet Galatarum 5. v. 19. & seq.

Item in lib. 2. contra Cresconium Grammaticum c. 21. de fidelibus peccatoribus ait: *Qui mente perversa videtur intus esse, cum foris sit, ab ipso Christo jam judicatus est:* & post nonnulla subjungit: *Etiam nesciente Ecclesia propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo, jam in corpore Christi non sunt quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata. Proinde & ipsi extra Ecclesiam* bap-

baptizant. Omnia quippe ista monstra absit omnino ut in membris illius columbæ unicæ computentur; absit ut intrare possint limites horti conclusi, cujus ille custos est, qui non potest falli.

Præterea, lib. 3. de Bapt. c. 18. inquit Ecclesiam in malis non esse, *sive foris tumultuentur, sive intus cum gemitu tolerentur*. Et, lib. 4. c. 3. de malis Christianis affirmat, quod *videntur esse in Ecclesia, sed non sunt:* ac tandem lib. 7. c. 51. scribit, eos *non pertinere ad compagem domus*, quæ est Ecclesia, atque ita in domo esse, *sicut palea dicitur in frumentis*.

Resp. ex dictis ad 1. objectionem in capite præcedente, Augustinum quandoque loqui non de universali Ecclesia, sed de nobiliori ejus parte, dum præsertim Donatistas impugnat. Hi enim ajebant irritum esse Baptismum, quem conferebant Hæretici, quia isti non pertinent ad Ecclesiam, quæ est columba unica, & lilium, hortusque conclusus, &c. Reponit autem S. Doctor, ejusmodi laudes convenire Ecclesiæ, prout illa justos dumtaxat sanctosque complectitur: proindeque si quid concluderent, demonstrarent pariter irritum esse Baptisma quod conferunt ebriosi, luxuriosi, invidi, aliique peccatores, qui, non secus ac Hæretici, regnum Dei minime possidebunt; cum tamen Donatistæ illorum Baptisma validum esse putarent. Hinc in lib. 4. de Bapt. c. 4. inquit Augustinus: *Sicut urgeri videor, cum mihi dicitur: Ergo hæreticus dimittit peccata? Sic & ego urgeo, cum dico: Ergo qui cœlestia mandata non servat, avarus, raptor, fœnerator, invidus, verbis non factis seculo renuncians dimittit peccata? Si per vim sacramenti Dei, sicut ille, ita & ille: Si per-*

per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim sacramentum & in malis hominibus Christi esse cognoscitur: in corpore autem unicæ columbæ, incorruptæ, sanctæ, pudicæ, non habentis maculam aut rugam, nec ille, nec ille invenitur. Et quomodo accipienti non prodest baptismus ei, qui seculo verbis non factis renunciat: sic non prodest ei qui in hæresi vel schismate baptizatur: utrique autem correcto prodesse incipit, quod ante non proderat, sed tamen inerat.

Dum itaque S. Doctor in primo testimonio dicit, ebriosos, luxuriosos &c. non secus ac Hæreticos, *in Ecclesia non deputari*, Ecclesiam inadæquate considerat; prout nempe præstantiora dumtaxat membra comprehendit; cujus sanctitatem sicuti non participant Hæretici, ita neque alii peccatores: indeque deducit, quod si Baptismi valor a ministri probitate penderet, non illi tantum, verum & isti invalide baptizarent. Alibi vero loquens de universali Ecclesia, docet, in ea omnes prorsus contineri fideles. Ita in Psalm. 137. n. 4. scribit: *Ecclesia deorsum, & Ecclesia sursum: Ecclesia deorsum in omnibus fidelibus: Ecclesia sursum in omnibus Angelis.*

Eodem modo in 2. contra Cresconium c.21. Augustinus affirmat foris esse peccatores, etsi intus esse videantur; esse scilicet extra Ecclesiam, quatenus illa est hortus conclusus, & unica columba, vivumque Christi corpus, quod viva dumtaxat & per caritatem animata membra componunt. Pluribus tamen in locis asserit S. Doctor fideles injustos ab universalis Ecclesiæ corpore non esse præcisos. Nam serm. 137. c. 1. hæc habet: *Dominus noster Jesus Christus,*

stus, qui jam pro nobis passus est, & resurrexit, caput est Ecclesiæ, & est corpus ejus Ecclesia, & in ejus corpore unitas membrorum, & compago caritatis, tanquam sanitas existit. Quicunque autem in caritate friguerit, infirmatur in corpore Christi. Sed potens est ille, qui jam exaltavit caput nostrum, etiam infirma membra sanare; dum tamen non nimia impietate præcidantur, sed hæreant corpori, donec sanentur. Quidquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est; quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest. Lege eundem S. Doctorem in Psal. 62. n. 2. in Psal. 137. n. 4. in Psal. 138. n. 26. &c.

In lib. 3. de Bapt. c. 18. aperte asserit Augustinus peccatores *intus*, scilicet intra Ecclesiam, cum gemitu tolerari; sunt igitur illi universalis Ecclesiæ membra: *quamvis*, ut ibidem addit S. Doctor, *ad columbæ unitatem, & illam gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, non pertineant.*

Ita in lib. 4. de Bapt. c. 3. Augustinus Ecclesiam considerat, quatenus viva ac principaliora membra complectitur; *quæ una columba dicta est, & sponsa Christi sine macula, & ruga*. De Ecclesia igitur hoc modo sumpta recte pronunciat S. Doctor, quod peccatores *videntur esse in Ecclesia, sed non sunt, immo & contra Ecclesiam faciunt*. Eodem tamen in libro c. 2. de avaris, raptoribus, fœneratoribus inquit, *quod eos non tantum foris, sed etiam intus esse multis literarum suarum locis Cyprianus ipse testatur*.

Tandem in lib. 7. de Bapt. c. 51. dicit Augustinus, *alios ita esse in domo Dei, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari su-*

per petram, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulcra sine macula, &c. Hæc vero domus *in bonis fidelibus est, & sanctis Dei servis ubique dispersis, & spiritali unitate devinctis in eadem communione sacramentorum*. De peccatoribus autem ita subjicit S. Doctor: *Alios ita dici esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ, pacificæque justitiæ; sed sicut esse palea dicitur in frumentis: nam & istos esse in domo, negare non possumus, dicente Apostolo: In magna autem domo non solum aurea vasa sunt, vel argentea; sed & lignea, & fictilia; & alia quidem sunt in honorem, alia vero in contumeliam*. Ex quo igitur peccatores non pertineant ad compagem Ecclesiæ, idest, ex quo non habeant caritatem, neque sint electum Dei triticum, inferri non potest, eos non esse in magna Ecclesiæ domo. Hinc de iisdem in seq. cap. 52. dicit Augustinus, quod *sic sunt in domo per communionem sacramentorum, ut extra domum sint per diversitatem morum*.

Postremo de Hæreticis & Schismaticis S. Doctor affirmat in eodem c. 51, quod illi neque Dei domus, neque in Dei domo, sed ex Dei domo sint; ait enim: *Ex hoc numero innumerabili, non solum turba intus premens cor paucorum in tantæ multitudinis comparatione sanctorum, sed etiam disruptis retibus hæreses & schismata existunt in eis, qui jam magis ex domo, quam in domo esse dicendi sunt, de quibus dicitur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Separatiores enim sunt jam etiam corporaliter segregati, quam illi, qui interius carnaliter, & animaliter vivunt, & spiritaliter separati sunt.*

Cer-

Certo igitur apparet juxta Augustini sententiam, peccatores *intus* in Ecclesia esse, a qua licet *spiritaliter*, non tamen *corporaliter*, separantur, uti separantur Hæretici.

Ex hac posteriori Augustini doctrina colligitur, non esse duplicem distinguendam Ecclesiam, alteram ex solis justis constantem, alteram vero ex bonis, malisque permixtam; sed unicam admittendam, cujus diversæ sunt partes, sive ad quam diverso modo boni spectant, ac mali. Sunt enim utrique in eadem *Domo*, sive in eadem Ecclesia *per communionem Sacramentorum*: quia tamen habent *diversitatem morum*; boni quidem pertinent *ad compagem Domus istius, societatemque justitiæ*; mali vero non item. Quare boni non tantum ad exteriorem Ecclesiæ partem, & quasi ad corpus ejus spectant, verum etiam ad animam, & partem interiorem Ecclesiæ; mali autem ad exteriorem visibilemque solummodo partem, & quasi ad corpus dumtaxat Ecclesiæ pertinere dicuntur. Hinc eodem fere modo de Ecclesia loquimur, ac de homine, in quo licet diversa sint, quæ secundum interiorem, exterioremque conceptum significantur; non tamen duplex est, aut duplex dicitur homo. Lege S. Augustinum in Breviculo Collat. contra Donatistas tertia die c. 9.

Objicies 4. Ecclesia sancta est: ergo ex Sanctis solummodo constat. Deinde Ecclesia est corpus vivum; qui autem gratia carent, mortui sunt. Præterea, si mali essent Ecclesiæ membra, Christus qui Ecclesiæ suæ Caput est, aliquid in eos influeret: at Christus in malos omnino nil influit.

Resp. ad 1. Ecclesiam sanctam esse professio-

ne, religione, & doctrina. A præcipuis etiam partibus suis potest illa sanctitatis denominationem accipere, uti diximus in præcedente capite ad 1. objectionem. Hinc apposite in Catechismo Romano legitur parte 1. c. 10. n. 15. „ Mirum cuiquam videri non debet, Ecclesiam „ dici sanctam, tametsi multos peccatores con„ tinet. Sancti enim vocantur Fideles, qui „ populus Dei effecti sunt, quique se, fide, „ & Baptismate suscepto, Christo consecrarunt: „ quamquam in multis offendunt, & quæ pol„ liciti sunt, non præstant; quemadmodum et„ iam, qui artem aliquam profitentur, etsi „ artis præcepta non servent, nomen tamen „ artificis retinent. Quare Divus Paulus 1. „ Cor. c. 1. v. 2. Corinthios, sanctificatos, & „ sanctos appellat, in quibus nonnullos fuisse „ perspicuum est, quos ut carnales, & gra„ vioribus etiam nominibus acriter objurgat." Sed de Ecclesiæ sanctitate prolixius infra loquemur.

Ad 2. respondemus, ex argumento solum inferri peccatores esse Ecclesiæ & Christi membra mortua, & imperfecta. Hinc de illis Doctor Angel. scribit in p. 3. q. 8. a. 3. ad 2. quod *non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi forte imperfecte, per fidem informem, quæ unit Christo secundum quid, & non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ. Fides enim sine operibus mortua est, ut dicitur Jacobi 2. Percipiunt tamen tales a Christo quendam actum vitæ, qui est credere; sicut si membrum mortificatum moveatur aliqualiter ab homine.*

Atque per id patet quoque responsio ad 3. Majoris tamen claritatis causa cum eodem S. Do-

Doctore ibi in responsione notamus, quod „ Christus est caput omnium hominum; sed „ secundum diversos gradus. Primo enim & „ principaliter est caput eorum, qui actu uni„ untur sibi per gloriam. Secundo eorum; qui „ actu uniuntur sibi per caritatem. Tertio „ eorum, qui actu uniuntur sibi per fidem. „ Quarto vero eorum, qui sibi uniuntur so„ lum in potentia nondum reducta ad actum, „ quæ tamen est ad actum reducenda, secun„ dum divinam prædestinationem. Quinto ve„ ro eorum, qui in potentia sunt sibi uniti, „ quæ nunquam reducetur ad actum; sicut ho„ mines in hoc mundo viventes, qui non sunt „ prædestinati, qui tamen ex hoc seculo re„ cedentes totaliter desinunt esse membra Chri„ sti, quia jam nec sunt in potentia, ut Chri„ sto uniantur.

Tandem advertimus, quod quidam Theologi impios maluerint Ecclesiæ partes appellare, quam membra. *Aliud est*, inquit Canus lib. 4. cap. 6. ad 9. *partes Ecclesiæ esse, aliud esse Ecclesiæ membra. Nomen siquidem partis latius diffunditur, nomen membri contractius est. Pars ad totum refertur, membrum ad animatum corpus. Ita pars sine vita invenitur, ut in lapide, ligno, ac ceteris ejusmodi; membrum autem vere & proprie sine vita ne intelligi quid m potest. Quamobrem improbi partes quidem Ecclesiæ sunt, membra Ecclesiæ aut Christi non sunt. Sunt autem diaboli membra: ac in Ecclesia esse censentur, civesque civitati huic & annumerati & adscripti; cives mali & flagitiosi tamen*. Ita quoque sentit P. Serry Disp. 3. de fide Prælect. 11.

Nos vero minime dubitamus asserere cum S.

Augustino paulo superius laudato, cui S. Thomas minime refragatur, quod peccatores sint Christi, & Ecclesiæ membra, imperfecta licet & infirma, imo & mortua, quemadmodum & in naturali animato corpore ejusmodi membra quandoque inveniuntur. In physicis namque corporibus, quæ perfectam aliquam vitam habent, utputa sensitivam, si membrum talis vitæ capax ea careat, *mortuum* appellatur, quamvis gradum aliquem inferioris vitæ participet: ita manus vi sentiendi privata, mortua dicitur, quamvis nutriri aliquo modo possit. Non secus igitur peccatores, quoniam carent caritatis vita, quæ est propria & perfecta vita Ecclesiæ, mortua membra dicuntur: sunt tamen membra, quia omni motu spiritualis vitæ non carent; retinent enim fidem, quam Christus in illos influit, & per quam ei aliquatenus uniuntur. Quia demum peccando diabolum imitantur, dicuntur etiam membra filiique diaboli. Ut enim legitur Sap. 2. v. 24. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*: Et Joan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo estis*: &c.

Ex dictis postremo colligimus, peccatores non quomodocunque cum Sanctis in Ecclesia esse permixtos, sed iisdem vere proprieque conjungi, non solum per exteriorem unius ejusdemque fidei professionem, & per eorundem Sacramentorum participationem, verum etiam per internam fidem; qui est quidam spiritualis vitæ gradus utrisque communis. Unde Augustinus supra citatus in resp. ad 3. argumentum affirmat, peccatores infirmari in ipso corpore Christi, eidemque adhuc *hærere*, si per excommu-

municationem præcisi non fuerint: ac præterea in Psalmum 43. n. 25. malos fideles, qui fluxis hujus vitæ bonis aucupandis indulgent, significari vult *ventris* nomine in ipso Ecclesiæ corpore. Ait enim: *Non sine causa dictum est de ventre isto, quod adhæsit in terra, nisi quia illi significantur, qui persecutionem non tolerantes, consenserunt iniquis: sic enim hæserunt in terra. Sed quare dicti sunt venter, nisi quia carnales sunt; ut os Ecclesiæ in sanctis sit, in spiritalibus sit; venter Ecclesiæ in carnalibus sit? Itaque os Ecclesiæ eminet; venter absconditus est, tanquam mollior, & infirmior.*

CAPUT V.

Num ad Ecclesiam spectent Hæretici, sive publici sint, sive occulti?

JUrius Calvinianæ sectæ Minister, pluresque ex Novatoribus arbitrantur, universalem Ecclesiam sinu suo complecti omnes Hæreticorum societates, qui fundamentales, ut ajunt, fidei articulos non evertunt; putantque ejusmodi Hæreticos posse æternam obtinere salutem: atque ita etiam de Schismaticis opinantur. Putidissimum hunc errorem invicte confodiemus, dum paulo infra de Ecclesiæ unitate sermonem habebimus.

Quidam vero ex Theologis nostris existimant, manifestos publicosque Hæreticos aliquo sensu dici posse Ecclesiæ partes, seu membra; nempe

propter Baptismum, ac alia nonnulla Sacramenta, quæ retinent. At alii censent extra Ecclesiam esse Hæreticos istos, qui palam adhærent erroribus, quos norunt ab Ecclesia expresse fuisse damnatos: occultos tamen Hæreticos ad Ecclesiæ corpus, a quo separati non adhuc sunt, pertinere tuentur. Alii demum utrosque pariter Hæreticos ab Ecclesia prorsus eliminant. Diversa hæc Theologorum opinio Catholicam fidem haudquaquam offendit, ac in verbis potius, quam in sensu discrepare videtur.

Propositio 1. Hæretici publici nullo modo dici possunt Ecclesiæ membra, vel partes.

Probatur. Joannes in epist. 1. c. 2. v. 19. de manifestis Hæreticis ait: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, &c.* Quem in locum Augustinus tract. 3. n. 4. scribit: *Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, idest ex Ecclesia exeunt: sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis, multi intus sunt, non exierunt, sed tamen Antichristi sunt.* Hæretici itaque ex Ecclesia prodierunt exieruntque, ac in ea amplius non sunt; dici ergo nullatenus possunt illius membra, vel partes.

Item Apostolus ad Titum 3. v. 10. inquit: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita: sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Atqui Episcopus non vitare, sed curare tenetur eos omnes, qui ad suam spectant Ecclesiam; sicuti nempe pastorem assidua ovium suarum cura sollicitat. Unde Hieronymus Comment. in citatum Pauli textum ait: *Hæretici in semetipsos sententiam ferunt, suo arbi-*

bitrio de Ecclesia recedentes.

Et sane, qui hæresim manifeste tuentur, Ecclesiæ animam non participant. Hæc namque præcipue in fide vera, & caritate non ficta consistit. Manifesti autem Hæretici non habent veram fidem, cum audire nolint Ecclesiam, quæ est Depositi custos; & ideo habendi sunt tanquam ethnici, & publicani. Lege quæ scripsimus in lib. 14. c. 7. propos. 5. Neque etiam caritatem habent, uti aperte colligitur ex dictis in lib.23. ubi de Justificatione tractavimus. Ait insuper Augustinus lib.2. contra literas Petiliani c. 77. *Caritas Christiana nisi in unitate Ecclesiæ non potest custodiri.*

Ipsi deinde non participant corpus Ecclesiæ. Tria enim constituunt Ecclesiæ corpus; externa nimirum fidei professio, Sacramentorum communio, & debita subjectio legitimis Pastoribus, ac præsertim Romano Pontifici. At Hæretici manifesti nec ejusdem fidei professionem externam, nec eorumdem Sacramentorum communionem habent, nec tandem legitimis Ecclesiæ Pastoribus subjiciuntur. Nullatenus ergo dici possunt membra vel partes Ecclesiæ; sicuti scilicet, quod ad hominis animam corpusque non pertinet, membrum aut pars ejus esse non potest.

Hinc Patres, & Concilia cum de manifestis loquuntur Hæreticis, ajunt eos extra Ecclesiam esse, ad illamque redire, cum a perverso convertuntur errore, licet iste fundamentales (juxta Novatorum sententiam) fidei articulos non evertat. Hilarius enim lib. 7. de Trin. n. 4. scribit: *Hæretici omnes contra Ecclesiam veniunt; sed dum Hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt: victoria enim eorum,*

Ec-

Ecclesiæ triumphus ex omnibus est.

Hieronymus item in Dialogo contra Luciferianos ait: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari; ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas; scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.*

Concilium Nicænum I. can. 8. manifeste supponit Novatianos a Catholica Ecclesia esse sejunctos, inquiens: *De iis qui se aliquando vocarunt Catharos, cum ad sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam venerint, placuit sancto & magno Concilio, ut manus iis imponantur, & sic maneant in Clero.*

Constantinopolitanum I. non minus aperte ab Ecclesia excludit Hæreticos: ait enim canone 6. *Hæreticos autem dicimus & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt postea a nobis anathematizati: ad hæc autem & eos, qui se sanam quidem fidem confiteri præseferunt, avulsi autem sunt & abscissi, & adversus Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt.* Ubi notandum est, Concilium Hæreticorum nomine non intelligere tantum eos, qui aut Trinitatis, aut Incarnationis mysterium negant; articulos nempe, qui fundamentales a Novatoribus appellantur; sed etiam sectarios omnes, qui ab Ecclesia abdicati sunt, & anathematizati; atque dum illos opponit Ecclesiæ, extra Ecclesiam versari demonstrat. Hinc can. 7. statuit, Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartodecimanos, Apollinaristas sola unctione esse recipiendos; additque, ab iis postulandam fidei professionem, qua etiam scripto de-

declarent, *se anathematizare omnem hæresim quæ non sentit ut sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia*.

Propositio 2. Hæretici occulti sunt in Ecclesia quoad externam ejus visibilemque partem.

Probatur. Hæretici occulti exterius saltem profitentur fidem, Sacramenta participant, legitimisque Ecclesiæ Pastoribus subjiciuntur: spectant itaque ad visibilem Ecclesiæ partem, sive corpus; quamvis quia caritate ac fide carent, ad Ecclesiæ animam nullo modo pertineant.

Et sane, si id ita non esset, duo maxima sequerentur absurda. Primum: Invisibilis & inconspicua foret Ecclesia, cum dignosci non possit, quinam interiori veraque fide sint præditi: Quare huc simile redit argumentum, quo supra probavimus, fideles reprobos, & peccatores ad Ecclesiam pertinere. Alterum pariter inferretur absurdum: Episcopi, ceterique Ecclesiæ ministri potestate ac jurisdictione per abditam interioremque hæresim privarentur; cum intelligi nequeat, ministrum, rectorem, & caput Ecclesiæ illum esse, qui ne ad externam quidem Ecclesiæ partem corpusque pertineat.

Hinc & Joannes Apostolus in citata superius epist. 1. c. 2. v. 19. de hujusmodi Hæreticis ait, eos *intus esse, & non adhuc exiisse*. Et Augustinus laudato tract. 3. n. 4. in hunc locum affirmat, eosdem *sic esse in corpore Christi, quomodo humores mali*: inquit enim: *Et sunt qui intus sic sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi; quandoquidem adhuc curatur corpus ipsius, & sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione mortuorum; sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali: quando evomuntur,*

tunc

tunc relevatur corpus: sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur. Et dicit quando eos evomit atque projicit corpus, Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent.

Objicies 1. contra 1. propos. Matth. 13. v. 24. Christus ait: *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, &c.* Modo in hac parabola ager designat Ecclesiam, in quo tria inveniuntur, triticum nempe, paleæ, & zizania. Triticum significat bonos Catholicos, & paleæ denotant malos, zizania vero demonstrant Hæreticos. Ergo in Ecclesia simul cum bonis malisque Catholicis inveniuntur Hæretici.

Resp. agrum hoc in loco denotare Mundum, bonum semen significare Sanctos omnes, ac zizania designare omnes peccatores. Ita enim Christus discipulis suis parabolam istam exposuit: v. 37. *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus, &c.* Ex quo solum infertur, in Mundo peccatores omnes, hæreticos etiam, inveniri; quod libenter admittimus.

Si vero agri Mundique nomine demonstrari dixerimus Ecclesiam toto terrarum orbe dispersam; tunc zizaniorum nomine omnes intelligendi sunt peccatores, qui tamen diverso modo in agro Ecclesiæ superseminati dicantur; ita nimirum, ut Hæretici manifesti bonis Fide-

delibus permixti afferantur societate solius Christiani nominis, & Baptismi; occulti vero Hæretici etiam quantum ad exteriorem unius fidei professionem; mali postremo Catholici quoad internam insuper veramque fidem. Hinc qui manifeste hæresim profitentur, non uti membra aut partes per verum aliquod unionis vinculum ad idem Ecclesiæ mysticum corpus spectant, sed per commixtionem prorsus extrinsecam, ac prorsus impropriam eidem corpori adjunguntur.

Advertendum hic quoque est, non fieri laudato in loco expressam palearum mentionem, uti fit in parabola areæ, Matth. 3. v. 12. & ideo diximus, zizaniorum nomine malos omnes, reprobosque venire, qui in messis tempore, sive in consummatione seculi mittentur in ignem, uti legitur in contextu. Ceterum si placet paleas a zizaniis in hoc Ecclesiæ agro distinguere, respondebimus cum Augustino in lib. septemdecim qq. super Matthæum q. 11. *Hæretici non societate unius Ecclesiæ vel unius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis: ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius, quam zizania deputentur: quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem.*

Objicies 2. Apostolus in 2. ad Tim. c. 2. v. 20. scribit: *In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*, Quo sane loco magna domus designat Ecclesiam; lignea vero & fictilia vasa significant peccatores omnes, ipsosque manifestos Hæreticos, de quibus v. 17. legitur:

Sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorundam fidem. Constat igitur Hæreticos etiam publicos a magna domo nequaquam excludi. Ita hunc textum tum alii interpretati sunt, tum etiam Cyprianus in epist. 52. ad Antonianum, & ex Cypriano Augustinus lib. 4. de Bapt. c. 12.

Resp. quod si ea verba, *In magna domo &c.* ad Hymenæum & Philetum referantur, non ad id tempus spectavit Apostolus, quo jam de communi Fidelium domo per privatam sectam exierant, sed ad illud potius, quo per susceptam fidem ac Baptismum in magna domo continebantur. Planus enim Apostoli sensus iste est: In magna Ecclesiæ domo sunt omnis generis vasa: quædam aurea, & argentea; nimirum illustres constantesque in fide & sanctitate: quædam lignea & fictilia; nempe vulgares, fragiles, & infirmi: quædam in honorem; idest in nobiles & honorificos usus: quædam in contumeliam; in vilia scilicet ministeria; cujusmodi sunt sordidi vilesque in Dei oculis peccatores. E quorum numero quid mirum quosdam subinde etiam frangi quoad fidem, & e domo detrudi?

Manifesti ergo Hæretici non sunt in magna Ecclesiæ domo. Atque hanc fuisse Augustini sententiam aperte colligitur ex lib. 7. de Bapt. c. 51. uti in præcedente capite ad calcem tertiæ objectionis advertimus. Præterea in lib. 3. de Bapt. c. 19. ita scribit S. Doctor: *Dicit Apostolus Paulus de quibusdam qui circa veritatem aberraverant, & fidem quorundam subverte-*

tebant, quorum sermo ut cancer serpebat, quos cum evitandos esse diceret, in una tamen domo magna eos fuisse significat, sed tanquam vasa in contumeliam. Credo quod nondum foras exierant. Aut si jam exierant, quomodo eos dicit in eadem magna domo cum vasis bonorabilibus? Nisi forte propter ista sacramenta, quæ separatis etiam Hæreticorum conventiculis non mutata sunt, ad unam magnam domum dicit omnes, sed diversis meritis pertinere, alios in honorem, alios in contumeliam. Ex quibus Augustinum docuisse probatur, occultos quidem Hæreticos in Ecclesia esse, publicos vero non item; sed sensu dumtaxat improprio dici posse ad Ecclesiam utcunque spectare.

Sanctus etiam Cyprianus manifestos Hæreticos ab Ecclesia pluribus in locis constanter exclusit, & in citata ad Antonianum epistola scribit, Novatianum, utpote hæreticum, extra Ecclesiam esse. *Quod vero*, ait S. Martyr, *ad Novatiani personam pertinet, scias nos curiosos esse non debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est, & qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.* Nec alia Cypriano causa fuit Hæreticorum Baptisma negandi, nisi quia eos extra Ecclesiam & esse, & baptizare, perpetua fuit illi ac firma sententia.

Verba autem quæ ex eadem S. Martyris epistola exscribit ac laudat Augustinus lib. 4. de Bapt. c. 12., hæc sunt: *Quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, & arrogantiæ suæ quanta jactatio, ut quis audeat aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizania a frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palam*

fer-

ferre & aream purgare concessum sit, paleas conetur a tritico separare: cumque Apostolus dicat, In domo autem magna non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: aurea & argentea vasa videatur eligere, lignea vero & fictilia contemnere & abjicere & damnare, quando non nisi in die Domini vasa lignea divini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo cui data est ferrea virga frangantur? Ubi sane Cyprianus per zizania, & paleas, ac vasa lignea & fictilia non intellexit Hæreticos, sed solos improbos fideles; apposite scilicet ad Novatianorum hæresim quam refellit, quæque dicebat Ecclesiam ex justis tantum sanctisque constare.

De improbis etiam, non de Hæreticis citata Cypriani verba intelligit Augustinus, cum statim post illa subjungat: *Sic igitur arguens Cyprianus eos qui tanquam malorum consortium devitantes, se ab unitate disruperant, ostendit magnam domum, quam dixit Apostolus, ubi essent non solum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, non se intellexisse nisi Ecclesiam, ubi essent boni & mali, donec in fine sicut area ventilata purgetur, &c.* in quibus ne verbum quidem S. Doctor adjungit, quo ostendat se Cypriani auctoritate permotum per vasa lignea & fictilia manifestos intelligere Hæreticos in Ecclesia existentes.

Præmittit quidem eo loci S. Augustinus: *Quanquam & istos de quibus ait Apostolus, Sermo eorum sicut cancer serpit: vellem intelligere foris fuisse, sed Cyprianus ipse me non sinit:* At hæc verba hunc reddunt sensum: Vellem intelligere publicos contumacesque Hæreti-

ticos qui foris sunt, eos fuisse de quibus scribit Apostolus in 2. ad Tim. 2. v. 17.; at Cyprianus me non finit, qui in epist. ad Antonianum affirmat eos intus in magna Ecclesiæ domo fuisse, exponens eadem verba de improbis, & occultis dumtaxat Hæreticis, qui nondum foras exierant: quam quidem interpretationem rejicere non audeo (recole quæ paulo superius ex S. Doctore adducta sunt lib. 3. de Bapt. c. 19.) imo libenter probo, etiam propter Cypriani auctoritatem, ut ita contra Donatistas ostendatur, magnos peccatores, ipsosque occultos Hæreticos ab Ecclesia nequaquam excludi.

Ex quibus evidenter apparet, falli aliosque fallere quosdam Theologos asserentes, quod Augustinus in lib. 4. de Bapt. c. 12. scribat se Cypriani auctoritate impulsum fuisse, ut per lignea & fictilia vasa intelligeret publicos Hæreticos, qui quodammodo in Ecclesia sint, propter eadem Sacramenta, quibus administrandis cum illa conveniunt: Adduntque perperam iidem Theologi, Augustinum ad Cypriani verba non satis attendisse, quæ diversum omnino sensum includunt.

Objicies 3. Ecclesia in suos tantum jus habet, non in alienos: unde Apostolus in 1. ad Cor. 5. v. 12. ait: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit*. Cum ergo Ecclesia puniat & anathemate percellat Hæreticos, patet hos intus esse & ad eam uti vera membra spectare.

Et sane, Baptizati, & Sacerdotes sunt Ecclesiæ membra: Baptismus enim est janua, qua in Christianæ vitæ societatem ingredimur, & Sa-

Sacerdotii Ordo Ecclesiæ ministros insigni præditos dignitate ac potestate constituit. In Hæreticis autem perseverant Baptismi & Sacerdotii characteres.

Christus præterea soli Ecclesiæ suæ tradidit Sacramenta, per quæ gratiam suscipientibus impartitur: atqui hujusmodi Sacramentis non carent Hæretici.

Resp. cum Catechismo Rom. p. 1. c. 10. n. 9. non magis Hæreticos ad Ecclesiam pertinere, quam transfugæ ad exercitum pertineant, a quo defecerunt. Quare licet Ecclesiæ membra non sint, sub ejus tamen sunt potestate, a qua vocari in judicium possunt, & puniri, & anathematis etiam vinculo innodari. Apostolus autem, uti ex contextu liquet, loquitur de paganis, qui ita foris sunt, ut nunquam intus fuerint; præcipitque Corinthiis, quod sicuti de iis omnibus qui erant intra ipsorum Ecclesiam, judicabant, meritisque eos pœnis afficiebant, si in publica scandala lapsi fuissent; ita etiam circa incestuosum gerere se deberent, ipsum ab Ecclesia eliminando.

Ad 2. Sacramentorum characteres remanent utique in manifestis Hæreticis, at non ideo hi dicendi sunt Ecclesiæ membra; nam illi remanent etiam in damnatis, qui tamen nullatenus possunt Ecclesiæ membra vocari. Non enim idcirco character imprimitur, ut Christo Capiti, ceterisque ejus membris homo jungatur; sed ut ad sacrum aliquid suscipiendum, vel peragendum reddatur idoneus, & ut nota aliqua alter ab altero distinguatur. Vide quæ diximus in Instit. lib. 24. c. 18. Demum idcirco Baptismus dicitur janua, qua in Christianæ vitæ societatem

tem ingredimur, quia ab eo divinis præceptis obtemperandi initium facimus; ex quo perperam infertur, Baptizatos omnes, licet manifestos hæreticos, intra Ecclesiam contineri: neque in solis Ecclesiæ membris habetur ampla illa potestas, quæ sacra Ordinatione confertur.

Ad 3. Non utique carent Hæretici potestate conferendi Baptismum, & alia Sacramenta; quæ tamen non ad illos pertinent, sed ad Ecclesiam, quæ per ancillarum etiam uteros potest filios procreare; eos nempe, qui hæresi non consentientes, sed necessitate compulsi ab Hæreticis Sacramenta percipiunt. Unde Augustinus lib. 1. de Bapt. c. 15. ait: *Ecclesia omnes per Baptismum parit, sive apud se, idest ex utero suo; sive extra se de semine viri sui: (sive de se, sive de ancilla.)* Et eodem in lib. c. 10. *Ergo ipsa generat, & per uterum suum, & per uteros ancillarum, ex eisdem Sacramentis, tanquam ex viri sui semine.*

Objicies 4. contra 2. propos. Augustinus in lib. de Unitate Eccl. c. ult. scribit: *Tunc quisque infructuosus, & nondum a radice præcisus est, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum est, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: Sed cum pro ipsis operibus etiam veritati apertissimæ qua redarguitur, resistere cœperit, tunc præciditur. Et multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia; & tamen jam non sunt in Ecclesia. Alioquin si tunc quisque præciditur, cum visibiliter excommunicatur; consequens erit, ut tunc rursus inseratur, cum visibiliter communioni restituitur. Quid si ergo fictus accedat, atque adversus veritatem, & Ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamvis*

 per-

peragatur in eo illa solemnitas, numquid reconciliatur, numquid inseritur? Absit. Sicut ergo jam denuo communicans, nondum insertus est; sic & antequam visibiliter excommunicetur, quisquis contra veritatem, qua convincitur, & arguitur, inimicum gestat animum, jam præcisus est. Quibus profecto verbis docet Augustinus, in Ecclesia quidem esse fideles peccatores, non vero occultos Hæreticos, etiamsi cum fidelibus in externa Sacramentorum communione permaneant.

Resp. hoc in loco Ecclesiam ab Augustino arbori comparari, cui diversi generis sint rami. Ramus bonorum operum fructu fœcundus, ac radici per caritatem fidemque perfecte cohærens, est Justus. Ramus ob defectum bonorum operum infœcundus, sed radici per fidem adhuc adhærens, est Fidelis injustus. Ramus infructuosus, & insuper a radice præcisus, interna dumtaxat, non autem externa præcisione, est Hæreticus, & Excommunicatus occultus, ac toleratus. Ramus denique infructuosus, & interna externaque præcisione a radice divulsus, est publicus ac notorius Hæreticus, & Excommunicatus. Sicut itaque infructuosus ramus si interius tantum sit a radice disjunctus, spectat ad conspicuam arboris formam, quamvis ad inconspicuam minime spectet; ita similiter Hæreticus & Excommunicatus occultus, ac toleratus, etsi non ad inconspicuam, ad conspicuam tamen visibilemque pertinet partem Ecclesiæ; sive, quod idem est, spectat ad ejus corpus, licet non spectet ad animam. Idque Augustinus verbis illis expressit: *Et multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia.* Ita pariter si quis fi-

ficte exteriori reconciliationis ritui se subjiciat, vere & quoad fructum non reconciliatur; nullum enim emolumentum ex hujusmodi ceremonia trahit; membrumque est aridum, Ecclesiæ corpori dumtaxat insertum, omnique vitali actione privatum.

Objectant insuper ex eodem S. Doctore quod ait in lib. 4. de Bapt. c, 16. *Si quisquam idem sentiat quod ille* (Photinus) *& esse noverit hæresim ab unitate Catholica separatam ubi hoc docetur & discitur, sed alicujus secularis emolumenti causa in Catholica unitate baptizari voluerit, vel in ea baptizatus propter hoc exire inde noluerit; non solum separatus habendus est, verum etiam tanto sceleratius, quanto magis errori hæresis, & divisioni unitatis fallaciam simulationis adjungit*. At quamvis hic Augustinus de occultis loquatur Hæreticis, eos tamen non ab Ecclesiæ corpore, sed solum ab anima separatos esse pronunciat; graviusque scelus in eo consistit, quod occulti Hæretici, obducta exteriori fidei larva, facilius, quam Hæretici manifesti notoriique, incautos simplicesque fideles decipiunt ac seducunt. Unde subjungit: *Quamobrem cujusque hominis pravitas, quanto periculosior & tortuosior est, tanto instantius, & operosius corrigenda est*.

Objicies ultimo. Vera fides est totius Ecclesiastici ædificii fundamentum; uti docet Apostolus in 1. ad Cor. 3. v. 10. & 11. Non ergo ad Ecclesiam pertinent, qui vera internaque fide privantur.

Et sane Ecclesia definitur societas fidelium: occulti vero Hæretici quamvis fidem profiteantur exterius, non sunt vere fideles, sicut nec hypocritæ sunt vere justi. Sicut igitur exterior

Baptismi ritus sine vero Baptismo non sufficit, ita nec exterior fidei professio sine vera fide sat est, ut quis in Ecclesia esse dicatur.

Resp. fidem dici Ecclesiæ fundamentum, quia sine vera in Christum fide stare non potest tota spiritualis Ecclesiæ domus, quæ super summum angularem lapidem ex vivis lapidibus ædificata consurgit; & primo quidem per fidem, ex qua omnis justitia sumit initium. At inde non sequitur, ad hanc domum nullatenus pertinere nonnullos, qui licet per fidem minime vivant, vivis tamen lapidibus saltem exterius fidem profitendo junguntur. Nam etiam sine caritate subsistere nequit Ecclesia, nec tamen potest inde concludi, omnes qui ad illam spectant, caritate præditos esse debere.

Hoc itaque sensu Ecclesia describitur societas fidelium, quatenus nunquam esse potest absque veris sincerisque Catholicis; non quatenus oporteat quamlibet ejus partem per interiorem fidem iisdem Catholicis adhærere: sicuti nempe non est opus, ut peccatores per caritatem justis adhæreant.

Baptismus denique idcirco requiritur, ut aliquis sit in Ecclesia, quia externis saltem vinculis debet cum illa conjungi: vere tamen baptizatus ille præsumitur, qui exterius ritu legitimo baptizatur; itemque qui fidem profitetur exterius, hujusmodi professione, & Sacramentorum communione Ecclesiæ corpori copulatur.

CA-

CAPUT VI.

Num Schismatici, Excommunicati, Infideles, & Catechumeni sint in Ecclesia?

SChisma Græcum est nomen deductum a σχίζω, quod divisionem dissidiumque significat, ac generatim acceptum cuilibet animorum dissensioni tribuitur: proprie vero denotat voluntariam separationem ab Ecclesiæ unitate, non sine contemptu auctoritatis ejusdem Ecclesiæ.

Licet autem schisma, & hæresis in eo conveniant, quod Ecclesiæ communionem, & unitatem abrumpant; differunt tamen, quia hæresis fidem impetit, schisma vero caritatem. Unde Doctor Angel. in 2. 2. q. 39. a. 1. ad 3. inquit, *quod hæresis, & schisma distinguuntur secundum ea, quibus utrumque per se & directe opponitur. Nam hæresis per se opponitur fidei, schisma autem per se opponitur unitati Ecclesiasticæ caritatis. Et ideo sicut fides, & caritas sunt diversæ virtutes, quamvis quicunque caret fide, careat caritate; ita etiam schisma, & hæresis sunt diversa vitia, quamvis quicumque est hæreticus, sit etiam schismaticus, sed non convertitur.*

Illi itaque vere Schismatici sunt, qui a Catholicæ Ecclesiæ unitate se separant, vel auctoritatem eius in aliquo universalis disciplinæ dogmate contemnendo, vel ab ejus Capite quod est

centrum unionis & communionis Ecclesiasticæ, recedendo, vel cum Fidelibus aliis non communicando. Ut enim recte ait S. Thomas in responsione citati articuli, *proprie Schismatici dicuntur, qui propria sponte, & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis. Nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem Ecclesiæ, sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem. Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur, scilicet connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem; seu communicatione; & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum Caput, secundum illud ad Colos. 2. v. 18.* Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. *Hoc autem Caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

His ergo notatis asserimus publicos Schismaticos ad Ecclesiam non spectare. Christi enim Ecclesia una est, uti omnia ejus nomina, figuræ; ac parabolæ evidenter ostendunt. Huic autem unitati directe repugnat schisma, quod divisionem & separationem importat. Ergo Schismatici ad Ecclesiam pertinere non possunt. Quare S. Cyprianus epist. 69. ad Pupianum ait: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse;*

esse; & frustra sibi blandiri eos qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia quæ Catholica est, & una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.

Item Optatus lib. 1. contra Parmenianum n. 11. de Schismaticis ita loquitur: *Deserta matre Catholica, impii filii dum foras exeunt, & se separant (ut vos fecistis) a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.*

Hieronymus etiam in c. 3. epist. ad Titum inquit: *Inter hæresim & schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat: schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separet.*

Idem denique Augustinus passim affirmat, ac præcipue lib. de fide & symbolo c. 10. *Credimus & sanctam Ecclesiam, utique Catholicam. Nam & hæretici, & schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. Sed hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant; schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum.* Lege etiam ejus librum de Unitate Ecclesiæ c. 4. necnon Tract. 3. in epist. 1. Joan. n. 4. & Serm. 252. c. 4.

Laudatis insuper Patribus adjungendi sunt Chrysostomus hom. 11. in epist. ad Ephesios, & Ambrosius lib. 1. de excessu fratris sui Satyri n. 47. aliique communiter; quibus assentitur Ecclesia Deum orans in Parasceve, ut Hæreticos

&

& Schismaticos *ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam revocare dignetur*.

Objicies autem 1. Sub Jeroboamo Rege decem Tribus Israel a Tribubus Juda & Benjamin facto vero proprioque schismate recesserunt: Deus enim publicum aliquod unitatis centrum in Jerosolymitana urbe statuerat, ubi Templum, & Arca, magnumque Sanhedrim tunc extabat; proindeque schismatici erant quicunque huic unitatis centro minime jungebantur. Atqui hoc non obstante decem illæ Tribus ad veterem Ecclesiam pertinebant; cum plures in eis fuerint pii Viri, pluresque Prophetæ.

Præterea, seculo XIV. dirum schisma vexavit Ecclesiam, pluresque Viri doctrina ac sanctitate percelebres adhærebant Urbano VI., plures autem Clementi VII., quin dici merito possit aut hos aut illos a Christi Ecclesia tunc fuisse præcisos.

Postremo, Schismatici de quibus agitur, non solum veram fidem exterius profitentur, sed & illam servant interius; ergo communicant cum Christo Capite, ejusque sunt membra, a quo influxum aliquem spiritualis vitæ recipiunt; ergo sunt etiam membra Ecclesiæ. Nam sicuti Christus qui Caput est, non habet aliud mysticum corpus præter Ecclesiam; ita nec alia membra habet, nisi ea quæ sunt Ecclesiæ membra.

Resp. ad 1. Inter eos qui Jeroboamo Regi parebant, quidam schismati consenserunt, vitulosque aureos adorarunt; & illi quidem non schismatis tantum, sed & idololatriæ rei ad illius temporis Ecclesiam non spectabant. Quidam vero schismati minime adhæserunt, damnaruntque cultum vitulorum quos Jeroboamus ere-

erexerat; & hi licet Jerosolymam non pergerent singulis annis sacrificia oblaturi, non ideo uti schismatici traducendi sunt; quia non sponte, sed Jeroboami jussione coacti, id exequi non valebant; quapropter eos animo saltem ac desiderio cum Juda & Religionis centro communicasse dicendum est.

Ad 2. asserimus, schismaticum esse, qui a legitimi Pontificis obedientia videns volensque recedit, non qui facti errore detentus schismatis tempore alicui paret, quem probabiliter putat verum esse Pontificem. Quare non erant vere proprieque schismatici ii omnes, qui bona fide Antipapæ Clementi VII. adhæserunt.

Ad 3. Licet Schismatici interius veram fidem habeant, eandemque profiteantur exterius, non tamen eo modo quo Christus instituit; servando videlicet unitatem Ecclesiasticæ caritatis, quæ debitam Summo Pontifici obedientiam requirit, & communicationem cum membris Ecclesiæ ei subjectis expostulat. Non ergo Schismatici sunt Ecclesiæ membra, neque membra sunt Christi, qui eodem fere pacto fidem in eos influit, quo gratias suas infidelibus etiam quandoque largitur.

Ut autem de Excommunicatis breviter disseramus, recolenda monemus, quæ de censura generatim inspecta, & quæ speciatim de excommunicatione tradidimus lib. 32. cc. 4. & 5. Ex iis enim inferri non obscure videtur ad Ecclesiam illos minime pertinere, qui majoris excommunicationis vinculo juste ac publice innodantur. Et profecto Matth. 18. v. 17. jubet Christus non amplius ut fratres, sed ut ethnicos, eos habendos esse, qui Ecclesiam audire

dire noluerint: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Item Apostolus dum in 1. ad Cor. c. 5. incestuoso excommunicationem infligit, iis utitur verbis quibus evidenter ostendit illum ab Ecclesiæ corpore prorsus abscindere. *Ut tollatur*, inquit v. 2. *de medio vestrum, qui hoc opus fecit*: & v. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis.*

Patres quoque passim affirmant, Excommunicatos foris esse, & ab Ecclesia separari, ejici, propelli, præcidi. Cyprianus enim epist. 62. ad Pomponium ait: *Spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia possit.*

Hieronymus in c. 3. epist. ad Titum inquit: *Fornicator, adulter, homicida, & cetera vitia, per Sacerdotes ab Ecclesia propelluntur. Haeretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes.*

Augustinus quæst. 39. in Deuteronomium confert quod ibi legitur c. 24. v. 7. *Auferes malum de medio tui*, cum citato Pauli textu 1. Cor. 5. v. 13. *Auferte malum ex vobis ipsis*, aitque: *Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Quemadmodum igitur qui interfecti erant, ad Synagogam, & ad viventium numerum nulla ratione spectabant, ita qui excommunicantur, ad Ecclesiam, & ad membrorum ejus cœtum omnino non pertinent.

Hinc demum Causa 11. quæst. 3. cap. 107. legitur: *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei & judicio Sancti Spiritus, a gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & a consortio*

to-

totius Christianitatis eliminamus. Hæc postremo sententia traditur etiam in Catechismo Romano p. 1. c. 10. n. 9.

Objicies 1. Augustinus lib. contra Donatistas post Collationem c. 20. scribit: *Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem pœnitendi locum redigimus*. Atqui Dei populus est ipsa Ecclesia. Non ergo Excommunicati ab Ecclesia separantur.

2. Excommunicatio est quædam spiritualis medicina, instituta in utilitatem eorum qui tali pœna plectuntur: atqui ejusmodi profecto non esset, si Excommunicati ab Ecclesia penitus arcerentur.

3. Potest quispiam permanere civis alicujus Reipublicæ, etiamsi a concivium consortio, & familiaritate pellatur. Ergo potest & Excommunicatus ab Ecclesiæ communicatione sejungi, quin ejusdem Ecclesiæ desinat esse membrum. Et sane Excommunicatus non dicitur simpliciter Ethnicus, sed habendus *sicut Ethnicus*, quantum scilicet ad communicationem cum aliis fidelibus: ut enim inquit Augustinus in lib. de corrept. & grat. c. 15. per excommunicationem *ab ovibus sanis morbida separatur, ne per plures serpant dira contagia*. Quapropter asseri recte potest, quod quando excommunicatio propter hæresim fertur, tunc Excommunicatum ab Ecclesia vere proprieque præscindat; quando autem propter alia peccata, non item.

Resp. ad 1. excommunicationem aliam esse majorem ac mortalem, quæ propter enormem impietatem infligitur, & ab Ecclesiæ corpore scindit; aliam vero minorem esse & medicinalem, quæ ab Eucharisticæ Mensæ accessu removet, & inter publicos pœnitentes conjicit, quin

quin ab Ecclesiæ corpore omnino præcidat. De hoc secundo excommunicationis genere loquitur Augustinus objecto in loco: at de altero in lib. de Unit. Eccl. c. ult. scribit, quod *excommunicari sit præcidi ab Ecclesia*; & in serm. 137. c. 1. *Quidquid adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est; quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest.*

Ad 2. Excommunicatio major dici potest medicina, quatenus Ecclesia eo fine *separat & excommunicat, ut redeuntem cum humilitate, & confusum de contumacia arctius stringat, & interius claudat*; uti scribit S. Bonaventura in 4. d. 18. p. 2. a. 1. q. 1. Vide quæ diximus in lib. 32. c. 5.

Ad 3. Ex dictis apparet, Ecclesiam, dum reum majori excommunicatione ferit, non solum a fidelium communione disjungere, verum etiam a suo corpore omnino præscindere; nempe quemadmodum potest Princeps aliquem non tantum a concivium consortio removere, sed etiam civitatis jure privare, ipsumque pœna mortis afficere. Hinc licet Fidelis Excommunicatus non sit simpliciter Ethnicus, quantum tamen ad separationem ab Ecclesiæ corpore est habendus ut Ethnicus. Lege quod super hunc Matthæi textum advertimus in citato lib. 32. c. 5. Si denique Patrum testimonia, Hieronymi præsertim & Augustini, superius adducta considerentur; negari non poterit, tum propter hæresim, tum propter alia crimina Excommunicatum ab Ecclesiæ corpore prorsus abscindi.

Hic si præterea quæres, num ad Ecclesiam pertineant Infideles, paucis reponemus, communissimam esse Theologorum assertionem, quod si publici sint ac minime baptizati, ad Eccle-
siam

siam omnino non spectent. De illis enim ait Apostolus 1. ad Cor. 5. v. 12. *Quid mihi de iis qui foris sunt, judicare?* De occultis vero Infidelibus, si baptizati sint, idem dicendum est, ac in priori capite diximus de occultis Hæreticis: quod si baptizati non essent, ne ad corpus quidem Ecclesiæ pertinerent, quamvis alicujus temporalis commodi causa clam sese fidelium cœtibus immiscentes exterius fidem profiterentur, & Sacramenta perciperent, & Ecclesiasticis Pastoribus obedirent. Quidquid enim contra nonnulli Theologi senserint, hujusmodi Infideles occulti non nisi secundum exteriorem speciem, putative, ac ficte in Ecclesia essent; cum Baptismo carerent, sine quo aditus ad illam patere non potest. Quare cum in Ecclesiam nunquam admissi fuissent, statim ac constaret eos nunquam initiatos fuisse Baptismo, procul a fidelium cœtibus pellerentur.

Reliquum modo est, ut opinionem nostram de Catechumenis exponamus. Hac in re pro certo tenemus, salvos eos fieri posse, & ad Ecclesiæ animam pertinere, etiam antequam Baptismo reipsa tingantur, si internam fidem ac caritatem habuerint. Ad ejusdem vero Ecclesiæ corpus illos haud spectare censemus, etsi quidam Theologi oppositam sententiam probabiliorem existiment. Et profecto nemo ingredi in Ecclesiam potest nisi per Baptismum; *per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ*, uti de hoc Sacramento loquitur Eugenius IV. in Concilio Florentino. Quare Catechumeni jus nullum habent ad Ecclesiæ Sacramenta, & ad alia quæ ceteris fidelibus sunt communia. Præterea Ecclesia est visibilis

fide-

fidelium cœtus; oportet itaque, ut membra ejus visibili forma, sive Sacramento, Baptismo scilicet, invicem copulentur. Ac tandem, Baptisma circumcisioni successit: sicut igitur incircumcisi ad Synagogam minime pertinebant, ita neque ad Ecclesiam pertinent quicunque Baptismo initiati non fuerint: hinc illi Ecclesiasticis legibus non tenentur.

Bene itaque nonnulli opinionis nostræ Patroni scripserunt, quod Catechumeni per fidei professionem ac Baptismi desiderium ingredi in Ecclesiæ corpus incipiant, ac dici possint inchoata dumtaxat, & imperfecta membra; & esse in Ecclesia, sicut Novitii in Religioso Ordine esse dicuntur. Quo sensu accipienda sunt ea Augustini verba tract. 4. in Joan. *Intendat caritas vestra. Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ Catechumeni.* Loquitur enim S. Doctor de Catechumenis, qui meliores se aliis arbitrantes, ad Baptismum dedignabantur accedere. Certum est autem ejusmodi Catechumenos in Ecclesia vere proprieque non fuisse; sed hoc dumtaxat sensu, quod cum nomen suum dedissent, ut Baptizandorum albo insereretur, hujus voti causa censebantur ad Ecclesiam utcunque spectare.

CAPUT VII.

De Ecclesiæ unitate.

Ecclesiæ notæ a Theologis signa illa dicuntur, quibus eadem Christi Ecclesia certo di-

dignosci potest, & quasi digito demonstrari. Lutherani, & Calvinistæ duas passim proferre solent Ecclesiæ notas; sinceram scilicet verbi Dei prædicationem, seu doctrinæ veritatem, & legitimum Sacramentorum usum. At licet hæc duo ad Ecclesiam spectent, tanquam ejus dotes ac prærogativæ; cum tamen Ecclesiam notificandi, seu manifestandi vi careant, ejusdem notæ appellari non possunt.

Et profecto nota clarior esse debet re, quæ per illam ostenditur: atqui vera Christi doctrina, legitimusque Sacramentorum usus sunt obscuriores Ecclesia. Ut enim certo noscatur, quæ vera doctrina sit Christi, oportet ut pateat, genuinos divinosque esse libros, in quibus ejusmodi doctrina continetur; & constare insuper debet sensus, ac recta interpretatio verborum, quæ in libris illis habentur, veramque tradunt Christi doctrinam. Privati vero homines, si præsertim rustici, plebeji, illiterati sint, ea duo nosse, & explorare non valent; nam docti etiam & eruditi viri de iisdem rebus graves inter se habuerunt concertationes, quæ privato judicio, & auctoritate finiri minime potuerunt. Non enim eos omnes Scripturæ libros uti canonicos Lutherus agnoscit, quos tamen Calvinus admittit. Diffident etiam Novatores circa Scripturæ sensum, ac præsertim circa illum, qui in verbis istis includitur: *Hoc est corpus meum*. De numero insuper ac virtute Sacramentorum acrius inter se disceptarunt Hæretici. Tot itaque lites non nisi Ecclesiæ judicio componendæ sunt: proindeque hæc notior est tum vera Christi doctrina, tum legitimo Sacramentorum usu.

A nostris ergo Theologis quatuor passim assignantur notæ, quæ in Constantinopolitano Symbolo exprimuntur; *unitas* nempe, *sanctitas*, *Catholicitas*, *& Apostolicitas*. Etsi vero alii alias notas addiderint, facile tamen illæ ad istas quatuor reducuntur.

Prima itaque Ecclesiæ nota, de qua hoc in capite differemus, est unitas. Hanc enim veræ Christi Ecclesiæ convenire, ex Scripturis ac Patribus manifestissime comprobatur. Dicitur enim in singulari una *sponsa*, & una *columba*, Cant. 6. v. 8. una *vinea*, unumque *regnum*, Matth. 21. v. 41. & 43. una *familia*, Matth. 24. v. 45. unum *ovile*, Joan. 10. v. 16. Ac tandem Apostolus in 1. ad Cor. 12. v. 12. & 13. scribit: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.*

Sancti etiam Patres clare ac constanter Ecclesiæ unitatem attribuunt. Omnium instar sit Cyprianus, qui in libro quem de hoc argumento conscripsit, adversus Novatianos hæc inter alia habet: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, quæ in multitudine latius incremento fœcunditatis extenditur: quo modo Solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium Solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare*

non

non poterit : a fonte præcide rivum, præcisus a[r]escit.

Hinc ex adducta S. Cypriani doctrina concluditur, quod licet plurimæ sint particulares Ecclesiæ toto Orbe dispersæ, quia tamen uno inter se vinculo copulantur, unam componunt totalem ac universalem Ecclesiam. Ut enim Tertullianus etiam ait lib. de Præscript. c. 20. *Tot ac tantæ Ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem.*

Hæc autem unitas in tribus sita potissimum est: 1. nimirum in unione membrorum omnium inter sese, & cum Capite suo, tum invisibili, quod est Christus Dominus, tum visibili, quod Romanus est Pontifex; 2. in usu eorundem Sacramentorum, per quæ Christi sanguis ad justificationem hominibus applicatur; 3. in eadem fide, ac doctrina. Unde Apostolus ad Ephes.4.v.5.ait: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Notandum hic est, Jurium Calvinistam in tractatu de unitate Ecclesiæ, quem Roterodami excudit anno 1688., contendere eos omnes Christianos ad unam veram Christi Domini Ecclesiam pertinere, qui articulos, quos *fundamentales* nominat, profitentur; etsi perfracte defendant errores alios ab Ecclesia proscriptos, qui fundamentales articulos non convellunt. Quamvis autem neque Jurius, neque qui ipsum sequuntur Novatores, distincte explicent fundamentales quos vocant articulos; nihilo tamen minus apud illos passim veritas fundamentalis ea dicitur, quæ Christianæ fidei ita est essentialis, ut qui eandem negare audeat, non possit æternam sperare salutem; sive tandem ejusmodi veritas ab Ecclesia fuerit definita, sive

non; cujus sunt generis articuli ad Unum Trinumque Deum, & ad Christum Dominum pertinentes. Veritas autem non fundamentalis est quæcunque alia, quæ sive ab Ecclesia definita sit, sive non, sine salutis æternæ dispendio ignorari potest, aut etiam denegari.

At Ecclesia ita una dicenda est, ut quaslibet alias Hæreticorum societates excludat, licet ab ipsa in aliqua non fundamentali veritate dissentiant. Id patet ex dictis c. 5. quibus robur hic addimus ex Augustini auctoritate, qui in lib. de Hæresibus a Simonianis ad Pelagianos octoginta & octo diversos recenset Hæreticos, quorum profecto plurimi in fundamentalibus articulis non errabant; ut, exempli gratia, fuerunt Origenistæ, Tertullianistæ, Novatiani, Donatistæ, Luciferiani, Jovinianistæ, similesque non pauci; & tamen S. Doctor prope finem citati libri conceptis verbis affirmat, omnes a se recensitos diversarum sectarum errores, & quosvis alios, qui vel adhuc exorti fuerint, vel sint deinceps exorituri, cujuscunque sint generis, & quoscunque convellant nostræ Religionis articulos, quos Catholica Ecclesia rejicit, a Christiano Catholico penitus esse vitandos. *Nec ideo tamen*, inquit Augustinus, *parum prodest errores istos, quos huic operi intexui, lectos, cognitosque vitare. Quid enim contra ista sentiat Catholica Ecclesia, quod a me dicendum putasti, superfluo quæritur: cum propter hoc scire sufficiat eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere . . . . Omnis itaque Christianus Catholicus ista non debet credere: sed non omnis, qui ista non credit, consequenter debet se Christianum Catholicum jam putare, vel dicere. Possunt enim*

enim & hæreses aliæ, quæ in hoc opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse, vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, Christianus Catholicus non erit.

Quod si extra Catholicam Ecclesiam sunt Hæretici etiam illi, qui non fundamentales inficiantur articulos, fallitur oppido Jurius, falluntur & alii Novatores, qui iisdem æternam salutem promittere non verentur. Ut enim ait Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiæ, *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit; & qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet.*

Id quoque sæpissime docuit Augustinus, ac præsertim in sermone ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem, quem habuit coram Emerito Donatistarum Episcopo, ubi num. 6. sic loquitur: *Salutem non potest habere, nisi in Ecclesia Catholica. Extra Ecclesiam Catholicam totum potest, præter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare Alleluja, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fidem & habere, & prædicare: sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem poterit invenire.*

Postremo Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 39. scribit: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum sive schismaticum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit,*

etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.

Rejicienda itaque est impia illa, ac vana distinctio, quam inter fundamentales, & non fundamentales articulos excogitarunt Hæretici. Licet enim ob duplicem respectum quidam articuli præ aliis dici possint fundamentales; primo nimirum, quia aliquarum, non omnium veritatum distincta & explicita fides necessario requiritur ad salutem; cujusmodi, exempli gratia, est mysterium Trinitatis, & Incarnationis: secundo, quia unus articulus est radix, ac fundamentum alterius; sicuti duplex in Christo natura est radix ac fundamentum duplicis in eo voluntatis & operationis: omnes tamen articuli revelati hoc sensu sunt fundamentales, quod illos impugnare aut negare nemini liceat, si salutem consequi velit. Itemque fundamentales dicendi sunt errores, statim ac proscripti ab Ecclesia fuerint ac damnati: unde nemini fas unquam erit eos contra Ecclesiæ sententiam propugnare.

Quæ hactenus a nobis descripta est unitas, in sola Catholico-Romana Ecclesia reperitur, quæ non aliud agnoscit invisibile Caput præter Christum, neque visibile aliud præter Summum Pontificem, qui a Beatissimo Apostolorum Principe Petro non interrupta successione descendit: illa insuper Ecclesia habet eadem numero & efficacia Sacramenta, quæ Christus instituit, quæque constanti ac perpetua Patrum traditione didicimus: eandem denique puram & intemeratam profitetur fidem; ita nimirum, ut a suo rescindat corpore omnes promiscue Hæreticos, qui vel in minimo dogmate ipsam la-

be-

besfactare conantur. Contra vero hanc unitatem aliæ sectæ non habent, quæ Romano Pontifici obedire recusant, legitimamque Pastorum suorum successionem demonstrare non valent; paucioribus insuper aut certe temeratis Sacramentis utuntur, suamque fidem summa animi mobilitate in singulos fere dies immutant. Hinc bene vereque de Hæreticis omnibus dicere possumus cum Tertulliano lib. de Præscript. c.42. *Mentior, si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare.*

Ex dictis denique constat, nemini licere sese ab Ecclesiæ nostræ unitate disjungere; cum nulla unquam esse possit legitima secessionis causa ab unitate illius Ecclesiæ, extra quam non est spes ulla salutis. Unde S. Augustinus sæpe contra Donatistas affirmat, depravatos corruptosque mores, quos illi per Ecclesiam grassari dicebant, non fuisse justam & legitimam causam faciendi schismatis, & ab Ecclesia discedendi. *Nos autem*, inquit S. Doctor epist. 93. ad Vincentium Rogatistam c. 9. *ideo certi sumus, neminem se a communione omnium gentium juste separare potuisse, quia non quisque nostrum in justitia sua, sed in Scripturis divinis quærit Ecclesiam: & ut promissa est, reddi conspicit. Ipsa est enim de qua dicitur*, Cant. 2. v. 2. Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum; *quæ nec spinæ dici pos-*

possunt, nisi malignitate morum; nec filiæ, nisi communione sacramentorum.

Nostræ insuper ætatis Hæretici causam secessionis suæ ab Ecclesia Romana conferre merito nequeunt, uti revera conferre solent, in generalem idololatriam, generalemque doctrinam erroneam, quibus universam Romanam Ecclesiam segregationis suæ tempore corruptam fuisse contendunt. Ab eis enim inquirimus: Quando majores sui recesserunt ab Ecclesia Romana, quacum conjuncti jampridem erant, quæque tunc temporis, sicut & nunc, cum omnium gentium Ecclesiis communicabat, & quacum omnium gentium communicabant Ecclesiæ; quærimus, inquam, an Romana tunc vera erat Ecclesia Christi, an amplius non erat? Si erat adhuc; schismatici ergo fuerunt majores eorum, in quorum schismate perseverant & ipsi, separando se a vera Christi Ecclesia, a qua nulla de causa, ut diximus, fas est disjungi; cum generatim Augustinus affirmet lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 11. *Præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas.*

Quod si dixerint, Romanam Ecclesiam non amplius tunc fuisse veram Ecclesiam Christi; ab eis petimus, utrum per id temporis aliqua esset vera Christi Ecclesia, an prorsus nulla? Si reponant, nullam fuisse; id afferunt quod fieri omnino non potest, cum Christus ipse promiserit Ecclesiam suam usque ad consummationem seculi duraturam. Si vero respondeant, uti respondere debent, aliquam tunc fuisse veram Christi Ecclesiam, dicant, quæ illa fuerit: An Ecclesia Valdensium, an aliqua ex Orientalibus, a Romana sejunctis? At majo-

jores eorum a Romana recedendo, se se apud nullam ex his Ecclesiis receperunt. Schismatis ergo rei dicendi sunt, in quo illorum etiam posteri perseverant.

Si vero voluerint, ante separationem in unius Lutheri, vel Calvini, aliorumve paucorum hominum sinu, veluti complicatam, ac coarctatam, totam Christi Ecclesiam latitasse; reponemus, Catholicam, ubique diffusam, & quaquaversus extensam, non angustissimis inclusam spatiis, Christi Ecclesiam in Scripturis nobis fuisse promissam.

Quod si postremo majores suos miros quosdam novosque Apostolos prædicabunt, qui secreto Dei instinctu, divinoque Spiritu afflati, ad veterem Ecclesiam, jampridem eversam funditus & excisam, iterum excitandam instaurandamque divinitus fuerint destinati; opus profecto erit, ut ex vaticiniis, ex prodigiis, ex portentis, similibusque signis, ad hanc rem a Deo institutis, legitimum illorum Apostolatum, ac legitimam missionem, legationemque nobis ostendant; quemadmodum legitimam suam missionem & legationem Moyses, Aaron, Prophetæ, Apostoli, atque ipsemet Christus Dominus, supernis signis contestatam nobis exploratamque fecerunt.

Concludamus itaque cum Augustino lib. 2. contra Gaudentium c. 3. *Ab hac ergo vera, germanaque Catholica, quæ Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, ramos suos per universam terram copia ubertatis extendit, quæ causa vobis fuerit exeundi, cum interrogamini, nihil justum invenitis: prorsus ab hac Ecclesia exitum vestrum nulla purgatione probabilis* ex-

excusationis abluitis. Quid enim dicitis, nisi, Necessitas compulit, ut justi relinqueremus injustos? Respondet vobis Scriptura divina, (Proverb. 24. secundum LXX.) *Filius malus ipse se justum dicit; exitum vero suum non abluit. Exitum, inquit, suum, utique illum, de quo dicit Apostolus Joannes, Ex nobis exierunt, omnino non abluit, non defendit, non excusat, non purgat. Ad justos enim non pertinet in Ecclesia Catholica, nisi malos, quos corrigere vel damnare non possunt, patientissime tolerare; nec propter zizania de Dominico agro, nec propter paleam de Dominica area, nec propter vasa inhonorata de Dominica domo, nec propter pisces malos de Dominicis retibus ante tempus exire, ne frustra exitum suum conentur abluere.*

CAPUT VIII.

De Ecclesiæ Sanctitate, Catholicitate, & Apostolicitate.

ALtera Ecclesiæ nota est sanctitas, quæ non una ex causa illi tribuitur. Sancta enim 1. dicitur, quia ad sanctitatem a Deo vocatur; unde scribit Apostolus ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in caritate.* Et Petrus epist. 1. c. 2. v. 9. ait: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis:* itemque c.

1.

1. v. 14. *Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Neque alia patiendi causa Christo fuit, quam ut sanctam sibi exhiberet Ecclesiam. *Jesus*, inquit Apostolus Hebr. 13. v. 12. *ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Et Joan. 17. v. 19. ipse Christus ait: *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Ob id demum ille efficacia instituit Sacramenta, tulitque Evangelicam legem, ac consilia, quibus ad supremum sanctitatis apicem invitamur.

Sancta 2. Ecclesia dicitur, quia sancta est fides, sanctique sunt mores, quos illa profitetur. Nihil enim enunciat de fide credendum, quod non sit vel in divina Scriptura propositum, vel constanti perpetuaque Traditione transmissum. In spiritu & veritate unum Deum adorat; unumque Mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Jesum agnoscit; quas autem ceremonias adhibet, ad promovendum Dei cultum jure recteque præscripsit, ut diximus in Instit. lib. 24. c. 19. Eandem denique habet moralem doctrinam, quam Christus, & Apostoli tradiderunt. Quare S. Augustinus lib. 2. de C. D. c. 28. apposite ait: *Nihil turpe, ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

Sancta 3. dicitur, quia plures in ea Sancti sunt, semperque fuerunt. Habet sanctitatem in Capite suo Christo Jesu, qui totius justitiæ

fons

fons est & origo. Habet in Apostolis, & in Martyribus, qui Christi fidem verbo, exemplo, sanguine propagarunt. Habet postremo in SS. Patribus, in tot Episcopis, in tot Religiosorum Ordinum Institutoribus, & eorum Sectatoribus, atque in aliis, tum parvulis Baptismo mundatis, tum adultis, qui vel ab accepta per Baptismum justitia nunquam exciderunt, vel licet exciderint, peccatorum tamen veniam per Pœnitentiam impetrarunt.

Sancta dicitur 4. quia extra illam sicuti salus, ita & sanctitas minime invenitur. Neque enim Spiritus Sancti gratia conferri per Baptismum, & alia Sacramenta potest eis, qui voluntarie extra Ecclesiam divagantur. Hinc Augustinus serm. 3. de Symbolo ad Catechumenos c. 12. scribit: *Nec amare, nec diligere quis potest, qui in Ecclesia ejus non est; quoniam omnis, qui præter illam est, nec cum Deo est, qui vita æterna est.* Et serm. 267. in die Pentecostes c. 4. *Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus Sanctus in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis. Sed videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, imo de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes; numquid præcisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat; præcisum amittit vitam. Sic & homo Christianus Catholicus est, dum in corpore vivit; præcisus, hæreticus factus est, membrum amputatum non sequitur spiritus.* Huc denique revocanda sunt quæ diximus in Instit. lib. 14. c. 4. ostendentes sanctam fidei morumque doctrinam in Catholica duntaxat Ecclesia reperi-

ri,

ri, eamque miraculis a Deo fuisse firmatam.

Catholicitas est tertia Ecclesiæ nota, de qua S. Augustinus lib. 2. contra Gaudentium c. 2. ait: *Græco vocabulo Catholica nominatur* Ecclesia. *Quod enim græce ὅλον dicitur, latine totum, vel universum interpretatur. Per totum ergo, sive secundum totum, est καθ' ὅλον; unde Catholica nuncupatur.*

Catholica itaque, sive universalis Ecclesia dicitur, quia per totum terrarum orbem diffusa est, sicuti Christus ipse prædixit Matth. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Et Lucæ 24. v. 46. *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.* Itemque Act. 1. v. 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Ita quoque promissum Christo erat Psal. 2. v. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Psal. 71. v. 8. *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Ac tandem Isaiæ 49. v. 6. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Hæc vero Catholicitas ita est propria, ac singularis Ecclesiæ nota, ut per illam a qualibet alia Hæreticorum societate apertissime distinguatur. Unde Augustinus lib. de vera relig. c. 7. scribit: *Tenenda est nobis Christiana religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque Hæretici, & schisma-*

matum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.

Concinit & Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. inquiens: *Si forte veneris in Civitates, non simpliciter interroga ubi sit Dominicus, seu Domus Domini: nam & reliquæ impiorum hæreses, Dominicos, quamvis pollutos, appellare non dubitant. Neque id tantum quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia; sed ubi Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est sanctæ hujus, & matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Jesu Christi Unigeniti Filii Dei.*

Idem asserit Pacianus epist. 1. ad Sympronianum: *Ego forte*, ait, *ingressus populosam urbem hodie, quum Marcionitas, quum Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos, & ceteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur?*

Demum Optatus lib. 2. contra Parmenianum scribit: *Si apud vos tantummodo Ecclesiam esse vultis, apud nos non erit, nec in Hispania, in Italia, in Gallia, in Græcia, nec per tot innumerabiles Insulas & ceteras Provincias, ubi vos non estis. Ubi ergo erit proprietas Catholici nominis, cum inde Ecclesia dicta sit Catholica, quod sit ubique diffusa?*

Cum itaque Romana dumtaxat Ecclesia sit Catholica, sive ubique diffusa, non vero ulla Hæreticorum societas, liquet profecto, solam illam esse veram Christi Ecclesiam. Sola enim quatuor Mundi totius partes, Orientem videlicet, Occidentem, Meridiem, ac Septemtrionem,

nem, longe lateque complectitur: at Eutychiana, & Nestoriana secta aliquas tantum Orientis partes invasit; Photiana quoque nonnullas Orientis, ac Septemtrionis regiones occupat; itemque Lutherana, Calviniana, Janseniana, Sociniana, definitos quosdam Septemtrionis, & Occidentis tractus tenent, tanquam sibi proprias & singulares sedes, quas vi, aut fraude, aut utraque arte, Romano Catholicæ Ecclesiæ rapuerunt.

Notandum est autem, Romanam Ecclesiam vere dici posse Catholicam, etiamsi per omnes Mundi plagas simul non sit reipsa diffusa; cum satis sit, ut temporum successione ubique tandem obtineat. Quare S. Augustinus epist. 93. ad Vincentium Rogatistam c. 9. ait: *Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis*, ideft Catholicis, grassante Arianismo, *conservata est, & usque in finem, donec omnino gentes omnes, etiam barbaras, teneat, conservabitur*. Neque etiam necesse est, ut diffusione sua omnes simul sumptas Hæreticorum sectas excedat; sed sufficit, ut quacunque Hæreticorum societate longius extendatur. Hinc ab antiquissimis Patribus Catholica vocabatur Ecclesia, licet eo tempore plures essent Hæretici, pluresque Gentiles.

Ob id insuper Catholica nominatur Ecclesia, quod universalem fidei morumque doctrinam perpetuo retinet, ac proponit; omnesque reprobat tum veterum tum recentium Hæreticorum errores. Unde Cyrillus Hierosf. Catech. 18. scribit: *Catholica vocatur Ecclesia, quia per universum sit orbem terrarum diffusa, a finibus terræ usque ad extrema; & quia docet Catholice, hoc est, universaliter, & sine ullo defectu,*

vel

vel differentia omnia dogmata. Atque hoc etiam in ſenſu ſolam Romanam Eccleſiam appellandam eſſe Catholicam, ex dictis in priori capite ſatis ſuperque colligitur.

Quarta veræ Eccleſiæ nota eſt Apoſtolicitas, quia 1. illa eandem omnino doctrinam proponere debet, quam tradiderunt Apoſtoli; & quia 2. habere inſuper debet continuam Epiſcoporum ſuorum ſucceſſionem ab Apoſtolis ad nos uſque deductam. Et quod ad 1. attinet, paſſim SS. Patres affirmant, Apoſtolorum doctrinam a Chriſto, & Spiritu Sancto acceptam in vera dumtaxat Eccleſia cuſtodiri, novitatemque doctrinæ manifeſtiſſimum eſſe falſitatis indicium. Hinc Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes c. 3. ait: *Traditionem Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt reſpicere omnibus, qui vera velint videre: & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valde enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapſis autem ſumma calamitas*.

Idem quoque Hieronymus aſſerit in epiſt. ad Pammachium, & Oceanum inquiens: *Quiſquis aſſertor es novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus; parcas fidei quæ Apoſtolica voce laudata eſt. Cur poſt quadringentos*

tes annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? Usque in hanc diem sine ista doctrina Mundus Christianus fuit.

Plura etiam hac de re scribit Tertullianus, ac præsertim in lib. de Præscript. c. 20. ait: *Apostoli Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiæ fiant: ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.*

Certum est insuper, propriam veræ Ecclesiæ notam esse, quod ejus Episcopi ab Apostolis non interrupta successione descendant. Unde Irenæus lib. 4. c. 26. ait: *Eis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis . . ., qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione, & quocunque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ; vel quasi scindentes, & elatos, & sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes.*

Neque aliter sentit Tertullianus ita scribens lib. de Præscript. c. 32. *Ceterum si quæ,* hæreses, *audent interserere se ætati Apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio de-*

decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: proinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est?

Hæc vero cum ita se habeant, nemo jure poterit in dubium revocare, Apostolicitatem quoad utrumque prædictum respectum Romanæ dumtaxat Ecclesiæ convenire. Apostolica est enim 1. ratione doctrinæ, cum eadem illa doceat, quæ Apostoli docuerunt: neque possunt Hæretici Romanæ Ecclesiæ alicujus dogmatis novitatem objicere, sed e contrario hæc illis novitatem opponit in omnibus capitibus, in quibus ab ipsa dissentiunt, evidenterque demonstrat, quo tempore, a quibus, qua arte invecti fuerint errores divinæ & Apostolicæ doctrinæ contrarii. Ita enim Theologi nostri contra Novatores ostendunt, dum de singulis fidei capitibus exprofesso pertractant.

Sola item Apostolica est Romana Ecclesia ob continuam Episcoporum ab Apostolis successionem. Ad id autem demonstrandum juxta Patrum normam præcipuum & irrefragabile trahimus argumentum ex perpetua serie Pontificum Romanorum, quos a S. Petro Apostolorum Principe ad regnantem usque PIUM VI. possumus recensere, atque ita scribere cum Au-

gustino lib. contra epist. fund. c. 4. *Tenet me justissime in Catholicæ Ecclesiæ gremio ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum*. Et in Psal. contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui successit videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Legendi sunt etiam hac de re Irenæus lib. 3. c. 3. Optatum lib. 2. de schismate Donatistarum, Tertullianum de Præscript. c. 36. &c.

At contra Hæreticorum sectæ Apostolicam successionem in Pastoribus suis proferre non possunt. Nam, exempli causa, ante Calvinum Calviniana secta non erat, neque Lutherana ante Lutherum. Hinc de illis merito dici potest, quod de Novatiano dicit Cyprianus epist. 76. ad Magnum: *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est.* Huc etiam facit quod scribit Hieronymus Dialogo contra Luciferianos: *In illa Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata usque ad hunc diem durat. Sic ubi audieris eos qui dicuntur Christi, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari; utputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas; scito non esse Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiavit.*

CAPUT IX.

Num vera Christi Ecclesia sit visibilis?

VEra Christi Ecclesia considerari bifariam potest: primo nempe secundum interiorem nobilioremque partem, quam Ecclesiæ animam appellare solemus; atque hoc sensu negandum non est totam esse invisibilem, solosque sanctos ac justos ad illam ut viva & vera membra spectare: est enim societas eorum, qui inter sese veræ in Christum fidei, sinceræque caritatis vinculo copulantur. Considerari insuper potest Ecclesia secundum suum exteriorem statum, seu secundum corpus, & quatenus est societas eorum, qui publica ejusdem fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione sub legitimis Pastoribus invicem conjunguntur: atque de Ecclesia sic accepta nunc quærimus, an & quomodo sit visibilis.

Qui inter Hæreticos sentiunt ad veram Ecclesiam solos prædestinatos pertinere vel justos, sentiunt etiam, hujusmodi Ecclesiam in suo corpore non esse visibilem; sicuti videre non possumus, quinam sint ipsi prædestinati vel justi. Jurius autem aliique putantes, etiam Hæreticos, qui fundamentales fidei articulos non inficiantur, in Ecclesia contineri; putant pariter, Ecclesiam visibilem esse, atque ita perpetuo

tuo extitisse. Alii demum visibilem quidem Ecclesiam esse dixerunt, ita tamen ut invisibilis aliquando & inconspicua prorsus evaserit.

At vero Catholici omnes non solum visibilitatem uti essentialem proprietatem Ecclesiæ vindicant, verum etiam talem, ut inter cunctas Hæreticorum sectas per totum Orbem eminenti quadam & singulari ac constanti claritate præfulserit, & conspicua jugiter sit, sitque futura, non domesticis tantum qui in ejus sinu eandem profitentur fidem, sed & extraneis quibuscunque diversæ societatis & fidei.

Propositio 1. Vera Christi Ecclesia non sola fide perceptibilis est, sed ipsis etiam sensibus est visibilis.

Probatur. In Ecclesia Episcopi & Pastores debent subditos suos docere, hortari, dirigere, peccantes arguere, contumacesque ab aliorum communione disjungere, ac demum Sacramenta visibilia ministrare. Itemque vicissim, subditi debent Pastores suos agnoscere, eorum monitis obedire, & ab iisdem doctrinam ac Sacramenta percipere. Atqui hæc omnia visibilitatem in Ecclesia omnino requirunt; nemo enim docere, vel audire potest quos ignorat. Major propositio evidenter ex Scripturis ostenditur: Matthæi enim 18. v. 17. legitur: *Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Actorum 20. v. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et Hebr. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete illis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Demum 1. Petri c. 5. v. 2. *Pascite, qui in*

vobis est, gregem Dei: &c.

Deinde, Concilia in Ecclesia publice celebrantur, in quibus sanciuntur canones, ac dirimuntur controversiæ ad religionem, fidemque spectantes: si vero visibilis non esset Ecclesia, haberi illa non possent. Ita profecto Apostoli Hierosolymitanum indixere Concilium istud in quo decretum, legitur Act.15. v.28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, &c.* Alia etiam plurima acta fuere Concilia post Apostolorum tempora, ac præsertim Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quæ ab ipsis quoque Adversariis nostris tanquam legitima admittuntur.

Præterea, Christus in Evangelio Ecclesiam suam, veram nimirum Ecclesiam, comparat agro, in quo zizania simul cum tritico crescunt: comparat sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: comparat nuptiali convivio, cui boni accumbunt & mali: comparat decem Virginibus, quarum quinque prudentes, & quinque sunt fatuæ: comparat tandem ovili, in quo oves continentur & hœdi. Hæc autem nisi de visibili Ecclesia intelligi & exponi non possunt. Vera igitur Christi Ecclesia est visibilis.

His adde ea Scripturarum oracula, quibus Ecclesia similis affirmatur Monti magno, & Soli, & Civitati supra montem positæ, & Lucernæ super candelabrum accensæ; ut nempe aspectabilis omnibus ac conspicua demonstretur. Isaias enim c.2. v.2. ait: *Et erit in novissimis diebus præparatus* (ἐμφανὴς apud LXX., videlicet ma-

manifestus) *mons domus Domini in vertice montium*, & *elevabitur super colles*, & *fluent ad eum omnes gentes*: &c. Item Danielis 2. v. 35. legitur, quod *lapis qui percusserat statuam*, *factus est mons magnus*, & *implevit universam terram*. David etiam Psal. 18. v. 6. inquit: *In sole posuit tabernaculum suum*; quod mystico in sensu de Ecclesia exponunt Interpretes cum Hieronymo in Dialogo contra Luciferianos, & Augustino in lib. 2. contra literas Petiliani c. 32. Nota sunt denique Christi verba Matth. 5. v. 14. & 15. *Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam*, & *ponunt eam sub modio*, *sed super candelabrum*, *ut luceat omnibus*, *qui in domo sunt*.

Præclare appositeque S. Augustinus tract. 1. in epist. Joan. n. 13. scribit: *Nonne aperta est* Ecclesia? *nonne manifesta? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahæ, in semine ejus benedici omnes gentes? Uni fideli promissum est*, & *millibus fidelium mundus impletus est*. *Ecce mons implens universam faciem terræ*. *Ecce civitas*, *de qua dictum est*, *Non potest civitas abscondi super montem constituta*... *Isaias hesterna die lectus est*.... *Erit in novissimis diebus manifestus mons Domus Domini*, *paratus in cacumine montium*. *Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt* & *montes ignoti*, *quia in una parte terrarum positi sunt*... *Ille autem mons non sic*, *quia implevit universam faciem terræ*; & *de illo dicitur*, *Paratus in cacumine montium*: *Mons est super cacumina omnium montium*. Idem sæpe alibi asserit S. Doctor, præcipue dum refellit Donatistas, qui Christi Ecclesiam ad solas Africæ plagas arctabant.

Et ne prolixiores simus in referendis aliorum Patrum testimoniis, adnotamus, eos omnes præsupponere visibilitatem Ecclesiæ, qui Romanos Pontifices Petri successores enumerant, qui bonos malosque in Ecclesia permixtos esse tuentur, qui in illa solvendi, ligandique potestatem agnoscunt, qui eandem asserunt sine Evangelica prædicatione, & Sacramentorum administratione stare non posse, qui demum affirmant in sola Ecclesia inveniri posse salutem.

Propositio 2. Sola Romana Ecclesia eam habet visibilitatem, quæ veræ Christi Ecclesiæ propria est.

Probatur. Talis, ut diximus, veræ Christi Ecclesiæ competit visibilitas, ut toto terrarum Orbe diffusa latere omnino non possit, unde & Catholica nominatur: atqui sola Romana Ecclesia ejusmodi visibilitate refulget, uti in præcedente capite notatum est. Quare S. Augustinus lib. de Unitate Eccl. c. 25. scribit: *Non est obscura quæstio, in qua vos fallant, quos ipse Dominus prædixit futuros, atque dicturos*, Matth. 24. *Ecce hic est Christus, ecce illic: Ecce in deserto, quasi ubi non est frequentia multitudinis: Ecce in cubiculis, quasi in secretis traditionibus, atque doctrinis. Habetis Ecclesiam ubique diffundi, & crescere usque ad messem. Habetis civitatem, de qua ipse, qui eam condidit, ait: Non potest civitas abscondi super montem constituta. Ipsa est ergo, quæ non in aliqua parte terrarum, sed ubique notissima est.*

Cum itaque obscuræ ignobilesque Hæreticorum sectæ, si cum Romanæ Ecclesiæ extensione ac multitudine comparentur, angustissimo & loco & numero concludantur; profecto non

illis;

illis, ſed iſti tantum convenit viſibilitas, quam veræ Chriſti Eccleſiæ proprietatem eſſe ex Scripturis oſtendimus. Hinc contra noſtræ ætatis Hæreticos adhibere argumentum illud invicte poſſumus, quod Auguſtinus adverſus Donatiſtas adhibuit lib. 2. contra literas Petiliani c. 104. *Non eſtis in civitate ſuper montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quod abſcondi non poteſt. Nota eſt ergo omnibus gentibus: Pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus; Non eſt ergo ipſa.* Cum itaque pars quoque Lutheri, Calvini, Socini, & ſic de ceteris, pluribus gentibus ſit ignota; conſequitur, ipſam non eſſe veram Chriſti Domini Eccleſiam.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Jeremiæ c. 31. v. 33. legitur: *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Vetus itaque Eccleſia a nova in eo diſtinguitur, quod illa fuerit exterior quidam viſibiliſque cœtus, & ideo in exterioribus ac lapideis tabulis ſcriptam legem haberet; iſta vero ſit interior quidam & inviſibilis populus, qui idcirco legem habeat in ipſo corde conſcriptam.

Reſp. hoc loco non conferri Eccleſiam cum Synagoga, ſed vetus teſtamentum cum novo; quæ duo maxime differunt: Eccleſia enim vel Synagoga ſunt perſonæ, quibuſcum fœdus eſt initum; teſtamentum autem eſt ipſum fœdus, ac pactum. Quapropter ex hoc textu inferri dumtaxat poteſt, novum teſtamentum eſſe legem caritatis & gratiæ, ſive caritatem ipſam & gratiam ſcriptam in cordibus hominum, &,

 uti

uti ait Apostolus 2. Cor.c.3.v.3. *non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*; vetus autem testamentum ex sese fuisse legem terroris, & solum extrinsecus insonantem: proindeque non sequitur novi testamenti Ecclesiam esse invisibilem, sed in ea esse multa invisibilia; utpute fidem, spem, caritatem, & alia Spiritus Sancti dona, quæ etsi non omnibus conveniant Ecclesiæ membris, in quibusdam tamen necessario inveniuntur. Ea namque societas, quæ habet exteriorem fidem in Christum, & Sacramenta, legitimosque Pastores, habet etiam veram fidem ac sinceram caritatem, juxta Christi promissum Matth. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.*

Objicies 2. Christus Dominus Lucæ 17. v. 20. *interrogatus a Pharisæis. Quando venit regnum Dei? respondens eis dicit: Non venit regnum Dei cum observatione. Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Modo regnum Dei est Ecclesia, quæ si visibilis esset, observabilis exterius appareret.

Idem præterea Christus Samaritanæ mulieri dixit Joan. 4. v. 25. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate . . . Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Sicut igitur invisibilis est Deus, ita & Ecclesia invisibilis est, quæ illum spirituali cultu prosequitur.

Resp. ad 1. Pharisæos ibi Christum interrogasse de adventu Messiæ, qui gloriosissimus ubique gentium imperaret: expectabant namque Judæi, & adhuc expectant, temporale aliquod futurum regnum, quo Deus per Messiam, & ipsi

ipsi cum eo in ceteras nationes dominatum haberent. Respondet autem Dominus Messiam venisse, rursusque venturum in die judicii. De primo adventu dicit: *Non venit regnum Dei cum observatione*; nimirum cum externo splendore, & regio apparatu, quo agnosci possit ab omnibus, ut Judæi sperabant. Sed intra vos est, inquit, regnum Dei; videlicet ego Rex & Messias vester in medio vestri sum; & id per quod intra vos regnare decrevi, nempe fides, & caritas, & alia spiritualia bona, non extra vos visibilia manent, sed intra vos in animabus vestris invisibilia delitescunt. Ex hoc vero perperam concludunt Hæretici, Christi Ecclesiam invisibilem esse; nam licet lateat anima, ac lateant quæ in anima sunt, cœlestia dona; manifestum est tamen corpus, manifestæque sunt functiones, quæ per corpus exterius exercentur; puta fidei externa professio sub Christo ejusque Vicario, per quam toti Mundo facile innotescit. De altero demum adventu subjungit Christus v. 24. *Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, &c.* Vide contextum.

Ad 2. Ibi Christus affirmat, Deum in nova lege non amplius adorandum esse falso Samaritanorum ritu, vel mere corporeo Judæorum, qui corporeis dumtaxat sacrificiis, & ceremoniis utebantur; sed adorandum in spiritu, spirituali nimirum cultu, qui partim internus est per fidem, spem, caritatem, &c. partim vero externus per Sacrificium Eucharisticum, & alias actiones, quæ quamvis externæ sint, a spiritu tamen interiori procedunt, internamque erga Deum fidem, spem, caritatem excitant, adjuvant, profitentur. Lege quæ scr psimus in Instit. lib. 24. c. 19.

c.19. ad 1. objectionem. Sicut igitur ex loco textu non sequitur removendum esse omnem externum Dei cultum, destruenda Templa, Ecclesiasticos ritus omnes ac ceremonias abrogandas; ita neque invisibilem esse Ecclesiam recte potest inferri.

Objicies 3. Ad Hebræos c. 12. vv. 18. 22. & 23. scribit Apostolus: *Non accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, &c. Sed accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, &c.* Hoc autem loco mons Sion Christi designat Ecclesiam; proindeque cum ille non tractabilis, sive invisibilis afferatur, etiam Christi Ecclesia invisibilis est dicenda.

Idem quoque deducitur ex epist. 1. Petri c. 2. v. 5. *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Quod si spiritualis domus appellatur Ecclesia, spiritualesque hostias Deo offert, jam ipsa visibilis esse non potest.

Resp. ad 1. juxta quorundam interpretationem, per montem Sion non militantem Ecclesiam, sed triumphantem intelligi. Arbitrantur enim quod Apostolus eo loci Synagogam cum Ecclesia conferat, afferatque, Judæos accessisse ad montem Sina corporeum, ibique per corporeas imagines Deum aliquo modo vidisse; Christianos autem, etsi non re, spe tamen ac spiritu accessisse ad montem Sion, & ad civitatem Dei viventis, idest ad gloriam Beatorum, ubi Deus intuitive videtur: unde & ibidem adjungitur: *Ad multorum millium Ange-* lo-

lorum frequentiam . . . . , & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum.

Alii vero rectius putant per montem Sion intelligi Ecclesiam generatim acceptam, quatenus triumphantem simul ac militantem includit. Non enim militantem Ecclesiam excludi patitur antithesis, quæ inter duo comparationis membra versatur. Nam sicut mons Sina vetus testamentum ejusque filios allegorico in sensu significat; ita mons Sion, & Jerusalem, quæ ibidem cœlestis propter finem & originem appellatur, significationem habet novi, & filiorum ejus, uti docet Apostolus Galatarum 4. v. 25. & 26. Hujus autem testamenti filii partim in terra militant, partim vero regnant in Cœlo.

Hac itaque admissa expositione, quam Cl. Estius aliique priori præponunt, asserimus, Ecclesiam novi testamenti etiam ex parte qua in terris militat, comparate ad Synagogam, appellari spiritualem montem Sion, cœlestemque Jerusalem, non eo quidem sensu, quod nullo prorsus modo videri possit in terris; sed quod eo instituta sit fine, ut hominem in Cœlum provehat, & ad spiritualia bona perducat: id autem veteri Synagogæ per se minime congruebat; cum illa per se non alias quam mere temporales repromissiones habuerit, nihilque ad perfectum adduxerit.

Ad 2. S. Petrus spiritualem domum appellat Ecclesiam, non quod secundum se sit invisibilis & occulta, sed 1. ad differentiam domus materialis, quæ ex corporali dumtaxat materia constat: 2. propter mysticam significationem; quia (ex. gr.) per materiam & proprie dictam domum, quale fuit Templum Salomonis, aut

aut Tabernaculum Moysis, fuit præfigurata: 3. quia Dei spiritu animata vivit, a quo spiritualibus donis & gratiis insignita resplendet; a nobiliori enim sui parte recte dicitur spiritualis, sicuti homo justus etiam in Scripturis spiritualis quandoque vocatur. Spirituales denique hostias Apostolorum Princeps appellat bona Christianorum opera, quæ ut acceptentur a Deo, formanda sunt spirituali fide & caritate, debentque ab interiori spiritu proficisci.

Objicies 4. Quod creditur, non videtur: sed Ecclesia creditur, cum ejus existentia inter Symboli articulos numeretur: *Credo sanctam Ecclesiam:* non est ergo illa visibilis.

Resp. Quod fide creditur, non est profecto visibile ex ea parte, qua sub fidem cadit; potest tamen esse visibile iuxta rationem aliam, qua fidei non subjicitur. Cujus quidem rei plura proferri possunt exempla. Apostoli in Christo videbant humanitatem, divinitatem vero credebant. In sacris Bibliis chartam codicemque videmus, credimus autem in iisdem Dei Verbum includi. Baptisma cernitur quatenus est exterior ablutio facta per aquam, creditur vero quatenus est Sacramentum vim habens regenerandi, & peccata delendi; unde in Symbolo dicimus: *Credo unum Baptisma*. Ita & in Ecclesia aliquid est quod credimus, aliquid quod videmus. Nam ex professione fidei, ex Sacramentorum participatione, & ex subjectione legitimis Pastoribus, ac præsertim Romano Pontifici, videmus hunc hominum cœtum, quo conflatur Ecclesia: at quod idem cœtus hominum vera sit Christi Ecclesia, in qua fides vera ac vera doctrina tradatur, credimus utique, non videmus.

mus. Sed restat modo, ut de hujusmodi visibilitatis perpetuitate speciatim agamus.

C A P U T X.

Quod Christi Ecclesia a sua visibilitate deficere omnino non possit.

SOmniarunt olim Donatistæ veram Christi Domini Ecclesiam, quæ toto terrarum orbe dispersa prius fuerat, postea periisse, atque in ea dumtaxat Africæ parte, quæ Donato adhærebat, superstitem remansisse. Plures etiam Novatores asseruerunt Ecclesiam secundum exteriorem sui statum, sive quoad corpus, non habere indefectibilem visibilitatem, sed aliquando extinctam fere fuisse, ut videri amplius omnino nequiverit.

Propositio. Ecclesia in suo corpore indefectibilem habet visibilitatem.

Probatur. Isaiæ c. 61. v.8. & 9. legitur: *Fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*. Hoc loco Prophetam de novi testamenti Ecclesia loqui constat ex communi Interpretum expositione, & ex Christi etiam testimonio Lucæ 4. v. 18. De eadem vero loquitur secundum externam visibilemque partem; nam quod est dumtaxat internum, sciri, videri, cognosci non po-

potest in gentibus: Ecclesia igitur secundum exteriorem etiam sui partem nequit omnino deficere, si cum ea Deus perpetuum fœdus feriisse describitur. Quod etiam prædixit Ezechiel inquiens c. 37. v. 28. *Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.*

Sed & Daniel c. 2. v. 44. ait: *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur.* Istud profecto regnum ipsa est Christi Ecclesia: sicut itaque visibilia fuerunt alia regna, quæ ibi Propheta commemorat; ita etiam de visibili Ecclesiæ regno loquitur ille, dum asserit idem regnum in æternum minime dissipandum.

Præterea, Christus de Ecclesia sua inquit Matth. 5. v. 14 & 15. *Non potest civitas abscondi supra montem posita:* &c. ut in priori capite notavimus: Itemque Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* Ac tandem c. 28. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Fieri ergo non potest, ut visibilis Ecclesia Christi ulla ratione deficiat.

Id etiam luculenter docet Apostolus ad Ephesios scribens c. 4. v. 11. *Ipse*, Christus, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei.* Dicit itaque Paulus perpetuo duraturum fore Ecclesiasticum mi-

ministerium, quod Pastores exercent: illud vero ministerium est visibile, cum maxime in doctrina, & sacramentorum administratione consistat: Unde ibidem subdit Apostolus v. 14. *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ:* & Christus Math. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Deinde Pastores non nisi visibili gregi dantur: si ergo perpetui sunt Pastores, perpetuus quoque esse debet grex ipse visibilis. At ne longum faciamus, omissis pluribus aliis Scripturarum textibus, qui idem fidei dogma evidenter ostendunt, veniamus ad Patres.

Chrysostomus hom. 4. in c. 6. Isaiæ scribit: *Ecclesia firmioribus quam Cœlum ipsum radicibus hæret . . . . . Facilius est Solem extingui, quam Ecclesiam deleri.*

Ambrosius lib. 4. Hexam. c. 2. de Ecclesia inquit: *Videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.* Et in lib. de Salomone, qui eidem S. Doctori a plerisque tribuitur, c. 4. de Ecclesia hæc leguntur: *Quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, idest in Cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, idest duodecim Apostoli.*

Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos ait: *Absit ut frustra Deus mortuus sit. Allocutio Patris impleta est, Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. In sole posuit tabernaculum suum,*

nec est qui se abscondat a calore ejus. Et ubi quæso isti sunt nimium religiosi, immo nimium profani, qui plures Synagogas asserunt esse quam Ecclesias? Si Ecclesias non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est.

Idem quoque sæpissime tradit Augustinus, ex quo illud afferre nunc sufficit quod ait lib. 3. contra Epistolam Parmeniani c. 5. *Nulla est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei. Ecclesia declarata, quæ super montem constituta, abscondi non potest; & ideo necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit.* Vide & Hilarium lib. 7. de Trin. c. 4. Bernardum serm. 89. in Cantica, &c.

Theologica tandem ratione thesis ista firmatur. Si enim defecisset unquam aut defectura esset Ecclesia secundum visibilem suam externamque partem, tunc impossibilis omnino fuisset aut futura esset salutis via, quæ nisi per visibilem Ecclesiam patere non potest: nemo enim ingredi valet in aliquam societatem, quæ invisibilis est, quæque nescitur ubinam gentium ipsa resideat. Deinde, si visibilis Ecclesiæ pars aliquando deficeret, invisibilis etiam pars ejus omnino periret; cum Justi Electique carerent Sacramentis, sine quibus nemo potest obtinere salutem, publicumque ministerium interiret, sine quo stare omnino nequit Ecclesia.

Objicies 1. Si sacris literis attendamus, negare non possumus, Ecclesiam reipsa taliter defecisse, ut vix, ac ne vix quidem videri potuerit. Defecit enim I. in ipso Mundi initio, quum Adam, & Heva peccarunt. II. cum tempore Noe perpauci homines pietatem colerent, ac fere omnes ad malum intenderent, ob quod Deus illos diluvio de terra delevit. III. cum

Aaron

Aaron aureum vitulum proposuit adorandum, totusque populus exclamavit Exodi 32. v. 4. *Hi sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti*. IV. tempore Eliæ, qui 3. Regum 19. v. 10. inquiebat: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam*. V. demum cum vel ipsi Apostoli moriente Christo ab ejus fide defecerunt, dicente eodem Christo Matth.26.v.31. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*; idest, *ab unitate fidei solventur*. Sic enim glossa interlinearis exponit.

Resp. ad 1. Ecclesiam non usquequaque perfectam fuisse, quum soli Protoparentes existerent; unde nil mirum, si peccantibus istis, ad brevissimum tempus aliquod illa a morum sanctitate defecerit. Defecit autem non visibilis dumtaxat Ecclesia, sed & invisibilis: unde si quid roboris haberet objectio, non solum nobis scrupulum injiceret, verum etiam Adversariis,qu invisibilem Ecclesiam deficere non posse concedunt.

Ad 2. Etsi tempore Noe pauci fuerint veri Dei cultores, fuerunt tamen aliqui visibilem constituentes Ecclesiam. Scriptura vero consueta phrasi utens, ut magnam hominum depravationem ostendat,ita generatim loquitur,quasi nulli tunc omnino justi fuissent.

Ad 3. Nec Moyses, nec Josue in populi furorem & insaniam inciderunt: neque ii omnes qui in castris remanserant,in flagitium illud consensisse videntur. Legitur enim eo in cap.vv.26. & seq. *Ait Moyses: Si quis est Domini, jun-*

gatur mihi . Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi : quibus ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponat vir gladium super femur suum, ... & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum . Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, &c. Verisimile ergo est, Levitas qui ad unam Moysis vocem se illi conjunxerunt, ac Domino obtemperarunt, ceterorum socios & consortes in eo scelere non fuisse. Tandem Apostolus 1. Cor.10. v. 7. non obscure significat, quosdam dumtaxat ex Israelitis tunc vitulum adorasse.

Ad 4. Dum querebatur Elias, quod solus ex Dei cultoribus remansisset, Deus ipse ita ei respondit, 3. Regum 19. v. 18. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Deinde tunc temporis integra in regno Juda remanserat vetus Ecclesia, quum piissimus Rex Josaphat, ac numerosissimus populus sacrificia ad legis normam Jerosolymis offerebant. Postremo, uti optime Canus aliique notarunt, non sequitur, si populus ille ita nutavit, ut pene cecidisse videatur, si ita dispersus est, ut propemodum formam speciemque perdiderit, Christi quoque Ecclesiam usque adeo obscurari posse, ut nulla ejus visibilis nota remaneat. Plebs enim illa vetus, ut quæ casura esset, ruinam sæpe minabatur: & quoniam futurum erat, ut illi Reipublicæ tanquam sempiterna nox esset offusa; nil mirum, si quandoque vix apparuit, & si sensim obscurata est, ac tandem evanuit. Secus autem in novo Testamento contingit Ecclesiæ, quæ fundata super firmam petram, ipso promittente & adjuvante Domino nostro Jesu Chri-

Christo, ruinam timere non potest, & ad illuminationem gentium omnium supra altissimum locata montem omnino nequit abscondi.

Ad 5. Tempore mortis Christi Ecclesia non defecit in omnibus Judæis, qui ubique erant extra Jerusalem: neque defecit in justis aliis, si qui tunc forte inter gentes extabant. In ipsa quoque Jerusalem plures Christi fidem, caritatemque servarunt; uti credere par est de Maria Magdalena, de Maria Cleophæ, & de Maria Salome; necnon de Josepho ab Arimathæa, & Nicodêmo, & Centurione dicente Matth. 27. 54. *Vere Filius Dei erat iste*. Idem præterea affirmandum est de Evangelista Joanne, cui Christus Matrem suam sanctissimam commendavit; idemque de Jacobo, qui juxta Evangelium Hebræorum ab hora, qua Domini calicem biberat, juravit se non comesturum panem, donec Christum aspiceret resurgentem, ut auctor est Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Petrus insuper, etsi Christum negando peccaverit, paulo tamen post flevit amare, ac deinde nunquam a fidei confessione defecit. Alii item Apostoli inconstantia & timiditate peccarunt, Christum non confitendo, ac fidelitatem ei debitam non servando; fidem tamen minime perdiderunt, cum eos aliquid fidei contrarium credidisse non constet. Quod autem de Christi resurrectione eosdem dubitasse legatur, id contigit, quia non satis intellexerant tempus & modum resurrectionis, ut legitur Lucæ 18. Hinc merito ab infidelitate & hæresi excusantur; cum dubitatio illa non ex contumacia, sed ex ignorantia quadam, ingeniique tarditate prodierit.

Citatus itaque textus hunc habet sensum : Omnes vos peccandi occasionem accipietis ex iis , quæ circa me fient ; nempe Dominum vestrum deseretis , & nimio timore correpti in fugam convertemini, ac me Magistrum vestrum fateri pavebitis . Lege Menochium , & Tirinum.

Objicies 2. Apostolus in 2. ad Thessal. 2. v. 3. aperte prædicit Ecclesiam Antichristi tempore defecturam , inquiens : *Nisi venerit discessio* (Græce ἀποστασία , idest defectio) *primum, & revelatus fuerit homo peccati , filius perditionis , qui adversatur , & extollitur supra omne , quod dicitur Deus , aut quod colitur , ita ut in templo Dei sedeat ostendens se , tanquam sit Deus .* Peribit itaque tunc visibilis Ecclesiæ forma; quod Christus etiam Lucæ 18. v.8. prænunciavit: *Filius hominis veniens , putas , inveniet fidem in terra?*

Resp. discessionem illam de qua Paulus , juxta quorundam expositionem esse defectionem a Romano Imperio , contra quod nationes omnes sub initium Monarchiæ Antichristi rebellabunt , idemque funditus evertere conabuntur. Et licet alii passim de defectione etiam a fide textum intelligant, non tamen ita in universum , ut omnis Ecclesiæ forma dispereat . Aliter utique sensit Calvinus , at id probare non potuit; imo oppositum ex Apocalypsis lectione colligitur.

Ad alterum respondemus cum S. Augustino lib. de unit. Eccl. c. 13. *Item dicunt* , Donatistæ , *de apostasia orbis terrarum dictum esse quod ait Dominus* , Filius hominis veniens , putas , inveniet fidem in terra ? *quod nos intelligimus dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in omnibus , ut in ipsis quoque admirabilibus sanctis , sicut in ipso Moyse ,* in-

inveniatur aliquid ubi trepidaverint vel trepidare potuerint, vel propter illam iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum, de qua satis diximus. Propterea enim tanquam dubitans hoc Dominus dixit: Neque enim ait, Veniens filius hominis non inveniet fidem in terra: sed, Putas, inveniet fidem in terra? Cui utique cuncta scienti, & præscienti de aliqua re dubitare non convenit, sed illius dubitatio nostram dubitationem figuravit, quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia, hoc quoque erat quandoque infirmitas humana dictura.

Objicies 3. S. Hilarius in lib. contra Auxentium Arianum n. 12. non obscure significat, Ecclesiam suo tempore obscuratam ita fuisse, ut in latebris tantum & cavernis existeret. *Unum moneo*, ait ille, *cavete Antichristum: male enim vos parietum amor cœpit, male Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum? Montes mihi, & sylvæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores: in his enim Prophetæ, aut manentes, aut demersi, Dei spiritu prophetabant.* Ariana igitur grassante hæresi a sua prorsus visibilitate defecit Ecclesia; quod etiam idem S. Doctor aperte testatur in libro de Synodis n. 63. inquiens: *Absque Episcopo Eleusio, & paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem Provinciæ, intra quas consisto, vere Deum nesciunt.*

Resp. Hilarium primo in loco non de universa Ecclesia loqui, sed de Mediolanensi dumtaxat, quam Auxentius Arianus Episcopus infestabat, multos pervertens, ac omnes ferme decipiens, simulata Catholici nominis profes-

sione. Quapropter ille fideles Mediolani manentes hortatur, ne cum Auxentio in Ecclesiam conveniant, sacrosque cœtus in sylvis potius & cavernis agant, quam hæretica communione fœdentur. Hinc post objecta verba prosequitur: *Absistite itaque ab Auxentio satanæ angelo, hoste Christi, vastatore perdito, fidei negatore; quam sic est Regi professus, ut falleret; sic fefellit, ut blasphemaret.*

Ex quo patet, neque Mediolani tunc Ecclesiam defecisse, ac sub Ariano Episcopo plebem permansisse Catholicam. Unde eodem in libro n. 6. scribit Hilarius: *Et hujus quidem usque adhuc impietatis fraude perficitur, ut jam sub Antichristi Sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum; putant esse quod dicitur. Audiunt Filium Dei; putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora; putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quam corda sunt Sacerdotum.*

Ad alterum Hilarii testimonium speciatim respondet Augustinus epist. 93. alias 48. c. 9. Ecclesiam aliquando quidem obscurari, & tanquam obnubilari multitudine scandalorum, sed etiam tunc in suis firmissimis eminere. Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius. *Quis enim nescit*, ait ibi n. 31., *illo tempore obscuris verbis multos parvi sensus fuisse delusos, ut putarent hoc credi ab Arianis, quod etiam ipsi credebant: alios autem timore cessisse & simulate consensisse, non recte ingredientes ad veritatem Evangelii? . . . . Quanquam & illi, qui tunc firmissimi fuerunt, & verba Hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem*

in

in comparatione ceterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est, & usque in finem, donec omnino gentes omnes, etiam barbaras teneat, conservabitur.

Deinde n. 32. ita concludit Augustinus: *Hilarius ergo decem provinciarum Asianarum aut zizania non triticum arguebat, aut ipsum etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius, tanto utilius arguendum putabat. Habent enim etiam Scripturæ canonicæ hunc arguendi morem, ut tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat.*

Ut tandem de Hilarii mente nemo ambigere unquam possit, legendum monemus librum 5. de Trinitate n. 30. ubi ille Hæreticos provocat ad fidem universæ Ecclesiæ, in qua *omne os credentium Christum Deum loquitur*.

Notandum hic ultimo est cum Melchiore Cano lib. 4. cap. postremo ad 6. falli eos qui fidem in uno solum manere posse contendunt. Ecclesia enim nomen est collectivum; proindeque si unus tantum crederet, non crederet Ecclesia. Christus insuper Matth. ult. v. 20. dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:* quæ vox *Vobiscum* plures ostendit. Itemque dum Joan. c. 14. & 16. pollicetur fidelibus Spiritum veritatis sempiternum, pluribus illum, non uni tantummodo pollicetur. Denique corpus non est unum membrum, sed multa, uti docet Apostolus 1. Cor. 12. 14. Sed corpus Christi, quod est Ecclesia, ut idem ad Ephesios ait c. 1. v. 23., usque in finem permanebit. Non ergo un-

unquam deerunt multi in Ecclesia Fideles. Opponunt hic etiam quædam Hieronymi verba ex Dialogo contra Luciferianos, quæ tamen dum de Conciliorum auctoritate tractabimus, opportunius exponemus.

CAPUT XI.

Quod Ecclesia errare non possit in fidei morumque doctrina.

IN militante Ecclesia spectari primo potest Romanus Pontifex, qui Christi Domini vice fungens, est visibile ejusdem Ecclesiæ Caput: spectandi tum etiam sunt Pastores alii, nimirum Episcopi; ac postremo ceteri Fideles, qui cum Capite, ac Pastoribus suis retinent unitatem in fidei professione, morumque doctrina.

Jam vero Pastores Ecclesiæ considerari possunt vel ut in unum simul collecti, atque tunc Concilium Generale constituunt; vel tanquam per universum orbem dispersi. Ita & Romanus Pontifex vel solus intelligi potest, vel cum Pastoribus aliis sibi adhærentibus, sive isti per orbem dispersi sint, sive sint in Concilio congregati. De Romano Pontifice, ac de generalibus Conciliis postea differemus: nunc ipsam consideramus Ecclesiam, prout Pastoribus, & Fidelibus constat per universum Mundum diffusis; ac quærimus, num falli possit in fidei morumque dogmatibus. Qua in re bene notat Canus lib.

lib. 4. c. 1. Hæreticis omnibus gentile hoc esse, ut simul atque Ecclesiæ auctoritate urgeri se videant, aut illam spernant, aut Ecclesiæ rem nomenque ad se falso transferant, & eam in illis esse negent, in quibus revera est.

Propositio. Catholica Christi Ecclesia in iis quæ ad fidem moresque pertinent, errare omnino non potest.

Probatur. Isaiæ 59. v. 20. legitur: *Cum venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus, hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo, & usque in sempiternum.* Ubi sane Propheta de novi testamenti Ecclesia loquitur, uti etiam ad Rom. 11. v. 26. exponit Apostolus, eidemque Spiritum Sanctum perpetuo adfuturum esse prænunciat, ut omnem doceat veritatem; quemadmodum ipse quoque Christus affirmat Joan. 16. v. 13.

Item Osee 2. v. 20. dicit Dominus: *Sponsabo te mihi in fide.* Ecclesia itaque est Christi Sponsa per fidem, quæ si deesset Ecclesiæ, jam Sponsi Sponsæque matrimonium dirimeretur: atqui illorum conjunctio indissolubilis ac perpetua est; unde citato in cap. v. 19. legitur, *Sponsabo te mihi in sempiternum;* & ideo etiam Cant. 3. v. 4. Sponsa ait, *Tenui eum, nec dimittam.*

Præterea, Christus postquam Matth. ult. v. 19. dixit Apostolis, *Euntes docete omnes gentes*, & v. 20. *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*, promisit se nunquam illis in tali munere defuturum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hoc

Hoc insuper infallibilitatis munus Ecclesiæ suæ spopondit Christus Matth. 16. v. 18. inquiens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Talis igitur ac tanta est Ecclesiæ in retinenda fide firmitas & constantia, ut eam nequeat vel infernus ipse concutere.

Apostolus etiam 1. ad Timotheum 3. v.15. scribit: *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi: columna, & firmamentum veritatis.*

Ejusmodi vero infallibilitas non solum passiva, ut ajunt, est in tota populi Christiani societate, quæ nunquam falsum quid credere potest.; verum etiam est activa in Pastoribus, qui simul omnes errare, ac in tradenda populis falsa doctrina conspirare non possunt. Nam populus Christianus traditam a Pastoribus suis fidei morumque doctrinam amplecti tenetur: si ergo possent Pastores omnes errare, tota etiam errare posset Ecclesia; ac proinde ipsa quoque infallibilitas passiva periret, quam Novatores in Ecclesia esse non negant. Quare Paulus ad Ephesios 4. v.11. scribit, Christum dedisse *Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Errare ergo non possunt simul omnes Ecclesiæ Pastores & Doctores, quorum auctoritate plebs ex sui natura mutabilis in fidei constantia continetur, uti providentissime Christus instituit.

Et profecto si Christus nullos dedisset Ecclesiæ

fiæ suæ Pastores, jam sine dubio bonus ille Pastor suum deseruisset Ovile: atqui multo melius Ecclesiæ est nullos habere Pastores, quam errantes habere; cum enim Pastor per abrupta graditur, necesse est, ut per præcipitium grex sequatur; uti ex Gregorio inquit Canus lib. 4. cap. 4. concl. 4. Si igitur Pastores ad unum omnes a veritate discederent, ovium suarum curam Christus vel maxime neglexisset.

Deinde si dum Pastores communi sententia doctrinam aliquam traderent, falli possent, jam liceret populo ab illorum judicio dissentire: atqui nihil affirmari potest absurdius. Ut enim bene scribit Canus citato in loco, „ Si hinc „ Pastores, inde oves in contrarias partes separentur, corporis compacti ac per omnem „ juncturam connexi disjunctio omnem Ecclesiæ distrahet unitatem; & non solum inter „ optimates & populum constitutam a Christo „ societatem evertet, sed communem etiam inter se fidelium consociationem dirimet, cujus „ consociationis arctissimum vinculum fidei est „ conspiratio eadem & consensus partium non „ divulsus. Divulsus autem omnino erit, si populorum membra a suis capitibus divellantur. „ Atque ubi semel plebs rudis a Doctorum suorum communi sententia declinaverit, quorum „ doctrinam postea secutura est? Si salem abjecerit, in quo salietur? Si a luce mentis „ aciem abduxerit, quid nisi tenebras intuebitur? Si oculus est malus, nonne & corpus „ tenebrosum erit? Ubi vero illud Matth. 23. „ v. 2. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; quodcunque dixerint vobis* „ *facite?* Anne meliore statu & conditione „ Scri-

„ Scribæ & Pharisæi erunt, quam Ecclesiæ „ Christi Pastores, ac Doctores? “

Ad hæc accedit, quod Sancti Patres cum adversus Hæreticos Ecclesiæ auctoritate nituntur, Episcopos Apostolis succedentes intelligunt. Hos inter Irenæus lib. 3. c. 3. scribit: *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint videre: & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur*. Et lib. 4. c. 26. alias 43. *Quapropter eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt*.

Cyrillus etiam in Epistola Synodica ad Nestorium ita ipsum alloquitur: *Præter hoc addendum illud est, ut scripto ac jurejurando affirmes te præterea anathematizare quæ scelestè & profane hactenus sensisti: & ea rursum posthac te sensurum & docturum polliceare quæ & nos, & ceteri omnes quotquot vel in Occidente, vel in Oriente vivunt Episcopi, doctores ac duces populorum ... Hæc enim est Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ fides, in qua universi Occidentis & Orientis orthodoxi Episcopi consentiunt*.

Consonat pariter Augustinus hæc habens lib. 28. contra Faustum c. 2. *Cum cœpero Matthæi Evangelium recitare Apostoli ejus, ubi narratio nativitatis ejus tota contexitur, continuo dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit universa Ecclesia, ab Apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos, certa successione perducta*. Il-

Illustre tandem ad id ostendendum est Cypriani testimonium in epist. 69. ad Pupianum, ajentis: *Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt. Qui vos audit, me audit; & qui vos rejicit, me rejicit.* Ac postea subdit, *Ecclesiam non esse multitudinem contumacium, sed plebem Sacerdoti adunatam: Unde qui cum Episcopis non sunt, eos in Ecclesia non esse; frustraque eos sibi blandiri, qui pacem cum Sacerdotibus non habuerint; cum Ecclesia, quæ Catholica & una est, scissa non sit, sed connexa & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.*

Ex his itaque patet, Ecclesiæ nomine non ipsam solum Catholicorum concionem intelligi, quæ per Baptismum Christo nomen dedit, & peculiaris novaque Respublica consecrata est; verum etiam, imo & præcipue, ipsos Principes ac Pastores Ecclesiasticos, in quibus scilicet hujus Reipublicæ auctoritas potissimum residet, juxta præclarum illud Aristotelis effatum Ethic. 9. c. 9. Civitatem id maxime esse, quod est in ea principale. Inde enim quæ Principes, ac Gubernatores Civitatis faciunt, & sentiunt, ea Civitas facere dicitur, & sentire. Cujus rei in sacris etiam literis habemus exemplum; nam 3. Regum c. 8. v. 1. legitur: *Tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini:* & inferius v. 14. *Convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat.* Atque huic exemplo illud etiam est simile, quod refertur Exodi 19. v. 7. & 8. *Venit*

nit Moyses: & convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandaverat Dominus. Respondit que omnis populus simul: Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Non est igitur, cur in hac significatione Ecclesiæ vocabulum Fideles exhorreant; quod Hæretici facere solent in odium Ecclesiasticæ potestatis, quam Christus non penes populares, sed penes Ecclesiæ Sacerdotes, ac Pastores esse decrevit, ex quorum communi sententia firmum duci poterit argumentum, ut fidei morumque dogmata demonstrentur.

Objicies 1. Fidelium omnium sensum in fidei quæstione requirere nullo prorsus modo valemus: ex universalis itaque Ecclesiæ sententia nullum omnino argumentum sumi potest. Neque quis recte reponet, satis esse si Pastorum qui Ecclesiam repræsentant, & ipsissima Ecclesia sunt, sententia requiratur: nam Isaiæ temporibus erat Jerosolymis Ecclesia, de Pastoribus vero sic ille loquitur c.56. v.10. & 11. *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia . . . Ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum*. Durabat quoque Ecclesia ad tempora Jeremiæ, qui tamen de Pastoribus ita scribit c.8.v.8.9.& 10. *Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum: Confusi sunt sapientes, perterriti, & capti fuerunt: verbum enim Domini projecerunt, & sapientia nulla est in eis . . . A minimo usque ad maximum omnes avaritiam sequuntur: a Propheta*

ta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium. Lege etiam Isaiæ c. 1. v. 3. & sequen. Jeremiæ c. 2. v. 26. & c. 5. v. 1. & alibi, quibus ostenditur totam tunc temporis Ecclesiam a fide & moribus defecisse, ideoque posse nunc quoque Ecclesiam pari ratione deficere.

Resp. cum Cano lib. 4. c. ult. ad 14. duo esse rerum genera, quæ ab Ecclesia creduntur. Unum est earum, quæ ad omnes æque pertinent; ut Deum esse hominem, & intellectualem animam esse immortalem. Quo in genere non est valde difficile, omnium fidem sensumque cognoscere; non quia seorsum rogandi sint singuli, quod permolestum esset & oppido quam ridiculum; sed quia singulorum fides in hujusmodi rebus statim sese prodit, satisque mediocri adhibita diligentia cognosci a nobis possit, præsertim si res in contentionem veniat, & vulgus suo more calescat.

Alterum est genus earum rerum, quas scire non rudium & imperitorum in Ecclesia, sed majorum & sapientium interest; ut Patrem & Filium esse unum Spiritus Sancti principium, Epistolam ad Hebræos esse canonicam, ac reliqua plura similia. Et in hoc genere si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit, ut si colorum sensum a cæco quæsiveris.

In communi igitur omnium controversia certum argumentum ex communi Fidelium sensu recte depromitur; quamvis omnium sigillatim sensum perscrutari nequaquam oporteat. In fide autem earum rerum, quæ sapientium doctorumque sunt propriæ, sola horum expetenda sententia est, vulgi ne expectanda quidem. Nam illi certam fidem faciunt Catholici dogmatis;

hi faciunt nullam. At vero in utrarumque rerum decretis ac legibus nec vulgus, nec sapientes omnes habent locum; sed soli Ecclesiæ Pastores, in quibus dumtaxat est ligandi, solvendi, judicandique potestas.

Laudatis autem aliisque similibus Scripturarum textibus, reponendum est 1. intelligendos esse de Synagogæ Pastoribus, quibus perpetua, ac constans infallibilitas promissa non fuit: 2. exponendos esse de pluribus, non de omnibus omnino Pastoribus; juxta scilicet Scripturæ morem, quæ, cum in comparatione malorum adeo pauci boni sint, ut nulli esse videantur, totum una comprehensione populum reprehendit, quamvis in eo nonnulli sint boni. Et profecto Ezechiel eodem quo Jeremias vaticinatus est tempore, dicitque ei Dominus c. 3. v. 7. *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde*. An putares in tota hac depravata domo partem aliquam superesse, cui generalis illa sententia minime conveniret? Audi tamen quid iterum dicat Dominus ibi c. 9. v. 4. *Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus*. Non ergo omnes attrita fronte duroque corde erant, neque omnes in populi peccata consenserant. Lege S. Augustinum lib. de unitate Eccl. c. 12. & lib. contra Donatistas post collationem c. 20. & recole quæ diximus in superiori capite ad 1. objectionem.

Objicies 2. Duæ sunt Ecclesiæ, Græca videlicet, & Latina; quarum utri præstanda sit fides, non satis apparet. Reponi utique solet Græcos esse schismaticos; & idcirco apud eos Ec-

cle-

clesiam periisse, quia a Romano Pontifice desciscendo, privilegium Ecclesiastici nominis amiserunt. At Ecclesiæ veritas unitasque non ex uno Pontifice pendet, sed ex uno Christo, una Fide, unoque Baptismate, uti scribit Apostolus ad Ephes. 4. v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma;* quæ quidem omnia habent Græci, in quibus etiam plures boni sunt viri. Deinde mortuo Romano Pontifice Ecclesia vera & una persistit: non ergo ex illo visibili Capite ista dependet. Arroganter itaque sibi Latina Ecclesia Catholicæ nomen, & infallibilitatis prærogativam usurpat: quapropter nisi idem cum Græca sentiat, universalis Ecclesiæ auctoritate caret, nec judicium ejus revereri tenemur, ac si Catholica vere esset.

Resp. apud Græcos certe quidem non esse Ecclesiam, ex quo a Romano Pontifice schisma fecerunt. Credimus enim unam Catholicam Ecclesiam: quare necesse est, ut qui ab unitate se separat, quoniam non est in una Ecclesia Catholica, ne in Ecclesia quidem ille sit. Apposite S. Cyprianus lib. de unit. Eccl. ait: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. . . . . Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse confidit?*

Neque esse potest unus Christus, una Fides, unum Baptisma, nisi unus quoque sit *spiritus*; ut ibidem ait Apostolus v. 4. Unus autem spiritus in eo non est, qui ab Episcopatu, qui unitatis est tessera, schisma molitur. Unde prosequitur Cyprianus: *Quando & Beatus Aposto-*

 lus

lus Paulus hoc idem doceat, & sacramentum unitatis ostendat, dicens: Unum corpus, & unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus. Græci ergo ab obedientia Petro ejusque Successoribus debita recedendo, ab unitate etiam, & ab Ecclesia recesserunt.

Neque schismatici solum illi sunt, sed sunt insuper hæretici, tum propter alia, tum hac præcipue de causa, quod inficientur unum totius Ecclesiæ Pastorem in B. Petro institutum a Christo fuisse. Si vero in eis viri boni sunt aliqui, ii tantum erunt, qui cum Catholica fide consentiunt, qui ab schismate alieni sunt, qui unum unius Corporis tenent Caput, unumque unius Ovilis Pastorem, non in Cœlis solum, sed etiam in terris agnoscunt.

Mortuo autem Summo Pontifice, una proculdubio manet Ecclesia, manetque in ea spiritus unitatis; sed manca quodammodo & imminuta sine Christi Vicario, supremoque totius Ovilis Pastore relinquitur. Quocirca licet veritas tunc etiam in Ecclesia perseveret; si tamen fidei & religionis controversiæ oriantur, Ecclesiæ judicia sine Capite in terris adeo certa non erunt.

Objicies 3. cum Calvinistis. Catholici infallibilem Ecclesiæ auctoritatem asserunt ex Scripturis, ac vicissim Scripturarum divinitatem ex Ecclesiæ auctoritate demonstrant. Hoc autem in ratiocinio vitiosus est circulus, qui recidit in sophisma quod Schola principii petitionem appellat.

Resp. vitiosum circulum tunc haberi, quando

do duæ invicem propositiones ostenduntur apud eum, qui neutram concedit; ut si tibi neganti matris alicujus ac filii probitatem, demonstrare vellem matrem esse probam ex quo filius id testetur, filium que probum esse ex quo id mater affirmet. Argumentatio enim procedere debet a notis ad ignota, vel a concessis ad non concessa; ut asserunt Philosophi. Hinc vitiosum circulum Christianus efficeret, qui Ethnico nec Scripturam, nec Ecclesiam admittenti probare vellet, Scripturam esse infallibilem, quia id docet Ecclesia; ac vicissim Ecclesiam infallibilem esse, quia id Scriptura declarat: nam utrumque illi æque ignotum esset, & æque incertum. Vitiosus autem circulus non est, si una propositio per alteram probetur apud eum, qui alterutram ex duabus admittit; ut demonstrata prius Ecclesiæ infallibilitate ex perspicuis ejus notis, ac per evidentia credibilitatis motiva, recte procederes ad infallibilitatem Scripturæ Ethnico demonstrandam. Itemque si quis idiota Catholicus infallibile Ecclesiæ judicium esse concedat, dubitet vero, an canonici v. g. sint libri Machabæorum, facile ei sine circulo suadebis hos revera esse canonicos, cum ita tradat Ecclesia, cujus ille auctoritatem agnoscit. Pari nos etiam modo contra Novatores tale instituimus argumentum: Scriptura quam vos admittitis, infallibilem Ecclesiam esse demonstrat: ergo revera infallibilis dicenda est: adeoque vere etiam divini sunt omnes Scripturæ libri, quos ut divinos nobis illa proponit.

Notandum hic est, putasse nonnullos, quod Christus futurus sit quidem semper Ecclesiæ suæ præsens, ne unquam ei desit vera fides, & cari-

lus Paulus hoc idem doceat, & sacramentum unitatis ostendat, dicens: Unum corpus, & unus spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus. Græci ergo ab obedientia Petro ejusque Successoribus debita recedendo, ab unitate etiam, & ab Ecclesia recesserunt.

Neque schismatici solum illi sunt, sed sunt insuper hæretici, tum propter alia, tum hac præcipue de causa, quod inficientur unum totius Ecclesiæ Pastorem in B. Petro institutum a Christo fuisse. Si vero in eis viri boni sunt aliqui, ii tantum erunt, qui cum Catholica fide consentiunt, qui ab schismate alieni sunt, qui unum unius Corporis tenent Caput, unumque unius Ovilis Pastorem, non in Cœlis solum, sed etiam in terris agnoscunt.

Mortuo autem Summo Pontifice, una proculdubio manet Ecclesia, manetque in ea spiritus unitatis; sed manca quodammodo & imminuta sine Christi Vicario, supremoque totius Ovilis Pastore relinquitur. Quocirca licet veritas tunc etiam in Ecclesia perseveret; si tamen fidei & religionis controversiæ oriantur, Ecclesiæ judicia sine Capite in terris adeo certa non erunt.

Objicies 3. cum Calvinistis. Catholici infallibilem Ecclesiæ auctoritatem asserunt ex Scripturis, ac vicissim Scripturarum divinitatem ex Ecclesiæ auctoritate demonstrant. Hoc autem in ratiocinio vitiosus est circulus, qui recidit in sophisma quod Schola principii petitionem appellat.

Resp. vitiosum circulum tunc haberi, quando

do duæ invicem propositiones ostenduntur apud eum, qui neutram concedit; ut si tibi neganti matris alicujus ac filii probitatem, demonstrare vellem matrem esse probam ex quo filius id testetur, filium que probum esse ex quo id mater affirmet. Argumentatio enim procedere debet a notis ad ignota, vel a concessis ad non concessa; ut asserunt Philosophi. Hinc vitiosum circulum Christianus efficeret, qui Ethnico nec Scripturam, nec Ecclesiam admittenti probare vellet, Scripturam esse infallibilem, quia id docet Ecclesia; ac vicissim Ecclesiam infallibilem esse, quia id Scriptura declarat: nam utrumque illi æque ignotum esset, & æque incertum. Vitiosus autem circulus non est, si una propositio per alteram probetur apud eum, qui alterutram ex duabus admittit; ut demonstrata prius Ecclesiæ infallibilitate ex perspicuis ejus notis, ac per evidentia credibilitatis motiva, recte procederes ad infallibilitatem Scripturæ Ethnico demonstrandam. Itemque si quis idiota Catholicus infallibile Ecclesiæ judicium esse concedat, dubitet vero, an canonici v. g. sint libri Machabæorum, facile ei sine circulo suadebis hos revera esse canonicos, cum ita tradat Ecclesia, cujus ille auctoritatem agnoscit. Pari nos etiam modo contra Novatores tale instituimus argumentum: Scriptura quam vos admittitis, infallibilem Ecclesiam esse demonstrat: ergo revera infallibilis dicenda est: adeoque vere etiam divini sunt omnes Scripturæ libri, quos ut divinos nobis illa proponit.


Notandum hic est, putasse nonnullos, quod Christus futurus sit quidem semper Ecclesiæ suæ præsens, ne unquam ei desit vera fides, & ca-

ritas; possit tamen Ecclesia rem aliquam probabiliter ignorare, qua scilicet ignorata, non proinde illa fidem amitteret; nam licet falleretur, inculpatus tamen & excusabilis error fidem ejus haudquaquam excluderet. Verum ex hucusque dictis non tantum infertur Ecclesiæ fidem nunquam esse defecturam, sed præterea illam in fidei rebus errare ulla ratione non posse; ita nimirum, ut verum omnino sit quidquid Ecclesia tanquam fidei dogma tenet, nec quidquam falsum esse queat, quod ipsa aut credit, aut docet esse credendum. Cum enim Ecclesia Corpus Christi sit, ut docet Apostolus Ephes. 5. v. 23., a suo certe Capite movetur, ac regitur; Ecclesiæ igitur error referretur ad Christum. Deinde præclaram illa promissionem a Christo habet Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et postea v. 26. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Ac tandem c. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Cum itaque *in æternum* Spiritu veritatis agatur Ecclesia, ad nullum unquam errorem fidei morumque doctrinæ contrarium, ne insciens quidem, poterit illa moveri: & ideo columna & firmamentum veritatis ab Apostolo nominatur.

Hinc apposite Tertullianus in lib. de Præscriptionibus c. 28. ait: *Age nunc, omnes Ecclesiæ erraverint: . . . nullam respexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre,*

tre, ut esset Doctor veritatis: neglexerit officium Dei Villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipse per Apostolos prædicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint?

Merito itaque S. Augustinus lib. 1. contra Cresconium c. 33. scribit: *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.* At hac de re plusquam satis.



DE PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ LOCIS

LIBER IV.

Ubi de Conciliorum auctoritate differitur.



Actenus de Ecclesia per Orbem dispersa tractavimus, nunc de eadem agendum est, quatenus in Conciliis, præsertim Generalibus, collecta auctoritatem suam judicandique potestatem exercet. Ecclesiæ vero nomine intelligimus ipsos ejus Principes, sive Episcopos, qui nullibi melius commodiusque de Ecclesiæ negotiis differunt decernuntque, quam in Concilio congregati, ubi mutuam sibi operam præstare facilius possunt doctrinæ, studiorum, consiliorumque præsidiis.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit Concilium: & ad quem illud convocare, eidemque præsidere pertineat.

QUidam Concilii etymon a *conciliando* deducunt, sumpta nimirum origine a *con* & *cilium*, eo quod sicut oculi, dum clauduntur eorum cilia, in unum conveniunt, & conciliari dicuntur; ita quoque conveniunt, & conciliantur Episcopi, dum aliquid simul congregati decernunt. Alii vero a *considendo* idem nomen ortum existimant. Alii insuper derivari illud probabilius sentiunt a *concalando*, idest a convocando, simulque ciendo: Græcis enim καλεῖν est *vocare*, sive συγκαλεῖν est *convocare*, *cogere*, *congregare*: unde ad Latinos dimanarunt *Calare*, *Calendæ*, & *Calata comitia*. A Græcis denique Concilium dicitur Σύνοδος, Συνέδριον, Συναγωγή, &c.

Ecclesiastica itaque Concilia, Synodique, de quibus hic agimus, sunt Congregationes, sive Comitia Fidelium; Conventus nempe Catholicorum Antistitum, Ecclesiasticis de causis convocatorum. Etsi enim singuli Episcopi singulas Ecclesiæ partes regant, quandoquidem uti Cyprianus ait in lib. de unit. Eccl. *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*; cum tamen opus est, in uno illi loco

loco conveniunt, ut expeditius promptiusque Religioni provideant.

Dividuntur primo Concilia, in universalia quæ etiam generalia nuncupantur; & in particularia sive localia, quæ a Græcis τοπικὰ, seu μερικὰ dicuntur. Hæc autem triplicis sunt generis: vel enim Nationalia sunt, vel provincialia proprie dicta, vel Episcopalia strictius sumpta, quæ etiam nunc Diœcesana vocantur. His addenda quæ pluribus ex provinciis, pluribusve nationibus adunantur, in quibus Patriarchalia universalibus minora sunt, ceteris vero localibus sunt majora.

Universalia, seu Generalia Concilia ea sunt, ad quæ omnes totius Christiani Orbis Episcopi Orthodoxi convocantur: unde & a Græcis *Œcumenicæ Synodi* dicuntur, id est, ἐκ τῆς οἰκουμένης, ex tèrra quæ habitatur, ubicunque Christiana Religio viget: in his quippe universa Ecclesia per Episcopos repræsentatur. Neque tamen oportet omnes universi Orbis Episcopos interesse Concilio, ut illud Generale habeatur; sed sufficit, si advocentur omnes, & si ex qualibet Orbis parte, saltem præcipua, adsint aliqui. Omnes autem, si impediti non sint, adesse tenentur; ut infra fusius exponemus.

Patriarchalia dicuntur Concilia, quæ ab aliquo e majoribus Patriarchis ex omnibus eidem subjectis nationibus provinciisque coguntur. Verum hæ Patriarchales Synodi ad Nationales ferme referri possunt: raro quippe legitur Patriarchas aliunde quam ex natione propria Episcopos ad Concilia convocasse. Alexandrini enim ex Ægyptiaca, Antiocheni ex Orientali, Constantinopolitani ex Thracica Diœcesi, ipsique Ro-

Romani Pontifices ex Italia Synodos habuerunt.

Nationalia vero Concilia, quæ aliquando *Universalia* quoque, aut etiam *Plena* vel *Plenaria* nuncupantur, respectu scilicet Provincialium, sic proprio in sensu dictorum, ea sunt quæ ab unius Regni vel Nationis Episcopis celebrantur, præsidente Primate: talia sunt pleraque Carthaginensia, Toletana, ac Romana Concilia. Eadem aliquando vocantur *Diœcesana*, accepto Diœceseos nomine pro complurium ejusdem gentis Provinciarum administratione, ex veterum Romanorum usu post divisum Imperium; uti cum dicunt Diœcesim Galliarum, Diœcesim Africæ, Diœcesim Orientis.

Quædam præterea sunt plurium Nationum Concilia, qualia Arelatense I. sub Silvestro I. Sardicense sub Julio I. Turonense III. sub Alexandro III. Ad ea enim, aliaque nonnulla ex totius Occidentis Provinciis Episcopos concurrisse constat, & communi consensu Canones condidisse: unde quandoque Generalium nomine decorantur.

Provincialia stricte loquendo, Græcis ἐπαρχικὰ, sunt, quæ Metropolitano, sive Archiepiscopo omnes Provinciæ suæ Episcopos convocante, Ecclesiasticis de causis instituuntur, accersitis & aliis Provinciæ Clericis. Et olim quidem ea bis singulis annis haberi debebant ex Concilii Nicæni I. Canone 5. Deinde Quinisexta in Trullo Synodus propter Barbarorum incursiones aliasque incidentes causas, semel quotannis habenda hæc Concilia censuit; quod secuta quoque est Synodus Nicæna II., idque propter incommoda itinerum, & frequentis Episcoporum ab sedibus suis absentiæ. Novissime vero Synodus

dus Tridentina sess. 24. c. 2. de Reformatione præscribit, ut *Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis, renoventur. Quare Metropolitani per seipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior intra annum ad minus a fine præsentis Concilii, & deinde quolibet saltem triennio, post octavam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore, pro more Provinciæ, non prætermittat Synodum in Provincia sua cogere; quo Episcopi omnes, & alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur.*

Concilia Episcopalia, seu Diœcesana, uti nunc loquimur, quæ & proprie Synodi hodie dici solent, sunt quæ ab unoquoque Episcopo, congregatis Abbatibus ac Presbyteris suis, ceterisque Clericis celebrantur. De his ita Concilium Tridentinum citato mox in loco subjungit: *Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur: ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.* Ejusmodi tamen Synodus Concilii nomen vix meretur, cum nemo jurisdictione præditus eidem intersit præter Episcopum.

Dividuntur denique Concilia in ea quæ a Romano Pontifice congregata sunt, & in ea quæ ab ipso non sunt congregata; rursumque in confirmata ab eodem, & minime confirmata.

ta. Alia pariter sunt Concilia nec congregata, nec confirmata, quorum nonnulla vel in totum, vel quoad partem reprobata sunt: alia vero nec approbata, nec reprobata fuisse leguntur. De his omnibus Historici, Theologique plura scripserunt, nosque inferius nonnulla dicemus.

His ergo præmissis videndum modo est, ad quem jus spectet convocandi Concilia, præsertim generalia, eisdemque legitime præsidendi. Lutherus enim in libro de Conciliis, Calvinus lib. 4. Instit. c. 7. Magdeburgenses centuria 4. c. 7. aliique Heterodoxi jus illud existimant Imperatori convenire, non Papæ: & ideo ad Tridentinum Concilium ire renuerunt Protestantes, illudque non recipiendum asseruit inter alios Molinæus, quod non ab Imperatore, sed a Romano Pontifice fuerit convocatum.

Propositio. Soli Romano Pontifici jus competit generalia convocandi Concilia, & in iisdem per se, vel per Legatos, qui locum ejus teneant, præsidendi.

Probatur. Christus Dominus non Tiberio Imperatori, sed Petro, & in ejus persona Romano Pontifici, tradidit claves & regimen universalis Ecclesiæ, inquiens Matth. 16. v. 18. & 19. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam . . . Et tibi dabo claves regni cælorum: &c.* itemque Joan. ult. v. 15. 16. & 17. *Pasce agnos meos . . . Pasce agnos meos . . . Pasce oves meas*. Spiritualis ergo potestas convocandi præsidendique Conciliis, uni tantum competit Romano Pontifici, non Imperatori, non aliis, qui agnorum oviumque nomine designantur. Nam & in veteri testamento cuncta spiritualia munia penes Pontifi-

ces

ces erant, non penes Reges, ut patet ex 2. Paralip. 19. v. ult., nisi forte unus idemque Princeps esset & Pontifex, ut contigit in Moyse, & Machabæis; vel simul esset Princeps politicus & Propheta, uti fuerunt David, & Salomon.

Neque ob id solummodo jus convocandi præsidendique Conciliis Imperatori non competit, quod a spirituali potestate descendit, verum ob id etiam quod in universum Orbem extenditur. Non enim omnibus, sed quibusdam tantum Mundi provinciis dominati fuerunt olim Imperatores, & nunc etiam dominantur. Solus autem Papa est visibile totius Ecclesiæ Caput, & omnium Orbis Episcoporum Episcopus, qui ob concessum sibi a Christo primatum præcipere eis potest, ut ad Concilium congregentur, solusque potest congregatis in Concilio præsidere. Quapropter vere egregieque scribere potuit S. Leo serm. 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli, Romam ad tantam gloriam fuisse provectam, *ut per sacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius præsideret religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii sui terra marique protulerit; minus tamen est, quod ei bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit.* Quibus similia scribit S. Prosper in Carmine de Ingratis, inquiens:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris,
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Hinc Romani Pontifices jus istud sibi non contradicentibus Imperatoribus perpetuo vindicarunt; quos inter Nicolaus I. epist. 8. ad Michaelem Imperatorem ita scribit: *Attendat*

cle-

clementia vestra, quantus fuerit erga Sedis Apostolicæ reverentiam Antecessorum vestrorum amor, & studium. Qualiter legibus suis pro adunandis ei Ecclesiis promulgaverint, pro colligendis Conciliis ac proferendis sententiis non imperaverint; sed precati, & hortati solum extiterint; & quæ illi decreverunt, ipsi consenserint; & quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint. Rursumque epist. 38. *Generale Concilium sine Apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi.*

Cum præterea Valentinianus Imperator ad indicendum Concilium sollicitatus esset ab Episcopis Orientis anno 364., præclarum illud responsum dedit apud Sozomenum lib. 6. c. 7. *Sibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere, se ejusmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicunque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.*

Quod postremo ad præsidendi jus speciatim pertinet, notum est, Concilium Ephesinum II. tanquam latrocinium habitum ab omnibus esse tum ob alias causas, tum ob id etiam, quia missis a Summo Pontifice Legatis præsidentia negata fuerat a Dioscoro Alexandrino Patriarcha, qui eam, Chrysaphii opera, ab Imperatore Theodosio fraudulenter extorserat.

Objicies 1. Octo priora Concilia generalia a Christianis Imperatoribus convocata fuerunt. Constantinus enim Nicænam I. Synodum coegit, ut patet ex Eusebio lib. 3. de vita Constantini c. 4. Alteram vero, nempe Constantinopolitanam I. Theodosius senior convocavit ex Socrate lib. 5. c. 8. Itemque tertiam, quæ fuit Ephesina, auctoritate nutuque Theo-

dosii

dosii junioris celebratam fuisse testatur Evagrius lib. 1. c. 3. Quarta quoque Synodus *in Chalcedonensi civitate facta est ex decreto Imperatorum Valentiniani & Marciani*, uti refertur parte secunda ejusdem Concilii actione 1. Constantinopolitanam pariter II. quæ quinta generalis dicitur, adunavit Justinianus Imperator, ut liquet ex ejus epistola ad Episcopos Constantinopoli considentes, quæ legitur in ejusdem Concilii collatione 1. Rursum Patres Constantinopolitanæ III. Synodi, quæ est sexta Œcumenica, actione 1. fatentur se Constantini IV. literis ad Concilium convenisse. Nicænam etiam II. quæ est septima generalis, convocatam fuisse a Constantino & Irene Augustis, apparet ex eorundem epistola ad Hadrianum Papam. Quartam denique Constantinopolitanam Synodum, sive octavam Œcumenicam, fuisse congregatam a Basilio Imperatore, colligitur ex ejusdem Synodi actione 1. Non ergo ad Romanum Pontificem, sed ad Imperatorem spectat generalia convocare Concilia.

Resp. laudata Concilia coacta quidem ab Imperatoribus fuisse, non sine tamen consensu Romani Pontificis, qui etiam per Legatos suos eisdem præfuit, illorumque decreta suo calculo confirmavit. Hinc Nicænum I. non a Constantino tantum, sed & a Silvestro congregatum dicitur in sexta Synodo act. 18. in Prosphonetico Sermone; scribitque Rufinus lib. 10. c. 1. illud a Constantino fuisse convocatum, *ex sententia Sacerdotum*; & maxime quidem Romani Pontificis, cui inter Sacerdotes, sive Episcopos primus debetur locus; & sine cujus consensu generalia in Ecclesiis decreta fieri vetat

tat antiqua Ecclesiastica Regula, quam describunt Socrates lib. 2. H. E. c. 8. & Sozomenus lib. 3. c. 10. Præfedit autem Concilio Silvester per missos a se Legatos, Osium nempe, Vitum, & Vincentium. Constantinopolitanum I. a Damaso etiam convocatum patet ex Synodica ejusdem Concilii epistola, & ex laudata Actione 18. sextæ Synodi: eidemque Concilio Pontifex ille præsedit per Nestorium CP. Patriarcham, vel per Timotheum Alexandrinum, ut alii probabilius opinantur. Ephesinum I. indictum a Cœlestino I. fuisse colligitur ex ejusdem Concilii relatione ad Theodosium Imperatorem Act. 1. & ex Cœlestini literis ad Cyrillum Alexandrinum, quem etiam ad sui vicem subeundam elegit. Chalcedonense a Leone Magno convocatum constat ex Marciani epistola ad Leonem ipsum posita ante Chalcedonense Concilium, qua illum rogat ut veniat, & ipse Concilium faciat; vel si venire nolit, per literas significet quid agi velit: constat id insuper ex pluribus ejusdem Pontificis ad Marcianum epistolis. Eidem quoque Concilio præfuit S. Leo per Paschasinum, & Lucentium Episcopos, atque per Bonifacium, & Basilium Presbyteros. Constat postremo Chalcedonenses Patres non permisisse Dioscoro ut sederet inter Episcopos, quia aliam celebrare Synodum ausus fuerat absque Romanæ Sedis auctoritate; *quod nunquam licuit, neque unquam factum est*: uti legitur in ejusdem Concilii Actione 1.

Etsi vero V. Synodum Vigilius Papa nec congregaverit, nec eidem præsidere voluerit; illam tamen postea confirmavit; quod & se-

cerunt subsecuti Pontifices. Quare præfata Synodus, cui Episcopi solum 165. interfuerunt, non nisi post Vigilii confirmationem Œcumenici Concilii auctoritatem obtinuit. Ubi notandum præterea est, a Concilii Patribus rogatum fuisse Pontificem ut præsideret; quod ex Collatione 1. & 2. satis evidenter apparet.

Sed & sextam Synodum coegit Agatho, cui insuper præfuit per Theodorum & Gregorium Presbyteros, Joannem Diaconum, & Constantium Subdiaconum. Septimam vero congregavit Adrianus I. ad quam Legatos suos misit Petrum Archipresbyterum Ecclesiæ S. Petri, & Petrum Presbyterum Abbatem S. Sabæ. Octavam insuper indixit Adrianus II. præseditque per Donatum, & Stephanum Episcopos, & per Marinum Ecclesiæ Romanæ Diaconum. Lege eorundem Conciliorum Acta, quibus hæc omnia non obscure monstrantur.

De Occidentalibus tandem Conciliis quæ deinde celebrata fuerunt, dubium nullum est, ea a Romanis Pontificibus convocata fuisse, qui & iisdem per seipsos præfuerunt, si Tridentinum excipias, in quo varii præfuere Legati.

Accedit huc præterea Thomassini aliorumque responsio, quod secernenda sunt facta, & jura; & ubi in Patrum monumentis, vel in ipsa Conciliorum fronte legitur, convocatas ab Imperatore fuisse Synodos, id de facto quidem, non de jure intelligendum est; aut si de jure, non tamen stricto & primævo, sed indulgentiæ & œconomiæ plurimæ accommodato. Et quia licet generalia convocare Concilia ad solum Romanum Pontificem de jure pertineat, eorundem tamen Conciliorum execu-

tio

tio pertinet etiam ad Imperatorem aliosque Principes, qui per vim præpedire queunt, ne Episcopi ad destinatum Concilii locum accedant: & idcirco quandoque Romani Pontifices ab illis Synodum postularunt.

Objicies 2. Imperatores non semel Œcumenicis Conciliis præfuerunt: non ergo istud præsidendi munus Romano tantum Pontifici competit. Probatur antecedens: Eusebius lib. 3. de vita Constantini c.10., de eo sic ait: *Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primum medius stetit; positaque ante eum humili sella ex auro fabrefacta, non prius consedit, quam Episcopi ei innuissent. Idem omnes post Imperatorem fecere.* Sedit itaque Constantinus in honoratiore Concilii loco, eidemque præsedit. Ita & in quarto ac sexto generali Concilio Imperatores summum altioremque locum occupasse dicuntur.

Quod autem hæc non de præsidentia quoad materialem dumtaxat locum, sed vero proprioque sensu intelligenda sint, evidenter apparet ex Leonis II. verbis ad Constantinum Pogonatum: *Sancta universalis sexta Synodus, quam nutu Dei vestra clementia sedule convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit, &c.* Alios quoque Imperatores aliis præfuisse Conciliis ex eorum Actis eruitur.

Resp. Imperatores aliquando Conciliis præfuisse non quoad directionem, aut suffragium; id est, non quoad potestatem præscribendi methodum de rebus agendis, aut suffragium ferendi; sed vel quoad sessionem in honoratiori Basilicæ loco, ubi Synodus habebatur; vel quoad firmandum in Concilio ordinem, pacem-

que in eo fervandam. Sane Conftantinus ipfe, qui in Nicæno I. honeftiorem locum obtinuit, ingenue profeffus eft, fe in iis, quæ ad internum Ecclefiæ regimen pertinent, jus nullum habere; fed in iis tantum, quæ fpectant ad rerum ab Epifcopis definitarum executionem: *Quocirca* (inquit Eufebius lib. 4. de vita Conftantini c. 24.) *non abfurde, cum Epifcopos aliquando convivio exciperet, fe quoque Epifcopum effe dixit, his fere verbis ufus, nobis præfentibus. Vos quidem, inquit, in iis, quæ intra Ecclefiam funt, Epifcopi eftis. Ego vero in iis quæ extra geruntur, Epifcopus a Deo fum conftitutus.*

Conftantinus etiam Pogonatus, qui fextæ generali Synodo præfuiffe dicitur, non alium fibi in ea titulum vindicavit, quam defenforis & executoris eorum, quæ ab Epifcopis ftatuta fuiffent. *Neque* (ait in epiftola 1. Gregorii II. ad Leonem Ifaurum) *cum illis*, Epifcopis, *tanquam Imperator fedebo, aut imperiofe loquar, fed tanquam unus ex illis; & prout ftatuerint Pontifices, ego exequar.*

Theodofius item Imperator in Sacra ad Concilium Ephefinum aperte fatetur, fe ad Concilium illud Comitem mififfe eo dumtaxat fine, ut omnia pacifice, & cum ordine gererentur: *Candidianum*, inquit, *comitem ad facram veftram Synodum abire juffimus; fed ea lege & conditione, ut cum quæftionibus & controverfiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat: (nefas eft enim qui fanctiffimorum Epifcoporum catalogo adfcriptus non eft, illum Ecclefiafticis negotiis & confultationibus fefe immifcere) verum ut Monachos, & Seculares, qui bujus fpectaculi caufa*

vel

vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum confluent, ab eadem illa Civitate modis omnibus submoveat: . . . tum rursum, ut diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio orta increbrescat, & sævæ tempestatis instar debacchata, sanctissimæ Synodi vestræ consultationem, exactioremque veritatis indagationem forte obturbet: &c. Denique, ut de aliis sileamus, Marcianum quoque Imperatorem Chalcedonensi adfuisse Concilio ad ordinem dumtaxat pacemque tuendam, ex ejusdem Concilii Actionibus manifeste colligitur. At de his omnibus infra, ac præsertim in hujusce libri calce, prolixius differemus.

Quæ hucusque produximus, evidenter ostendunt, nullius omnino Concilii convocationem ad secularem pertinere potestatem, quæ ex sese non respicit spirituale regimen animarum, ad quod Conciliorum convocatio directe refertur. Non enim ob aliud congregantur Concilia, quam ut tradantur fidei vel morum regulæ, aut quædam disciplinæ capita præscribantur; quod munus Ecclesiæ Pastorum dumtaxat, sive Episcoporum est proprium. Hinc bene apud Athanasium in epistola ad Solitarios Osius Imperatori Constantio ita scripsit: *Ne te misceas Ecclesiasticis negotiis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium occultis conatibus invadit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias:* Date (*scriptum est*) quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei, Deo.

CAPUT II.

Quinam in Conciliis definiendi jure fruantur.

MUltiplex hominum genus multiplici de causa ad Concilia convocari, & adesse notissimum est. Modo itaque quærimus, quinam illi sint, qui ut judices intersint, habeantque jus ferendi suffragium decisivum. Hac in re Lutherus, aliique recentiores Hæretici turpiter errarunt, jus istud omnibus sacræ Scripturæ peritis, etiamsi laicis, tribuendo.

Propositio 1. Laici, quantumvis docti, in Conciliis decisivi suffragii jus non habent.

Probatur. Laici non habent jus definiendi, quæ credenda sunt, aut agenda; non enim ad ipsos pertinet fidelem populum pascere, & docere: habere ergo non possunt in Conciliis jus ferendi suffragium decisivum. Unde Apostolus ad Ephes. 4. v. 11. scribit: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*. Non ergo ad omnes indiscriminatim pertinet, ut Pastorum Doctorumque fungantur officio; sed ad solos id spectat Episcopos, quibus ipse etiam Paulus Act. 20. v. 28. ait: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Et Apostolorum Princeps Pe-

Petrus epist. 1. c. 5. v. 1. & 2. *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior: . . . Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

Neque ex novo solum Testamento id constat, verum etiam ex antiquo, ubi persæpe refertur Sacerdotum munus esse fidei doctrinam, sacramque Scripturam laicis tradere, & explicare. Ex plurimis pauca subjungemus. Ezechielis 44. v. 23. legitur: *Sacerdotes, & Levitæ populum meum docebunt, quid sit inter sanctum, & pollutum, & inter mundum, & immundum ostendent eis: & cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt.* Aggæi 2. v. 12. *Interroga Sacerdotes legem.* Malachiæ 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Denique Deut. 17. v. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, . . . venies ad Sacerdotes Levitici generis, . . . sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Non ergo ad laicos, etsi sapientia prudentiaque sint celebres, attinet de fidei morumque controversiis definitivam proferre sententiam.

Et sane in primo Concilio quod Act. 15. contra Judaizantes celebrarunt Apostoli, non laici, sed ipsi Apostoli, ac Presbyteri convenerunt, solique quid factu opus esset, tacentibus laicis, judicarunt. Legitur enim v. 6. & sequentibus: *Conveneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, &c. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes, &c. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, &c.*

 Nul-

Nullum postremo Concilium proferri a Novatoribus potest, in quo laici jus definitivi suffragii se habere monstraverint; imo laudari a nobis Concilia possunt, quibus ne adesse quidem laici potuerunt: *Mittite foras superfluos* (inquiebant Chalcedonensis Concilii Patres Actione 1. de laicis ac Monachis, quos Dioscorus ex Ægypto secum adduxerat) *Concilium Episcoporum est*. Vide etiam quæ ex Sacra Theodosii adduximus in priori capite ad 2. argumentum.

Propositio 2. Solis Episcopis jure divino competit ferre in Conciliis suffragium decisivum: Ecclesiastico autem jure id aliis etiam non Episcopis permissum est.

Probatur prima pars. Soli Episcopi jure divino sunt Pastores & Doctores Ecclesiæ, juxta recensitum paulo superius Apostoli testimonium: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam &c.*

Deinde Episcopi soli sunt proprii Apostolorum successores, & Ecclesiæ quasi Primates ac Capita: in omni autem bene instituta Republica, ad Optimates pertinet eam regere, & ad publica comitia congregari; iidemque censentur totam repræsentare Rempublicam: unde Philosophus Ethic. 9. c. 9. dicebat, Civitatem id maxime esse, quod est in ea principale. Soli ergo Episcopi ea jurisdictione fruuntur, ut in Conciliis de fide & moribus judicent; iidemque si ad generale Concilium congregentur, totam repræsentant Ecclesiam; uti etiam in ultimo præcedentis libri capite notatum est.

Tandem in omnibus fere Conciliis soli subscribunt Episcopi; quod si aliquando ad subscribendum alii admittuntur, addi nonnihil solet

let quo denotetur, illos non decernendo subscripsisse, sed consentiendo decretis. (Lege Bellarminum lib. 1. de Conciliis & Ecclesia c. 15.) Id autem aliunde oriri non potuit, quam ex eo quod solis Episcopis jure divino competat in Conciliis decisivum ferre judicium.

Probatur 2. pars. Cardinales, licet Episcopi non sint, ex consuetudine usu recepta & approbata habent in generali etiam Concilio suffragium definitivum; & quidem merito, tum quia ob amplitudinem dignitatis suæ ex Pontificum concessione præferuntur Episcopis in iis, quæ ab Episcopali consecratione essentialiter non dependent; cujusmodi sunt jurisdictionis actus, qui in Concilio exercentur: tum quia illi in suis titulis Episcopalem habent jurisdictionem, ut constat ex cap. *Iis qui*, de majoritate & obedientia. Religiosorum etiam Ordinum Generales, & Abbates ex consuetudine quæ Ecclesiasticæ legis locum habet, definitivum suffragium ferre possunt; sicuti reipsa tulerunt in Conciliis Basileensi, Florentino, Lateranensi V. & Tridentino.

Objicies 1. contra 1. propos. Oportet ut quæ ad omnes spectant, ab omnibus approbentur, juxta regulam juris c. *Quod omnes*, de regulis juris, in 6. Atqui fidei causa etiam ad laicos spectat, cum non minus isti quam Clerici credere teneantur. Hinc Nicolaus I. in epist. 8. ad Michaelem Imper. uti refertur etiam in canone, *Ubinam*, dist. 96., ait: *Ubinam legistis, Imperatores antecessores vestros in Synodalibus conventibus interfuisse; nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad Cleri-*

cos

cos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos? Ergo & laici in Conciliis decisivi suffragii jure uti possunt, ubi de fide moribusque tractatur.

Resp. fidei causam spectare ad laicos tanquam ad discipulos, ad Clericos autem tanquam ad doctores; quapropter isti approbant decernendo, illi vero parendo. Nam neque singuli milites in bello præcipiunt, licet in illo causa communis agatur. Nicolaus autem dumtaxat affirmat, Imperatores aliquando interesse Conciliis, ut fidei defensores, non ut Pastores & Doctores suffragii jure fruentes. Ut enim Theodosius loquitur in sua Sacra ad Synodum Ephesinam, *nefas est qui, sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.* Et Justinianus etiam Imperator in Authentica Constit. 123. ait: *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento civiles Magistratus cum ea disceptatione, sed religiosissimi Episcopi secundum sacros Canones finem imponunto.*

Instabis. Quidam laici doctiores sunt sanctioresque nonnullis Episcopis: ergo illis non minus quam istis competere potest jus suffragii decisivi; istud enim ex doctrina & sanctitate dependet.

Resp. ut quis decisivum judicium ferat, non satis esse doctrinam, neque necessariam esse sanctitatem, sed requiri Ecclesiasticam jurisdictionem. Ejusmodi namque suffragium ligat fideles ad credendum, aut ad agendum, quod credendum, vel agendum esse præcipitur. Laici vero ejusmodi jurisdictione privantur, cum in Christi Ecclesia sit Hierarchicus Ordo, membrorumque distinctio; qua de re plura scribit Apo-

Apostolus in 1. ad Corinthios c. 12.

At dices. Moyses e laicorum numero erat; & tamen ille docebat populum, religionisque quæstiones suo judicio finiebat. Possunt igitur nunc quoque docti piique laici de fidei morumque controversiis judicare.

Resp. Moysen Sacerdotem fuisse, & quidem summum; ut patet ex Psal. 98. v. 6. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Hinc ille passim sacrificasse legitur in Exodo, maxime quando c. 29. Aaronem Pontificem consecravit. Deinde, uti bene scribit Canus lib. 5. c. 2. date mihi legislatorem alium, ducem & Prophetam a Deo constitutum, tantaque auctoritate donatum, & tunc ego fortasse dicam, ejusmodi virum, etiamsi laicus sit, cum Sacerdotibus consulendum. Sed illud uni Moysi concessum est. Transferri itaque passim in alios non debet. Nam quod proprie in controversiis finiendis Legislator ipse præscripserit, est planum & expeditum in lege. *Si difficile*, ait Deut. 17. v. 8. *& ambiguum apud te judicium esse perspexeris, ... venies ad Sacerdotes Levitici generis, ... sequerisque sententiam eorum*, *&c.* In ambiguis ergo quæstionibus ad Sacerdotes currere populus habet, eorumque parere judicio.

Hic nota, quod plures Theologi probabilius esse defendant, neque a Romano Pontifice posse laicis conferri facultatem dandi suffragium in generali Concilio, licet essent illi doctissimi: id autem non est quidem adeo certum, satis tamen Ecclesiæ traditione confirmari videtur, cum nunquam factum fuisse legatur: cujus ratio est, quia, ordinario saltem jure, ad habendam Ecclesiasticam jurisdictionem non

non censentur idonei; ferre vero suffragium in Concilio non scientiæ solum, sed & jurisdictionis est actus, uti paulo superius adnotavimus.

Objicies 2. speciatim contra 2. propos. In primo Jerosolymitano Concilio, quod aliorum Conciliorum exemplar esse debet & norma, non soli interfuerunt Apostoli, sed & Presbyteri, juxta illud Act. 15. v. 6. *Conveneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*. Ubi Seniorum nomine Presbyteri intelliguntur, ut patet ex v. 2. *Statuerunt*, inquit Lucas, *ut ascenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis, ad Apostolos, & Presbyteros in Jerusalem super hac quæstione*. Iidem vero Presbyteri simul cum Apostolis quæstionem de qua agebatur, expendisse dicuntur v. 7. *Cum autem magna conquisitio fieret*. Eorum quoque nomine scripta fuit Synodalis Epistola, ut constat ex v. 23. *Apostoli, & Seniores fratres bis, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus, ex gentibus salutem*. Non minus postremo Presbyteris quam Apostolis adscribitur definitivum de quæstione judicium, v. 28. *Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria*. Et v. 41. de Paulo dicitur: *Perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum*. Non soli ergo Episcopi Apostolorum successores, sed & Presbyteri, iique præsertim quibus animarum cura concredita est, nempe Parochi, possunt in Conciliis de fidei ac morum quæstionibus definire.

Resp. Seniorum ac Presbyterorum nomine designatos quandoque fuisse Episcopos: nam Petrus & Joannes Apostoli seipsos Seniores appellant;

lant; ille quidem in epist. 1. c. 5. v. 1. inquiens: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior: ... Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Iste vero in epist. 2. v. 1. *Senior Electæ dominæ*; iterumque epist. 3. v. 1. *Senior Gajo carissimo*. Ita quoque Presbyteri nomen Episcopis aliquando tribuitur, uti 1. ad Tim. c. 4. v. 14. *Noli negligere*, ait Paulus, *gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; Episcoporum nempe. Unde Chrysostomus in hunc locum ait: *Non de Presbyteris hic loquitur, sed de Episcopis. Neque enim Presbyteri Episcopum ordinabant.* Ergo nil vetat, quin Seniorum ac Presbyterorum nomine in laudato Actorum textu intelligamus quosdam ex septuaginta duobus Christi Discipulis, aut alios quoscunque fideles, quos Apostoli post Christi mortem ad Episcopatus dignitatem evexerint; jam enim tunc nonnullos ex Discipulis consecratos ab Apostolis Episcopos fuisse non obscure colligitur ex Act. c. 13. v. 1. 2. & 3. Postremo licet Parochi animarum curam gerant, non sine tamen dependentia ab Episcopo, ad quem proprio jure spectat auctoritas regendi Ecclesiam; quare Chalcedonenses Patres Episcoporum dumtaxat Synodum esse dixerunt.

Objicies 3. contra alteram ejusdem propositionis partem. Generales Ordinum Religiosorum Præpositi, & Abbates non in Orbis Ecclesias, sed in subjectas sibi tantum Congregationes jurisdictionem habent: ergo decisivum suffragium in Conciliis ferre non possunt.

Resp. Generales Religionum Præpositos, & Abbates habere in generalibus etiam Conciliis jurisdictionem in universam Ecclesiam, non divina

vino quidem jure, sed Ecclesiastico; sive ex concessione Pontificis, impertientis ejusmodi jurisdictionem, quæ illis ex suo officio, & dignitate non competit. Non enim ita Episcoporum est proprium jus ferendi suffragium in Concilio generali, ut nequeat Pontifex illud aliis communicare, si expedire censuerit; uti tenet communis opinio: & ratio est, quia actus jurisdictionis, illi præcipue, qui ad externum Ecclesiæ regimen ordinantur, communicari a Summo Pontifice possunt quibusvis Ecclesiasticis personis, quæ ad talem habendam exercendamque jurisdictionem inveniuntur idoneæ: ad id autem idonei sunt etiam non Episcopi; actus enim, qui in Concilio exercentur, per se, ut ajunt, & intrinsecus ab Episcopali consecratione non pendent: Ergo licet ad Episcopos ordinario jure pertineat, ut ad Generale Concilium convocentur, ferantque suffragium, cum Episcopalis dignitas jure divino fuerit instituta; potest tamen hoc etiam ad Abbates, Generalesque Religionum ex sola Pontificis concessione, & extraordinario jure spectare.

De annularibus tandem Episcopis affirmamus, vocari eos ad Concilium proculdubio posse, & definitivum habere suffragium; id vero minime oportere, cum Episcopali jurisdictione priventur. Vide quod cum Melchiore Cano notavimus in Theologiæ Præludio c. 2. §. 4.



CA-

CAPUT III.

Ad quem spectet generalia Concilia confirmare.

PRopositio. Ad Romanum Pontificem pertinet confirmare, quæ in generali Concilio decernuntur. Est contra Lutherum, Calvinum, aliosque recentiores Hæreticos.

Probatur ex dictis in capite primo. Si enim Romanus Pontifex est supremus Ecclesiæ Pastor, & Caput, ad ipsum profecto spectat generalium Conciliorum decreta firmare. Nam sicut in temporali regno sine Regis placito nulla lex obligat, ita dum de Ecclesiæ regimine loquimur, simili modo dicendum est. Unde Doctor Angel. in Opusculo 20. lib. 3. de Reg. Eccl. c. 19. scribit: *Supposito ipsum*, Christi nempe Vicarium, *primum locum tenere in principatu, oportet eum dici Caput, a quo est omnis motus & sensus in Corpore mystico: per quod habemus, quod omnis influentia regiminis ab ipso dependet.*

Vere ergo recteque Gelasius I. epist. 13. ad Episcopos Dardaniæ ait: „ Confidimus quod „ nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitutum, quod univer„ salis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam „ magis exequi Sedem præ ceteris oportere, „ quam primam, quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continua-

„ ta

„ ta moderatione custodit ; pro suo scilicet „ principatu , quem B. Petrus Apostolus Do„ mini voce perceptum , Ecclesia nihilominus „ subsequente, & tenuit semper & retinet.

Hoc idem ante docuerant Innocentius I. & Leo I. Et ille quidem ad Concilii Milevitani Patres epist. inter Augustinianas 182. ait: „ Quo„ ties fidei ratio ventilatur , arbitror omnes „ Fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad „ Petrum, id est, sui nominis & honoris au„ ctorem referre debere, velut nunc retulit ve„ stra dilectio, quod per totum Mundum pos„ sit omnibus Ecclesiis in commune prodesse.

Leo etiam in epist. 59. ad Marcianum Augustum inquit : „ Cum vestro præcipue opere „ sit effectum , ut per Synodale Concilium , „ damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes „ vires sacrilegus error amitteret ; ad ejusdem „ devotionis pertinet palmam, si malum quod „ in suis ducibus est oppressum, etiam in qui„ buscumque reliquiis deleatur. Quod facilius „ clementia vestra arbitratur implendum, si per „ universas Ecclesias definitiones sanctæ Syno„ di Chalcedonensis Apostolicæ Sedi placuisse „ doceantur." Idemque sanctissimus Pontifex epist. 60. ad Pulcheriam Augustam ita scribit: „ Quod vero piissimus Imperator ad omnes „ Episcopos, qui Chalcedonensi Synodo inter„ fuere, voluit me scripta dirigere, quibus ea „ quæ illic de fidei sunt regula definita, firmarem, „ libenter implevi; ne fallax cujusquam simulatio „ sententiam meam vellet haberi incertam.

Nullum præterea inveniri potest generale Concilium, absente Romano Pontifice celebratum, quod approbari ab eo non expostulave-

rit,

rit, uti constat ex supplicibus Patrum epistolis inter eorundem Conciliorum Acta relatis.

Altera deinde causa reddi non potest, cur Concilium Constantinopolitanum I. centum quinquaginta Patrum tanquam unum ex Evangeliis habeatur; alia vero majoris numeri, uti Constantinopolitanum pseudoseptimum tercentorum triginta, octo sub Constantino Copronymo, pro nihilo putentur; quam quod Conciliorum robur est in Successore Principis Apostolorum, pro quo rogavit Christus, ne deficeret fides ejus, quo fratres suos posset in fide firmare. Lege Canum lib.5. cap. ult. ad 5. argum. & Binium in notis ad VI. Synodum. Ob id postremo contingit, quod interdum Provinciale etiam Concilium infallibilitatem obtineat, ut mox infra dicemus.

Objicies 1. Episcopi in Concilio sedent non ut simplices consiliarii, sed ut veri propriique Judices, ac fidei decretis tali charactere insigniti subscribunt: non igitur ad Romanum solum Pontificem spectat Concilii decreta firmare. Non enim ille solus, sed reliqui etiam Episcopi omnes ligandi solvendique potestatem a Christo Domino acceperunt; quapropter in causa fidei omnes præceptum imponunt, ac omnes simul sunt Synodalis sententiæ auctores. Unde non solus Petrus, sed omnes Apostoli in Jerosolymitano Concilio decretum ediderunt, ajentes, Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: &c.*

Resp. omnes proculdubio Episcopos tanquam Judices adesse Concilio, & in eo definire, definitisque subscribere. Nemo tamen ex eis su-

premam in Concilio potestatem habet, nisi Romanus Pontifex, cui tanquam Vicario suo Dominus noster Jesus Christus plenitudinem contulit potestatis, ac illum supremum Principem, Caputque constituit, ut in mystico Ecclesiæ corpore omnis influentia regiminis ab ipso penderet. Quare ad Romanum solummodo Pontificem spectat approbare Concilia suo suffragio, per quod aliorum Episcoporum definitiones penitus absolvuntur; quodque si desit, definitiones illæ nil roboris quoad ligandi vim habent. *Ego*, inquit Petro Christus Lucæ 22. v. 32. *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sed hac de re infra prolixius.

Objicies 2. Christiani Principes, consentiente ac etiam deprecante Ecclesia, Concilia confirmarunt. Eusebius enim lib. 3. de vita Constantini c. 20. refert epistolam, qua Imperator ille Nicænam Synodum approbavit, recipiendamque præcepit: *Plane*, ait Constantinus, *divinum mandatum libenter suscipite: quidquid enim in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem.*

Rursus, secundæ Œcumenicæ Synodi Patres rerum a se gestarum confirmationem ab Imperatore Theodosio postularunt, ita illum in epistola Synodica alloquentes: *Necessario ea quæ acta sunt in sancto Concilio, ad tuam referimus pietatem... Rogamus tuam clementiam, ut per literas quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilii decretum: ut, sicuti literis, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosecutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes.*

Item Ephesini Patres alterum Theodosium

ad confirmandum Œcumenici Concilii decretum hisce verbis invitant: *Jubeatis, ut ea quæ constituta sunt ab Œcumenica & sancta Synodo ad pietatis confirmationem contra Nestorium & ejus impium dogma, suum robur obtineant, assensu vestræ pietatis stabilita.*

Denique Marcianus Imperator tribus Edictis decreta Chalcedonensis Concilii confirmavit, pœnas etiam in refractarios Clericos & laicos adjungendo; quod & alii non raro Principes præstiterunt. Non ergo ad Romanum dumtaxat Pontificem pertinet auctoritas Œcumenicum Concilium confirmandi.

Resp. Christianos Principes subscripsisse quandoque Conciliis, eademque confirmasse, non ut Ecclesiasticarum rerum Judices, sed ut eorum quæ a Concilii Patribus sancita sunt, testes, præcones, vindices, executores. Quare Facundus Hermianensis in Africa Episcopus, qui sub Justiniano floruit, ægre ferens ab eo Imperatore trium Capitulorum causam discuti, multis verbis Principum audaciam exagitat, qui canonicas quæstiones ad suum judicium revocare tentant, eosque ad exemplum Marciani provocat, de quo hæc sunt ipsius verba lib. 12. c. 3. „ Sciens ille modestissimus Princeps, Oziæ Regi non impune cessisse, quia „ sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi ordinis Sacerdoti; multo magis impune sibi cedere non „ posse cognovit, vel quæ jam de fide Christiana rite fuerant constituta discutere, quod „ nullatenus licet, vel novos constituere canones, quod non nisi multis & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob

„ hoc itaque vir temperans, & suo contentus „ officio, Ecclesiasticorum canonum executor es„ se voluit, non conditor, non exactor. " Vide quæ paulo superius relata a nobis sunt ex Leone M. in epistolis ad Marcianum, & ad Pulcheriam, quæque in c. 1. ad 2. argumentum hic quoque notanda respondimus.

Objiciunt insuper, Ecclesiam frequenter exhibuisse Clericis ac Laicis dogmatica quædam *formularia*, quibus illi subscriberent: id autem factum est, non quod Ecclesiæ definitiones a Laicis Clericisque auctoritatem ac firmitatem obtineant, sed quod fideles omnes iisdem definitionibus obsequi teneantur.

C A P U T IV.

De Conciliorum, præsertim generalium, auctoritate.

JAm a primo hujusce libri capite dictum est, multiplicis generis esse Concilia; Diœcesana nimirum, Provincialia. Nationalia, & Generalia: de horum itaque omnium auctoritate nunc breviter tractandum est.

Lutherus in suo de Conciliis libro affirmare non dubitavit, nullum prorsus esse Concilium, quantumvis Generale, & quantacunque auctoritate probatum, quod a Dei verbo recedere, & in fide ac moribus errare non possit. Luthero subscripsit Calvinus lib. 4. c. 9. ss. 8. In hanc

hanc vero sententiam idcirco illi venerunt, quod pleraque ex dogmatibus quæ propugnabant, quæque falsæ suæ reformationis sunt fundamenta, a Generalibus Conciliis damnata jam essent, iterumque brevi damnanda forent a Concilio Tridentino. Ut igitur hac de re perspicue differamus, sit

Propositio 1. Particularia quæcunque Concilia certum pro fide & moribus argumentum facere nequeunt, nisi Romani Pontificis approbatione firmentur.

Probatur. Ea namque Concilia universam non repræsentant Ecclesiam, neque Ecclesiæ Caput includunt: nihil ergo habent, per quod infallibilitatis dono fruantur: errare itaque possunt; imo reipsa interdum errarunt: proindeque si in seipsis solummodo considerentur, certum Theologo argumentum suppeditare non possunt. Unde quinta Synodus Romana sub Symmacho dicit: *Concilia Sacerdotum Ecclesiasticis legibus quotannis decreta per provincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt:* ita refertur etiam dist. 17. c. 6.

Si vero Romani Pontificis judicio confirmentur, valida erunt, & errare omnino non poterunt. Ut enim inferius ostendemus, errare nequit Romanus Pontifex, dum de fide moribusque decernit: ergo neque potest errare Concilium ab illo approbatum, etiamsi Diœcesanum sit, vel a paucissimis celebretur Episcopis.

Tandem adjungimus, Provincialia Concilia non leve pro fide, & moribus argumentum præbere Theologo, licet eis Romani Pontificis desit auctoritas. Illa namque Concilia in seipsis dumtaxat inspecta, quamvis quia falli possint, certa

careant auctoritate, tamen perraro falluntur: ex innumeris enim Conciliis, quæ a secundo seculo ad hæc usque tempora celebrata fuerunt, iis exceptis, quæ rebaptizationem sub Cypriano & Firmiliano probarunt, vix aliqua inveniuntur, quæ a recta definiendi ratione viaque deflexerint. Atqui ex Conciliis quæ rectam ut plurimum fidem tenent, non leve promitur argumentum. Atque certe, inquit Canus lib. 5. c. 4. concl. 6. nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ vel silentio, vel etiam implicito consensu commendantur, si ad communem ejus notitiam pervenire illa contigerit. Non enim aliquo pacto fit vero simile, ut Provincialis Concilii toto Orbe vulgati hæresim Ecclesia dissimulaverit; nam *error, cui non resistitur, approbatur*: dist. 83. c. 3.

Diœcesana quoque Concilia, etsi non certum, probabile tamen suppeditant argumentum. Id Theologi cum Melchiore Cano in citato loco conclus. 8. passim ostendunt ex cap. *Ad abolendam, de hæreticis*, ubi a Lucio III. perpetui anathematis vinculo innodantur, *quos vel Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per Diœceses suas cum consilio Clericorum, vel Clerici ipsi Sede vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum Episcoporum, hæreticos judicaverint*. Ex hujusmodi ergo Conciliorum judiciis non leve in fidei causa argumentum sumi potest, quæ Lucius tanti fecit, ut quos illa hæreticos definierint, pro excommunicatis habendos esse decreverit.

Laudatam Lucii Decretalem nonnulli de manifestis dumtaxat Hæreticis interpretantur: alioqui jus negant Episcopali, & Provinciali quoque Concilio de hæresi judicandi. Verum cum

in

in citato textu legatur, *Quos vel Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi, &c.* judicium autem Romanæ Ecclesiæ non ad manifestos solum, sed ad quoscunque Hæreticos extendatur; profecto consequitur, juxta hanc Lucii Decretalem Provincialia & Diœcesana Concilia de illis etiam Hæreticis vere ac proprie judicare, quorum hæresis non est omnibus manifesta.

Quod verò nunc diximus, multo magis valet, si de Conciliis Nationalibus loqui velimus; hæc enim possunt aut irrita facere, aut confirmare Provincialia, & Diœcesana Concilia.

Propositio 2. Generale Concilium a Romano Pontifice confirmatum infallibilem habet veritatem quoad fidei morumque decreta.

Hic ex dictis in 1. & 3. capite supponimus ad Christi Vicarium pertinere non solum ut generalia Concilia congreget, verum etiam ut illa confirmet; quæ quidem confirmatio si defuerit, non erit infallibilis eorundem Conciliorum auctoritas. Errare enim in fide possunt, ut constat exemplo Concilii Ephesini II. ubi repugnantibus Leonis Papæ I. Legatis, Episcopi ferme omnes Dioscori hæresi subscripsere. Unde Eugenius IV. in Decreto super unione Jacobinorum, postea quam Synodum illam reprobavit, adjunxit: *Suscipit*, sacrosancta Romana Ecclesia, *omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas, ac celebratas, & confirmatas*. Non dixit *congregatas* solum, sed *celebratas*, & *confirmatas*. Quamvis igitur generale Concilium edicente Pontifice cogeretur, si tamen illius decreta ab isto approbata non essent, certum pro fide moribusque argumentum præbere non posset.

Probatur itaque thesis. Si generale Concilium Romani Pontificis auctoritate firmatum errori esset obnoxium, nulla profecto certa superesset via, qua fidei controversiæ finiri possent, possentque catholica dogmata explorari. Atqui Divinæ erga Ecclesiam suam dilectioni ac providentiæ id aperte repugnat, ut ipsi fatentur Hæretici. Probatur major. Adversarii judicium solius Summi Pontificis execrantur; Œcumenici quoque Concilii judicium fallibile infirmumque esse conclamant: nullum ergo vivum agnoscunt Judicem, a cujus tribunali discedere, cujusque sententiæ refragari non liceat.

Perperam vero reponunt, judicem in Concilio esse Scripturam. Hæc enim neque sentit, neque intelligit, neque ipsa eloqui judicium valet; ideoque vivo eget interprete, qui verum sensum ejus exponat: nam in humanis quoque judiciis vivi Judices in Republica constituti sunt, quos recusare, & ad mutas literas confugere omnino non licet. Quis igitur vivus erit Scripturæ Judex, de cujus sententia dubitari non possit? Num fortasse Lutherus, vel Calvinus, vel alii nebulonibus hisce consimiles? At unde noverimus illorum certum esse judicium, si judicium Episcoporum omnium in Concilio congregatorum fallibile dicitur & incertum? Vult deinde Lutherus ea verba, *Hoc est corpus meum*, proprie accipienda; Zuinglius autem, & Calvinus figurate: utriusnam judicio stabimus? Tandem Arius, Nestorius, & quotquot retroactis Seculis damnati fuerunt Hæretici, ut sententiam Conciliorum effugerent, idem cum Lutheranis asserere potuissent; recurrendum scilicet esse ad Scripturam, & standum interpretationi ab ipsis in-

inventæ; atque ita ſeipſos in propria cauſa ſtatuiſſent judices, Œcumenicorum etiam Conciliorum auctoritate ſententiaque neglecta: hoc autem poſito, quantum detrimenti Chriſtiana Reſpublica pateretur nemo non videt.

Vivus itaque Judex in Eccleſia admittendus eſt, atque is erit Summus Pontifex cum Concilio Epiſcoporum, quorum fide rejecta, Scripturæ quoque bonam partem amittemus. Nam ſi quis ſacros Libros de quibus dubitatum olim fuit, a Catalogo cum Heterodoxis expunxerit; hæc certe quæſtio per ipſam Scripturam definiri non poterit. Vivi ergo judices conſtituantur oportet. Quod ſi Paſtorum detrectato judicio ad aliud tribunal provocare volueris, nihil aliud profecto facies, quam eorum declinare ſententiam, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quoſque dedit Chriſtus in ædificationem Eccleſiæ, ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris; atque ita humanos judices ſubſtitues pro divinis. Quoſcunque enim judices præter Eccleſiæ Paſtores elegeris, humana illi incertaque auctoritate pollebunt.

Rurſum, ut in præcedente libro c. 11. diximus, Epiſcopi toto Orbe diſperſi in rebus ad fidem moreſque ſpectantibus errare non poſſunt; ergo neque iidem poſſunt errare, ſi in Concilio congregentur, tum quia doctrina conſiliiſque mutuum ſibi poſſunt afferre præſidium, tum quia in medio eorum ſe Chriſtus futurum eſſe ſpopondit, inquiens Matth. 18. v. 20. *Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

Præterea, cum de legalium obſervantia quæſtio

ſtio exorta Antiochiæ fuiſſet, ad eam finiendam non aliam Paulus aptiorem viam invenit, quam ſi ad Jeroſolymitanum Concilium referretur. Eandem igitur viam ſimili in caſu ingredi nos ac tenere debemus; eandemque modeſtiam imitari, quæ in Judæis, & in Gentibus Act. c. 15. a Luca deſcribitur. Poterant enim Gentes cum Concilio illo expoſtulare, quod libertatem ſibi a Chriſto datam eriperent, quodque ceremonias nonnullas humeris diſcipulorum tanquam neceſſarias imponerent, quæ minus neceſſariæ eſſe videbantur, cum Chriſti fides ſufficeret ad ſalutem. Poterant quoque Judæi illud opponere Gen. 17. v. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, &c.* Sed neque illi, neque iſti repugnare ſunt auſi, auditoque lati decreti exordio, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, Concilii ſententiam velut ipſiſſimam Spiritus Sancti ſententiam venerantes, abſque ulla cunctatione paruerunt, formamque futuris ſervandam ſeculis exhibuerunt, ut Synodis Petri, ejuſque Succeſſorum auctoritate firmatis certa fides ab omnibus haberetur.

Neque reponas, Apoſtolos, utpote ſacros Scriptores, divinitus inſpiratos fuiſſe, adeoque vere dixiſſe, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*; quod Epiſcopi in poſterioribus Conciliis congregati, cum illa Sancti Spiritus ſpeciali aſſiſtentia careant, affirmare non poſſunt:

Nam quamvis Apoſtoli ſeorſim ſinguli divinitus fuerint inſpirati, potuerintque controverſias definire; ne tamen medium ordinarium, & ab ipſo Chriſto demonſtratum negligere viderentur, non ſine Concilio controverſiam de Legalibus terminare voluerunt. Atque inde fuit, ut non

non antea suffragium tulerint, quam inter se colloquerentur, adversam partem audirent, Prophetias expenderent, Scripturasque conferrent. Neque alio consilio Deus ita voluit primam in Religionis negotio quæstionem ab Apostolis definiri, quam ut sequentes doceret Episcopos similibus in causis similiter faciendi, eosque de speciali Sancti Spiritus assistentia redderet certiores.

Merito itaque Cœlestinus I. in epist. ad Patres Ephesini Concilii ait: *Non potest Veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est; Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis eum nunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba Sanctorum?*

Concinit & Leo I. in epist. 73. ad Leonem Augustum rogans, ne retractari permittat quæ in Chalcedonensi Concilio de Christi Incarnatione fuerant definita: *Nulla*, inquit S. Pontifex, *permittatis retractatione pulsari; quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato, tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei regulæ, quæ ex divina inspiratione prolata est, addi possit aut minui.*

Vigilius quoque Summus Pontifex ad Episcopos Galliæ ita scribit: *Necesse est, quoties in nomine Domini ejus famuli ad tractanda quæ sunt ipsi placita, colliguntur, Sancti Spiritus non deesse præsentiam. Ita enim Christi Dei Domini & Salvatoris nostri mandata nos instruunt, quibus ait Matth.18. Ubi fuerint duo aut tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.*

Magnus item Gregorius lib. 1. epist. 25. alias 24. ad Joannem CP. Episcopum ait: *Sicut san-*

Eti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, . . . & tota devotione complector, ac integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Ac recensito postmodum quinto Concilio subdit: *Quia dum universali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit*.

Postremo Martinus V. in Bulla de erroribus Joannis Wicleff, & Joannis Hus in Synodo Constantiensi damnatis jussit, ut qui de illorum erroribus suspectus est, aut in eorundem assertione deprehenditur, interrogetur: *Utrum credat, teneat, & asserat quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet*. Generale ergo Concilium auctoritatem habet universalis Ecclesiæ; ob eam scilicet rationem, qua in priori libro c.11. diximus, Ecclesiæ auctoritatem in Episcopis potissimum residere; proindeque qui generalis Concilii auctoritatem de medio tollit, eadem opera totius Ecclesiæ auctoritatem evertit. Alia demum ex traditione locupletissima testimonia afferre necesse nequaquam habemus, cum in hujusce dogmatis comprobationem universa conspiret Antiquitas, quæ proprio etiam sanguine infallibilem Œcumenicorum Conciliorum veritatem asseruit.

Reliquum vero est, ut de ea quæstione dicamus, an Concilium per Legatos Romani Pon-

Pontificis celebratum firmam certamque habeat auctoritatem, priusquam ab illo confirmationem obtineat?

Ut breviter respondeamus, advertimus cum Melchiore Cano lib. 5. c. 5. quæst. 1. Romani Pontificis Legatos non solere ad Concilium accedere, ubi quæstio de fide tractanda est, nisi instructos prius & monitos de ejusdem Pontificis sententia circa ea quæ sunt in Concilio finienda. Solere, inquam, non item oportere. Nam qui ad Tridentinam Synodum perrexere Legati, non potuerunt commode de quæstionibus differendis ante instrui, quoniam erant propemodum infinitæ. Sed cetera fere Concilia ad unam, aut alteram fidei causam expendendam coacta fuerunt; ideoque Legati ad ea accesserunt de Apostolicæ Sedis mente prius instructi. Ita factum præsertim legimus in quarto, & sexto, septimoque Concilio.

Dicimus itaque 1. quod quando Concilii Patres decernunt consentiendo Legatis, qui Summi Pontificis instructionem habent, eandemque sequuntur, tunc Concilii auctoritas in dubium vocari non potest; statimque, nulla expectata confirmatione, definitio ejus infallibilem facit fidem. Nam dum Concilium consentit cum Pontificis sententia, hujus nomine a Legatis exposita, tunc ejusmodi sententia esse incipit definitiva, & ultima, non solius Concilii, sed Summi quoque Pontificis, loquentis in Concilio per Legatos, & anticipatam quodammodo confirmationem eidem sententiæ tribuentis: quare non minorem habet auctoritatem, quam generale Concilium reipsa a Pontifice confirmatum. Unde Leo M. epist. 63. ad Theodore-

tum

tum ait: *Quæ Dominus nostro prius ministerio definierat, universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu; ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium Sede formatum, totius Christiani Orbis judicium recepisset; ut in hoc quoque Capiti membra concordent.*

℟ Quod si Chalcedonense Concilium in epistola ad eundem S. Leonem confirmationem suæ definitionis expostulet, exprimit, se illam petere pro iis, quæ præter Pontificis sententiam fuerant constituta. Contra vero S. Leo rescribens Concilio, indicat, opus non fuisse sua confirmatione, in fidei rebus a Concilio definitis, nisi quia nonnulli dubitabant, an Concilii decretum cum ejus consensu factum revera fuisset. Ob quam etiam causam alii Pontifices alia Concilia, & decreta per Legatos edita ex sui sententia confirmarunt; non quia scilicet errare potuissent, suaque confirmatione ad habendum robur egerent; sed ut certius unusquisque perciperet, quæ Legati præstiterant, ea vere ex mandato Pontificis præstitisse. Recole quæ superiori in capite retulimus ex S. Leonis epistola ad Pulcheriam.

Dicimus II. quod si Patres Concilii definiant, consentientibus Legatis, sed contra Pontificis instructionem agentibus, tunc errare Concilium potest; sicuti reipsa erravit Constantinopolitanum Concilium sedente Nicolao I. coactum anno 861. Non enim legitima dici Concilia possunt, quæ cum suo Capite pugnant, consentiuntque Legatis, qui dum contra instructionem agunt, ex delegata potestate agere non censentur; atque adeo non est, cur eo modo acta credantur Pontificis auctoritate esse probata. Dum enim ille Legatos mittit, non eis conferre auctoritatem

ctoritatem intendit, nisi secundum regulas quas præscribit. Unde Agatho in epist. ad Imperatorem, quæ lecta fuit in VI. Synodo actione IV. inquit: *Licentiam eis*, nempe Legatis, *sive auctoritatem dedimus*, . . . *simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat injunctum est; ut nihil profecto præsumant augere, minuere, vel mutare; sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis, ut a prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare*.

Dicimus III. quod si Patres definiant, consentiantque Legati, qui tamen instructionem de Pontificis mente minime habuerunt, ejusmodi definitio non est omnino certæ, & indubiæ auctoritatis, quousque per Summum Pontificem approbata non fuerit. Non enim iste in Legatos transfert, neque transferre ullatenus potest fidei firmitatem, quæ sibi soli competit, eo quod Christi Vicarius est, & universalis Ecclesiæ Pastor: nam soli Petro dictum a Christo fuit, Lucæ 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Sicut itaque delegare alterum nequit, ut sit Christi Vicarius, & Petri in fide ac sede Successor, Pastorque universalis Ecclesiæ; ita neque, ut in fidei decretis habeat firmitatem. In iis insuper, quæ non ad fidem, sed ad Ecclesiasticam gubernationem pertinent, non sunt omnino valida ejusmodi Conciliorum decreta, nisi Romani Pontificis consensione probentur; uti constat etiam ex epistolis Leonis ad Anatolium, ad Marcianum, ad Pulcheriam, & ad Chalcedonense Concilium.

At contra dices. Generale Concilium celebratum per Papæ Legatos universalem Ecclesiam

fiam repræfentat, ut ftatuit Martinus V. in fine Concilii Conftantienfis: ergo errare in fide non poteft, ficut ne univerfalis quidem Ecclefia.

Refp. Concilium cui Legati præfunt non habentes Romani Epifcopi inftructionem, imperfecte dumtaxat repræfentare univerfalem Ecclefiam, non vero perfecte: repræfentat enim corpus, fed nondum perfectum, nempe cum Capite, cui oportet ut membra concordent. Eo namque in cafu Legati a Pontifice mitti dicuntur folum ad referendum, non ad decernendum ultimo abfolutoque judicio.

Deinde ex argumento folum infertur, quod ficuti tota fimul Ecclefia, hoc eft, Fideles omnes errare non poffunt, ita neque errare poffit totum Concilium cum Legatis. Quemadmodum autem non repugnat, ut major Ecclefiæ pars erret; ita nihil obftat, cur non erret major pars Concilii, eique erranti Legati fubfcribant. Atque id eft, quod nos in præfentia dicimus, judicium majoris partis, etiamfi Legati fequantur, non effe certum; certum vero effe, fi a Summo Pontifice confirmetur: ad illum enim, fpectat Patrum lites, diffenfionefque componere.

Urgebis autem: Generale Concilium, cui Papæ legati præfident, in Spiritu Sancto congregatum eft: habet itaque eundem Spiritum affiftentem, cujus præfentia freti poffunt utique Patres, cum aliquid definiunt, affirmare cum Apoftolis Act. 15. v. 28. *Vifum eft Spiritui Sancto, & nobis*. Idem quoque Concilium intorquet anathema in contrarium fentientes, etiam ante quam a Papa probetur.

Refp. Concilium generale, cui præfunt Legati in Spiritu Sancto congregatum effe, quoniam

niam auctore Christi Vicario, eodemque legitimo Ecclesiæ Principe coactum est. Ut tamen constet, Spiritus Sancti esse sententiam illam, quam major Concilii pars, consentientibus Papæ Legatis, amplectitur, oportet, ut hujus confirmatio habeatur, ac judicium corporis a judicio Capitis, cui infallibilem Spiritus Sancti assistentiam Christus promisit, comprobationem accipiat. Sicut enim supra diximus, judicium quidem omnium, non quorundam dumtaxat, Episcoporum est ipsum Spiritus Sancti judicium: quare ante Romani Pontificis confirmationem certum non est Spiritum Sanctum adstitisse decretis, quæ major Concilii pars tulit, etiamsi Legati consenserint.

Dum vero ejusmodi Concilium anathema infert oppositum asserentibus, intelligendum est illud vim habiturum, si fuerit a Pontifice approbatum: sicuti quando Judex a quo appellari ad superiorum alium Judicem potest, mortis sententiam in aliquem dicit, intelligitur hunc morte plectendum, nisi superior Judex sententiam retractarit.

Dicimus ultimo, quod si quid decernant Patres, repugnantibus Legatis, qui instructionem a Pontifice habuerunt, infirmum erit, irritumque decretum. Sicut enim vana est Concilii congregatio reclamante vero certoque Pontifice; ita est imbecilla doctrina, cui vel præsens Pontifex per se, vel absens per Legatos suos opponitur: idque eodem prorsus argumento paulo superius indicato probatur: nam neque Concilium, neque Concilii decreta sunt rata, ubi deest auctoritas Romani Pontificis. *Ego rogavi pro te, &c.* ut supra. Sed audia-

mus modo quæ Lutheri, Calvinique sectatores objectare potissimum solent, ut generalium Conciliorum, eorum etiam quæ Papa probavit, elevent auctoritatem.

CAPUT V.

Proponit refellitque Hæreticorum argumenta, quibus Œcumenicorum Conciliorum auctoritatem oppugnant.

PLurimis quidem argumentis conati sunt Hæretici Œcumenicorum Conciliorum inerrantiam elevare; nos autem difficiliora solummodo hic proponere, breviterque refutare statuimus. Esto igitur

I. argumentum. Conciliorum auctoritas nullo satis firmo Scripturæ testimonio demonstratur. Licet enim adferre illud Catholici soleant ex Matth. 18. v. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* nihil tamen ad rem concludi ex eo testimonio potest, alioquin consequens esset, non generalium solum, sed & provincialium Conciliorum certa esse judicia. Deinde hoc loco promittit Christus illis se tantum Conciliis adfuturum, quæ in ipsius nomine convocantur: unde vero constabit Episcopos in Christi nomine congregari, cum fieri possit, ut illi adversus Christum conspirent, fidem deferant, Scripturasque depravent?

Resp.

Resp. Conciliorum auctoritatem iisdem Scripturarum textibus evidenter ostendi, quibus apparet promisisse Christum se cum Ecclesia sua usque ad consummationem seculi futurum, eidemque daturum Spiritum veritatis qui doceat omnem veritatem, & cum ipsa maneat in æternum. Vide quæ de inerrantia Ecclesiæ, ejusque Pastorum dicta sunt in prioris libri cap. 11. Eadem quoque auctoritas ex adductis Christi verbis Matth. 18. colligitur, instituta argumentatione a minori ad majus, uti instituit Cœlestinus I. in priori capite laudatus. Si enim Christus quibuscunque, etiamsi pauci fuerint, in suo nomine congregatis peculiariter se adfuturum esse promisit pro eorum capacitate, & causæ necessitate; multo magis generali & Œcumenico Concilio aderit, in quo de totius Ecclesiæ fide tractatur.

Ex eodem denique textu recte deducitur provincialium etiam Conciliorum inerrantia, si certum fuerit ea in Christi nomine congregata fuisse; si nempe constiterit illa Romani Pontificis auctoritate fuisse probata: nam si in seipsis solummodo considerentur, nullum nobis firmum exhibent argumentum, quo nosse possimus ea in Christi nomine congregata fuisse. Œcumenicum vero Concilium in eodem nomine semper ac certissime cogitur, cum universalem repræsentet Ecclesiam, quam se nunquam deserturum Christus sæpe & aperte promisit; cumque Romani Pontificis, qui ejusdem Christi vices in terris gerit, auctoritate firmetur. Quare Concilii Patres divino præsidio freti, neque conspirare in Christum possunt, neque a fidei veritate deficere, neque postremo legitimum Scriptura-

rum canonem sensumque corrumpere. Relege quæ in citato cap. 11. præcedentis libri inter probandum adduximus.

Instabis. Singuli Episcopi, etiam in generale Concilium congregati, in suo privato suffragio possunt errare; sunt enim homines mendacio obnoxii, & nihil humani a se alienum habent: ergo errare possunt & omnes; nam ex suffragiis errori obnoxiis certo veritas cognosci non potest.

Resp. Episcopos, in Concilium generale coactos, homines quidem esse; sed præsto est eis Spiritus Sanctus, qui, juxta Christi promissum, nunquam permittet, ut omnes errori consentiant. Neque hic valet illatio a distributivo ad collectivum, quia infallibilitatis promissio non singulis seorsim Episcopis facta est, sed eorum collectioni, cujus sententiam Romanus Pontifex approbaverit. Aliud itaque est de humanæ naturæ imbecillitate disserere, aliud de divina gratia, & speciali providentia, qua homines, ceteroquin fallibiles, in veritate fidei continentur. Ita tota populi Christiani societas, Pastoresque ejus toto Orbe dispersi, profecto sunt homines; quia tamen adest eis Spiritus veritatis, falsum quid credere, vel docere non possunt; etsi eorum singuli, pluresque falli possint, & fallere.

At urgebis. Etsi dare quis velit, Christum suam suique Spiritus assistentiam Episcoporum cœtui spopondisse; nulla tamen ratione probari potest sponsionem illam absolutam esse, & non potius conditionatam; si nempe id non suis peccatis Episcopi egerint, ut veritate destitui mereantur. Nam olim quoque Deus cum tribu

tribu Levi pactum iniit retinendæ veritatis, quod tamen per posterorum culpas irritum factum est; ut legitur Malachiæ c. 2. v. 5. & seq. Unde Hieronymus super ea Ezechielis verba c. 7. v. 26. *Quærent visionem de Propheta, & lex peribit a Sacerdote, & consilium a Senioribus*, inquit: *Hæc autem non solum eo tempore, quando Babylonius contra Jerusalem veniebat exercitus, a Prophetis, Sacerdotibus, & Senioribus quærebantur; sed quotidie in Ecclesiis requiruntur. Quæ si visionem, legem, consiliumque perdiderint, frustra Prophetas, & Sacerdotes, & Seniores habere se jactant*. Idemque S. Doctor in illud Danielis 9. v. 4. *Obsecro, Domine, . . . custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua*, sic ait: *Non ergo quod pollicetur Dominus, statim futurum est; sed in eos sua promissa complet, qui custodiunt mandata illius*. Non ergo ad solam Christi pollicitationem attendendum est, sed ad Sacerdotum mores, an scilicet eorum vita cum dignitate concordet.

Resp. infallibilitatem Episcoporum cœtui absolute fuisse promissam ex eo constare, quod Christi Ecclesia nunquam defectura prædicitur in Scripturis, & habitura Pastores ac Doctores, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei. Quapropter Ezechielis 37. v. 26. prædicit Deus sempiternum perpetuumque pactum se cum Ecclesia initurum, inquiens: *Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis, & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum*. Et Isaiæ 55. v. 3. *Feriam vobiscum pactum sempiternum*:

 item-

itemque c. 54. v. 9. legitur: *Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi ne inducerem aquas Noe ultra supra terram: sic juravi, ut non irascar tibi, & non increpem te: Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non movebitur*. Idem tandem ex aliis Scripturarum textibus demonstratur, quorum nonnulla retulimus in superioris libri c. 10. & 11., ex quibus etiam evidenter infertur, quod si iniqui essent Episcopi, non deesset eis Spiritus Sancti gratia gratis data; etsi deesset gratia gratum faciens, sive justificans, quæ sicuti necessaria non est, ut Pastores sacramenta conficiant, ita neque ut veram fidei morumque doctrinam exponant. *Super cathedram Moysi*, ait Christus Matth. 23. v. 2. *sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite, secundum opera vero eorum nolite facere*,

Neque his obstat, quod promissum infallibilitatis munus Synagoga perdiderit. Veteres enim illæ promissiones temporariæ erant, sicuti & regnum, & lex, & Sacerdotium. Ablatum est quippe a Judæis regnum, abrogata lex, translatum Sacerdotium. Christiana vero Religio usque ad consummationem seculi firmissima perdurabit. Quapropter Jeremiæ 31. v. 31. legitur: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum: . . . . pactum quod irritum fecerunt, &c.* Recolite quæ diximus in Institutis nostris lib. 15. c. 9. in fine.

Hieronymus autem nec de Sacerdotum Concilio

cilio loquitur, nec de omnibus simul Ecclesiæ Pastoribus. Ad singulas enim Ecclesias, privatosque Pontifices & Sacerdotes verba Prophetarum refert, in Ecclesiam Catholicam ejusque aut Sacerdotium aut veritatem nihil dicit.

Notandum hic obiter est, promissionem retinendæ veritatis a Deo Leviticæ tribui factam potius colligi ex Deut. c. 17. v. 8. & seq. quam ex Malachiæ c. 2. Ibi enim *de judicii veritate* fit sermo; cujus promissio absoluta fuit, permansitque quousque viguit Synagoga, usque scilicet ad Christi adventum. Posteriori autem in loco fit quidem mentio de pacto, quo tamen Deus veritatem Aaroni ejusque posteris expresse non promisit, sed longam felicemque vitam & prospera cuncta, si debitam ei reverentiam, cultum, ac servitium præstitissent. Hanc vero conditionem cum Aaronis posteri progressu temporis non servaverint, irritum pactum fecisse dicuntur. Lege contextum.

II. argumentum. Concilium, in quo Judæi definierunt Christum non esse Messiam in lege promissum, fuit generale Concilium; ad illud quippe convenerunt summus Sacerdos, & præcipui Judæorum Pastores, ut ex Joan. 11. & Marci 14. colligitur. Atqui erravit tamen, & quidem in re quæ ad fidem spectabat, quæque maximi momenti erat: Generalia ergo Concilia in rebus etiam quæ ad fidem moresque pertinent, a vero possunt errare.

Resp. errasse profecto generale Concilium illud in damnatione innocentissimi Domini nostri Jesu Christi: non tamen inde sequitur, quod alia etiam generalia Concilia ante tempus illud a Judæis celebrata errare potuerint; mul-

toque minus infertur, errare ea nunc posse quæ apud Christianos habentur. Erravit namque Judæorum Concilium de quo agitur, quia coactum tunc fuit, quum Synagoga jam infallibilis esse desierat, locumque cedere Christianæ Ecclesiæ mox debebat. Eo enim tempore quo Ecclesia cœpit in Christo, Synagogæ infallibilitas necessaria minime erat ad judicandum ipsum esse promissum in lege Messiam; cum id evidenter ostenderent præclara miracula, quæ in missionis suæ confirmationem assidue ille patrabat.

Ad hæc accedit, Concilium illud nostram potius roborare sententiam; nempe Pontifices, & Pastores, etiamsi malos, dum congregantur, a seipsis non loqui, sed ex motione Spiritus veritatis. Cum enim post longam variamque Concilii disceptationem, Caiphas, qui ut summus Pontifex præsidebat, mentem suam, cui omnes ferme consenserunt, verbis illis aperuisset, Joannis 11. v. 49. & 50. *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat;* mox Evangelista subjecit: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit*. Qua ex re fit, ut si fortasse nostrorum quoque Pontificum vita & opera contraria Jesu Christo essent; eorum tamen judicia, quæ a Summo Pontifice probarentur, vera forent, & ad salutem utilia, utpote suggesta divinitus, ob eamque causam, quam ab Evangelista didicimus; ob Pontificatum scilicet, quem in Christi Ecclesia gerunt. Vide quæ Expositione in hunc Joannis locum egregie scribit S. Bonaventura, Chrisosto-

mum

mum quoque commendans.

III. argumentum. Ariminense Concilium celebratum anno 359. generale fuit, tum quia ei plures quadringentis adfuerunt Episcopi, tum quia illius veluti pars erat Concilium Seleuciense eodem tempore, eademque ex causa in Oriente coactum, cui circiter centum sexaginta Episcopi interfuerunt. Atqui Concilii illius Patres vehementer errarunt subscribendo formulæ supprimenti *Homousion*, quod vocabulum Nicæna I. Synodus rectissime Symbolo contra Arianos addiderat. Unde Hieronymus in Dialogo adversus Luciferanos n. 19. ait: *Tunc usiæ nomen abolitum est: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.*

Erravit pariter Ephesinum II. anno 449. Eutychianam hæresim confirmando, licet Romani Pontificis auctoritate convocatum fuisset, eidemque Pontificii Legati præessent.

Sexta quoque Synodus, sive Concilium CP. III. anno 680. igne damnavit Honorii Papæ I. epistolas ad Sergium, ipsique Honorio ut hæretico anathema dixit; cum tamen plerique Scriptores, præsertim Catholici, tum Honorium, tum ejus epistolas ob omni prorsus hæresi immunes affirment.

Resp. Ariminense Concilium non fuisse legitimum, cum a Constantio Ariano Imperatore coactum fuerit, & a Liberio Summo Pontifice reprobatum. Catholici insuper Episcopi, qui illuc inviti convenerant, priusque pro Nicæna fide præclare certaverant, fraudibus circumventi, minisque perterriti, subscribere compulsi fuerunt formulæ, quæ etsi *Homou-*

mousion reticebat, nullum tamen continebat errorem, si ejus præcise verba spectentur. *De usiæ nomine abjiciendo*, inquit Hieronymus in citato Dialogo contra Luciferianos n. 18 *verisimilis ratio præbebatur: quia in Scripturis, ajebant, non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri. Non erat curæ Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto*. Postquam vero Valens, Ursacius, aliique Ariani rumorem circumquaque sparserunt, se Dei Filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis, & Occidentis Episcopos secum de fide sentire; reclamarunt Patres, subscriptionem revocando, & Hæreticorum blasphemias detestando. *Concurrebant Episcopi*, ait eo loco n. 19. Hieronymus, *qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant; parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

Dum ergo Hieronymus ait, *Ingemuit &c.* hyperbolice loquitur, & sensus est, Episcopos illos, qui magno numero Ariminum convenerant, cum sibi non essent conscii Arianæ perfidiæ, ingemuisse de perduellium impostura, miratosque fuisse, quod sine conscientia hære-

tici

tici ferebantur. Quod vero asserit, conclamatam fuisse Nicænæ fidei damnationem, de Arianis intelligendum est, non de Ariminensibus Episcopis; nisi hoc fortasse sensu, quod ob suppressam *Homousiu* vocem, Ariani malitiose jactarent, Nicænam quoque fidem ab Episcopis illis fuisse rescissam.

Postremo, generale non fuit Ariminense, neque Seleuciense Concilia, quorum Patres longe inferiores numero fuerunt aliis Episcopis eo tempore per Orbem dispersis & improbantibus cum Liberio Romano Pontifice quidquid Arianorum vi & fraude gestum fuerat: quod argumentum docte tractatur tum ab aliis, tum vero præsertim a Natale Alex. dissertatione 33. in quartum Ecclesiæ seculum, & ab Honorato Tournely in Prælectionibus Theologicis *de Ecclesia Christi quæst. 3. art. 4.*

Concilium Ephesinum II. quod *latrocinalem* sive prædatoriam Synodum Catholici nominarunt, licet a Leone Papa fuerit congregatum, non tamen libere, neque legitime habitum fuit. Nam primo Dioscorus Alexandrinus contra Canones a Theodosio juniore præsidentiam extorsit; effecitque, ne Leonis encyclica epistola de Verbi Incarnatione in Synodo legeretur. Deinde 128. Episcopi Eutychetem, confirmata ejus hæresi, absolverunt, frustra repugnantibus Papæ Legatis aliisque Præsulibus recte sentientibus, in quibus Flavianus Patriarcha CPus damnatus, fustibusque a militibus cæsus occubuit; multaque alia ibi per vim acta fuisse recensent Historici.

Sexta demum Synodus damnavit quidem Honorium, non tamen veluti formalem, ut ajunt, hæ-

hæreticum, sed tanquam negligentiæ ac socordiæ reum, quia nascentem Monothelitarum hæresim non compressit. Unde Leo. II. in confirmatoriis Synodi illius epistolis ad Constantinum Imperatorem de Honorii damnatione ait: *Necnon & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit*. Ubi non ait, *maculavit*, sed *maculari permisit*: quia enim in suis ad Sergium epistolis silentium indixit de una vel duplici in Christo voluntate & operatione, morem Hæreticis gerere visus est; ideoque a sexta Synodo damnatus fuit. At de hoc fusius infra.

IV. argumentum quorundam nobis Patrum auctoritatem objectat, & primo Gregorii Nazianzeni, qui in epist. 55. ad Procopium ita scribit: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum, & faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementum habuerit: &c.*

Secundo, S. Augustinus lib. 2. alias 3. contra Maximinum c. 14. ait: *Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: &c.* Non igitur agnoscebat S. Doctor supremam & infallibilem fuisse Nicæni Concilii auctoritatem, qua non teneri Maximinum affirmat. Asserit insuper lib. 2. de Baptismo c. 3., *Concilia plenaria priora sæpe a posterioribus emendari*.

Tertio, Leo M. epist. 53. ad Anatolium, & 54. ad Marcianum, & 55. ad Pulcheriam, quamvis pro legitimo & Œcumenico habeat

Chal-

Chalcedonense Concilium, eidem tamen ambitionis ac superbiæ notam inurit: non ergo infallibilem in eo veritatem agnoscit.

Resp. Nazianzenum non negare, quod generalia Concilia celebrari utiliter possint, eademque, si sint legitima, certam fidem efficiant. Ipse enim Nicænum I. summis laudibus commendavit Orat. 21., necnon pars magna fuit Constantinopolitani I. quod Macedonii hæresim condemnavit. Cum tamen in ea tempora S. Doctor inciderit, quando Ariana grassabatur impietas, & plura ab Hæreticis, plura etiam a Catholicis particularia Concilia agebantur; cumque ex Conciliis illis nullum felicem exitum expertus esset, Procopio qui ipsum Imperatoris nomine ad aliquod non absimile Concilium vocabat, respondit se excusans, & obtendens tum ægram valetudinem, tum secessus ac quietis amorem, tum Episcoporum lites & jurgia, tum denique infelicem Conciliorum eventum, quæ eo usque jam viderat.

Augustinus autem primo in loco non absolute loquitur, sed ex suppositione Maximini, qui Concilio Nicæno opponebat Ariminense Concilium, ubi hæretica fraus & impietas vocabulum *Homousion* labefactare tentavit. Adversus itaque Arianum illum Episcopum S. Doctor ostendere debuisset, illegitimum fuisse Concilium Ariminense, Nicænum vero legitimum; qua in controversia prolixitudinem vitare minime potuisset. Quare breviorem viam aggreditur, sepositaque auctoritate Nicæni, demonstrat ex sola Scriptura, cujus auctoritatem admittebant Hæretici, abunde sibi firmissima momenta sufficere ad refutandum Arianorum er-

errorem. Ceterum quanti Augustinus fecerit Nicænum Concilium, ex objecti capitis contextu colligitur. Ait enim paulo ante adducta verba: *Hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est: quod postea in Concilio Ariminensi, propter veritatem verbi minus quam oportuit intellectum, quod tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas sub hæretico Imperatore Constantio labefactare tentavit.*

Ad alterum Augustini testimonium respondemus, priora Concilia, si Œcumenica sint, in rebus non fidei, sed puri facti posse a posterioribus Conciliis emendari; particularia vero sicut errare, ita & emendari posse non tantum in factis, verum in fidei etiam morumque decretis. Loqui autem S. Doctorem de solo facti errore, in quem plenaria Concilia labi possunt; ex adjunctis verbis evidenter infertur; inquit enim: *Ipsa plenaria* Concilia *sæpe priora posterioribus emendari; cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat:* Id autem locum dumtaxat habet in rebus facti, non fidei, quæ non experimento, sed verbo Dei scripto vel tradito innotescunt.

Sanctus denique Leo ambitionis damnavit rejecitque canonem vigesimum octavum, quem Anatolius CP. Episcopus, dimisso cœtu, ac primo insciis, deinde repugnantibus Papæ Legatis attexuit viginti septem canonibus, quos Chalcedonensis Concilii Patres ediderant. Ille autem canon secundum inter Patriarchas locum,

cum, & paria cum Romano Pontifice privilegia CP. Episcopo attribuit, cum jure per tres vicinas Dioeceses, Thracicam, Ponticam, & Asianam, Metropolitanos Episcopos ordinandi.

CAPUT VI.

Ubi dubia aliquot explicantur, ut loci hujus auctoritas amplius illustretur.

AD loci hujus auctoritatem majori in lumine collocandam quædam nunc diluenda sunt dubia, quorum primum illud esto, an definitiones Concilii a Romano Pontifice confirmati ad sacram Scripturam pertineant, vel saltem parem cum illa auctoritatem obtineant?

Resp. minime gentium, ob duplex præsertim discrimen, quod inter Scripturam, & Conciliorum decreta versatur. Primum est, quod Spiritus Sanctus aut nova quædam & prius ignota sacris Scriptoribus revelavit, vel saltem immediate inspiravit ut ea scriberent, quæ viderant, vel audiverant; eosdemque dirigebat, ne aliquo modo in errorem inciderent. Hinc illi in libris edendis non multum laborare debebant, sed vel tantum sibi revelata conscribere, vel quæ viderant aut audiverant in memoriam revocare, & cogitare verba, quibus ea scriberent, si historias, epistolas, vel aliud quid simile scribebant. Concilia vero Romanusque Pontifex non immediatas a Deo revelationes accipiunt, neque ad decernendum interius incitan-

tantur; sed humana via incedunt, rationemque sequuntur; atque legendo, disputando, inquirendo verum a falso discernunt. Unde in primo Concilio Act. 15. magnam legimus factam fuisse conquisitionem. Non ergo Conciliorum decreta sunt verbum Dei, sed declarant, quodnam sit verbum Dei, & ex eodem vel scripto vel tradito eliciuntur, atque ex conformitate cum illo suum pondus & auctoritatem accipiunt.

Alterum discrimen est, quod Scriptores sacri ne in minimis quidem rebus falli possint, Spiritu Sancto movente ac dirigente in omnibus eorum manus & linguas, juxta illud Psalmi 44. v. 2. *Lingua mea calamus Scribæ velociter scribentis*; uti Theodoretus recte hunc locum exposuit. Episcopi vero in iis tantum quæ fidem moresque pertinent decernendis, certam & infallibilem habent auctoritatem; non tamen in disputationibus quæ præmittuntur, neque in rationibus quæ adhibentur, neque in aliis quæ ad explicandas fidei morumque controversias adducuntur.

Sed dices. Fides catholica nihil credit, nisi quod est a Deo revelatum: Concilii autem decreta tenemur certa secundum fidem habere: ea igitur a Deo sunt revelata, atque ex consequenti sunt Scriptura canonica. Quare Gregorius M. epist. 25. alias 24. libri primi ait: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor.*

Resp. distinguendo minorem, tanquam novas revelationes, nego; tanquam explicationes eorum, quæ olim revelata fuerunt, concedo minorem, nego autem consequentiam. Omnem fidei veritatem vel a Christo dum in terra degebat, vel a Spiritu Sancto Apostoli postea

ac-

acceperunt ; eamque juxta præscriptam legem aut scripto , aut verbo tradiderunt Ecclesiæ . Recentiores itaque revelationes admittendæ non sunt . Hinc enim est , quod Patres adversus Hæreticos semper id agunt , ut videant , an illorum nova dogmata cum antiqua traditione ac fide consentiant . Summus ergo Pontifex, & Concilia primum de vero Scripturarum sensu , & interpretatione judicium ferunt ; deinde legitimas Christi , & Apostolorum traditiones via & ratione scrutantur; rursumque certa complexione, & connexione inferunt, declarantque quænam conclusiones Scripturæ ac Traditioni cohæreant, quænam contra diffideant . Consulunt autem in hujusmodi rebus finiendis non modo Scripturas, verum & Apostolorum instituta, priora Concilia, Pontificum decreta, Patrum scripta, Scholasticorum dogmata, rectam philosophiæ rationem. Utque brevius id dicamus, causam, de qua disseritur, conjiciunt in Theologiæ locos, ex quibus, tanquam ex fontibus, argumenta derivant ad solvendas fidei quæstiones. Novas vero revelationes novasque Scripturas quærere, Judæorum est, qui etiamnum recentes Prophetas alios irrito desiderio præstolantur.

Postremo vox illa *sicut* in Gregorii testimonio non æqualitatem significat , sed similitudinem ; eo nempe modo , quo Matth. 5. v. 48. Christus ait : *Estote perfecti , sicut Pater vester cœlestis perfectus est* . Vel si æqualitatem importare contenderis, reponemus, non in omnibus Concilia cum Evangeliis a Gregorio comparari, sed tantum in ipsa certitudine eorum , quæ in Scripturis habentur , & in Conciliis decernuntur . Cum enim utraque sint infallibilis

 ve-

veritatis, æque certa dici rectissime possunt.

Quæret hic aliquis: Cum supra dixerimus, Spiritum Sanctum Concilii Patribus, dum decernunt, assistere, si tamen illi diligentiam industriamque suam adjecerint; quis reddere nos certos poterit, Concilium, Romanumve Pontificem necessariam omnem diligentiam adhibuisse?

Resp. illum ipsum, qui promisit Ecclesiæ, Conciliis, & Petro se semper adfuturum, ne in fidei controversiis finiendis errarent, promisisse etiam se minime defuturum, quin eadem in re omnem necessariam diligentiam adhiberent. Quemadmodum enim si Christus Petro dixisset, *Ego rogavi pro te, ne deficiat caritas tua*, certo certius intelligeretur eidem impetrasse diligentiam, curam, vigilias, preces, & cetera auxilia opportuna, quæ ad caritatis conservationem necessario requiruntur: ita cum dixit, *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua*; proculdubio intelligimus id a Patre suo consecutum, ut quæ ad rectum de fidei quæstione judicium pertinerent, ea adsint Petro omnia, sive a Deo, sive ab homine expectentur. Nam dubitari non potest, idem in rebus supernaturalibus evenire, quod in naturalibus quoque contingit; ut qui dat vel impetrat alicui finem, media etiam ei tribuere debeat, vel obtinere. Lege Canum lib. 5. c. 5. q. 3.

II. dubium: Cum non omnia quæ in Conciliorum decretis habentur, ad fidem catholicam pertinere supra diximus, quænam est nota, per quam internosci possint certa illorum de fide judicia?

Resp. cum Cano in lib. & cap. paulo superius laudato q. 4. quæ in Conciliorum aut Ponti-

tificum decretis inducuntur vel explicandi gratia, vel ut objectionibus satisfiat, vel etiam obiter & in transcursu præter præcipuum institutum de quo controversia potissimum agebatur, ea ad fidem minime pertinere, hoc est, catholicæ fidei non esse judicia. Ita (exempli causa) Lateranensis Concilii Patres in cap. *Firmiter*, *De summa Trinitate*, dixerunt, *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus est solus verus Deus creator omnium, visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam*. Non tamen fidei decretum est, Angelos aut esse incorporeos, aut ante corporeum Mundum non fuisse creatos; cum post Decretalem illam nonnulli falso quidem, sed citra hæreseos notam contrarium affirmaverint. At enim, ut explicaret Synodus, id quod fides catholica tenet, Deum omnium visibilium & invisibilium esse Creatorem, adjecit, corporalium, & incorporalium; quas particulas non definiendi, sed exponendi dumtaxat gratia adjectas fuisse perspicuum est. Itemque quemadmodum Concilium sumpsit id quod & verum erat plurimumque probabile, Angelos ut invisibiles, ita quoque incorporeos esse; sic quoque illud accepit, Angelos & Mundum simul esse productos. Vide quæ scripsimus in Inst. lib. 9. cc. 3. & 12.

Prima itaque nota, qua certa Conciliorum judicia ad fidem spectantia nosse possimus, est, si contrarium asserentes pro hæreticis judicentur. Secunda, quum in hanc formam Synodus decreta præscribit: *Si quis hoc aut illud sense-*

 rit,

rit, anathema sit. Tertia, si in eos, qui contra dixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur. Quarta, si quidquam expresse & proprie a Fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma catholicæ fidei accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio, vel Apostolorum doctrinæ contrarium: dicatur autem non ex opinione, sed certo firmoque decreto.

III. dubium, an generalia Concilia sint Ecclesiæ necessaria?

Resp. non semper Ecclesiam necesse habere, ut generalia Concilia convocet ad hæresum & schismatum extirpationem. Quæ enim prioribus seculis exortæ sunt hæreses, Simonis nempe, Cerinthi, Menandri, Valentini, Marcionis, aliæque non paucæ, absque Conciliorum, etiam provincialium, convocatione extinctæ fuerunt. Montani quoque, & Novatiani schismata sine generalium Conciliorum auxilio dissipata fuisse colligitur ex Eusebio lib. 5. H. E. c. 16. & lib. 6. c. 43. Post datam insuper Ecclesiis pacem, ubi liberum Episcopis fuit ad Synodos convenire, ad eas minime convenerunt, quoties novæ hæreses emanarunt; sed satis profecto fuit aut Doctorum calamo, aut lato ab Episcopis in propria Diœcesi decreto, aut provincialium Conciliorum sententia, aut Romanæ Sedis oraculo, aut ex consensu dispersæ per Orbem Ecclesiæ Hæreticos refutare. Unde Augustinus lib. 4. ad Bonifacium c. ult. Pelagianis poscentibus generalem Synodum, in qua expenderetur eorum doctrina, respondit: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nul-*

nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Ac rursum serm. 131. c. 10. de eadem hæresi inquit: *Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt* (ex Africa) *ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.*

Nonnullæ tamen causæ a Theologis assignantur, propter quas interdum oportet generalia, vel particularia saltem congregari Concilia; ut puta extirpatio novæ grassantis hæresis, vel schismatis, quod graviter diuque divexet Ecclesiam; aut communium legum condendarum ratio, aut denique similes aliæ generales gravissimæque causæ, ad quas tractandas necesse est Episcopos ad Concilium convenire, ut multorum consilio ac deliberatione melius & concordi animo finiantur; ut dicitur cap. *Prudentia*, de officio Delegati, & cap. *De quibus*, dist.20.

Dices. Generale Concilium celebrari non potest, quin magnis impensis graventur Ecclesiæ, ab eisque proprii recedant Episcopi: tantum igitur abest, ut necessaria sint Concilia, quin potius perniciosa probentur.

Resp. damnum, quod particularibus Ecclesiis inferri videtur, abunde compensari publico bono, quod totum Ecclesiæ corpus, ipsæque etiam particulares Ecclesiæ ex generalis Synodi celebratione percipiunt. Unde sacri Canones, cum de residentiæ lege loquuntur, excipiunt casum

de celebratione Concilii. Quomodo tandem hæc Conciliorum necessitas cum Romani Pontificis infallibilitate consistat, in sequente libro facile ac perspicue exponetur.

IV. dubium: an Concilii Patres vere sint Judices?

Resp: putasse nonnullos, quorum tacito nomine meminit Canus lib. 5. c. 5. q. 2., Conciliorum auctoritatem non in judicanda, & finienda causa fidei, sed in quærenda & investiganda veritate consistere. Omnem quippe judicii vim ad unum Ecclesiæ Principem eundemque Christi Vicarium revocarunt, qui ad fidei causam decernendam eo vel plures vel pauciores in consilium adhibet, quo vel gravior, vel facilior causa est. Vera tamen communisque sententia tenet, Episcopos in Concilio non solum consiliarios esse, sed judices.

Et profecto si res ita non esset, non solum Episcopi ad ferendam synodalem sententiam adhiberentur, sed etiam Viri prudentes, doctique Theologi; quod in Christi Ecclesia inauditum est. Deinde non modo Romanus Pontifex, verum & reliqui Episcopi claves regni cœlestis habent, ac potestatem ligandi atque solvendi a Christo acceptam exercent: ergo in causa fidei omnes præceptum imponunt, omnesque simul sententiæ synodalis sunt auctores. Hinc Act. 15. non solus Petrus, sed omnes Apostoli ac Seniores decretum synodale formarunt. *Visum est* (inquiunt v. 28.) *Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*: & ibidem v. 19. Jacobus ait: *Propter quod ego judico, non inquietari eos, &c.* Ergo Concilii Patres vere sunt Judices, non solummodo consultores.

At dices: Si omnes Episcopi in Concilio Judi-

dices essent, Summus Pontifex in ferenda sententia teneretur majorem Judicum partem sequi, eorumque approbare doctrinam. In omni enim recto, & bene instituto tribunali is qui præsidet, plurium judicium confirmare tenetur, paucorum contra negligere. Quid vero si plures errarent, ut contigit in Ephesino II. ubi major Episcoporum pars Eutychiano subscripsit Errori?

Resp. quod licet Præses, qui supremus non est, teneatur majoris partis sententiam approbare, non tamen ille qui summam obtinet dignitatem: Is enim retractare potest majoris partis judicium, si sibi videatur injustum; ut in secularibus quoque comitiis accidit, ubi Princeps aliquando rescindit acta, esto a majori Judicum parte statuta. Cum itaque in Christi Ecclesia Romanus Pontifex suprema auctoritate fruatur, majoris partis sententiam non tenetur amplecti: imo sive pauci, sive multi ad errorem deflexerint, Apostolici Antistitis munus est eos ad veram fidem revocare, juxta illud quod Petro dixit Christus, Lucæ 22. v. 32. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides sua, & tu* (non unum, & item alterum, sed sive paucos, sive multos) *confirma fratres tuos*. Unde Leo M. epist. 53. ad Anatolium, qui decretum Concilii Chalcedonensis de Ecclesiæ Constantinopolitanæ primatu sexcentorum triginta Patrum consensione firmatum fuisse jactabat, ait: *Tanquam refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo. . . Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur*, &c.

V. dubium, an oporteat omnes Episcopos ad Concilium vocari, & convenire, ut generale illud sit?

Resp. ad celebrandum generale Concilium oportere, ut convocatio sit generalis; id est, ut omnes Episcopi, qui Pastores sunt, & Ecclesiastica jurisdictione fruuntur, quoad fieri poterit, convocentur. Omnes enim sunt fidei Judices a Christo Domino instituti, omnesque ad regendam ejus Ecclesiam a Spiritu Sancto sunt positi. Unde hac ex parte primum discrimen patet inter generale, & particulare Concilium.

Non tamen necesse est, ut generali Concilio omnes prorsus intersint Episcopi. Primo enim id fieri vix potest, nullumque hujusmodi celebratum fuisse Concilium constat. Deinde quisque Episcopus, dum non solum per negligentiam, sed & per malitiam Concilio adesse renueret, calumniari posset illud generale non esse. Et Princeps in Republica quilibet, si ei Concilium displiceret, interturbare illud minimo negotio posset, causarique quod Episcopi sui vel morborum, vel tumultuum causa Concilio interesse nequirent.

Ut itaque Concilium, etiam quoad congregationem, generale dici merito possit, duo præcipue requiruntur; nempe præsentia Romani Pontificis per seipsum, vel per Legatos suos; ac insuper, ut ex aliis Episcopis ea multitudo conveniat, quæ vel omnes comprehendat, vel saltem repræsentet, & absentium vicem subeat. Hunc enim ordinem in omnibus pene generalibus Conciliis servatum fuisse ex eorundem Actis apparet; ac præterea prioris assertionis ratio est, quoniam, si Romani Episcopi auctoritas non intervenerit, deerit in Concilio Caput, adeoque potestas in universam Ecclesiam, quam in ipso maxime residere nemo jure inficias ire po-

poteſt. Uſus autem, & traditio Eccleſiæ docet, hanc præſentiam per Legatos ſufficienter poſſe ſuppleri: id vero qua ratione intelligendum ſit, & quæ in eo difficultas occurrere poſſit, jam ſupra in cap. 4. notavimus.

Altera etiam aſſertionis pars liquet ex uſu Eccleſiæ, immo & cujuslibet Reipublicæ, omniumque generalium Congregationum. Quando enim Primates Rectoreſque omnes convenire non poſſunt, aliis vices ſuas præſtare concedunt, ut quod illi decreverint, ab omnibus definitum eſſe putetur. Id inſuper poſtulat ipſa veluti naturalis conditio humanarum rerum, quæ nequeunt alia ratione tractari; unde moraliter idem judicatur, multos nomine, & poteſtate omnium convenire, ac omnes ad unum eſſe præſentes.

Si vero quæſieris, quidnam requiratur, ut qui conveniunt, omnium nomine congregati cenſeantur, eoſque repræſentent; reponemus I. non eſſe habendam rationem Epiſcoporum, qui Summo Pontifici nequaquam obediunt: ii enim ab Eccleſia propter ſchiſma diviſi ſunt; non ergo neceſſaria eſt illorum præſentia generali Concilio, neque regulariter ſunt vocandi, niſi forte ut reſipiſcant, & ad Eccleſiam revertantur.

II. Epiſcopi obedientes Romano Pontifici, qui vocari non poſſunt propter impedimentum aliquod, vel venire ipſi nequeunt, nec alium ſuo nomine delegare; tenentur juri ſuo cedere, ac conſentire, ut alii ipſorum locum teneant; eoſdemque ita velle præſumendum eſt.

III. Siqui malitioſe venire ipſi nolint, aut alios mittere; poſſunt qui conveniunt (præſertim ex Romani Pontificis auctoritate) declarare ſe omnium vices ſubire, ceteroſque qui

ve-

venire detrectant, suffragii jure esse privatos; vel certe invitos etiam & coactos committere vices suas iis qui Concilio adsunt, Episcopis.

Quapropter ex dictis postremo colligitur, quod tota generalis Concilii repræsentatio repetenda potissimum sit ex Romani Pontificis declaratione, qui a principio congregare intendit generale Concilium; atque eo modo congregatio generalis evadit, prout haberi commode potest: tuncque ipsum Concilium cum auctoritate denunciat, Episcopos in præfinito loco coactos ceterorum omnium vicem tenere; adeoque in eis sufficienter consistere generale Concilium. Ex quo sane patet, posse interdum Concilia nationalia esse multo majora generalibus, spectato Episcoporum numero; & tamen quoad auctoritatem semper esse minora.

CAPUT VII.

Ubi generalia Concilia breviter describuntur.

INstituti quidem nostri ratio prohibet, ut prolixam Conciliorum omnium historiam adornemus: aliquam tamen generalium Conciliorum notitiam Tyronibus tradere duximus opportunum.

Nicænum I.

Eminet itaque inter generalia Concilia Nicænum I. Nicææ in Bithynia celebratum anno Chri-

Christi 325. Constantini vigesimo, Silvestri Romani Pontificis duodecimo. Hujus Pontificis auctoritatem intervenisse in Concilii convocatione colligitur ex sextæ Synodi testimonio, Actione 18., uti etiam primo in capite notatum a nobis est. Interfuerunt Episcopi 318. quem numerum post Athanasium in epist. ad Jovinianum Imperatorem recensent Epiphanius hæresi 69. Theodoretus lib. 1. Hist. c. 7. Hilarius contra Constantium; Ambrosius lib. 1. de fide c. 9. aliique communiter. Legimus insuper apud Socratem lib. 1. H. E. c. 8. vix iniri posse numerum Presbyterorum qui Episcopos comitati sunt; Diaconorum, Acolythorum, aliorumque complurium. Ipse denique religiosissimus Imperator Constantinus Synodo adfuit, in sede aurea, distincto ab Episcopis loco.

Præcipua vero ejus congregandæ causa fuit Arii Presbyteri Alexandrini perversum dogma de Dei Verbo, seu Filio; quem esse initium creaturarum, expertemque Paternæ substantiæ, ac factum ex non extantibus asserebat: qua hæresi anathemate notata; Deum Filium Deo Patri consubstantialem eadem Synodus per symbolum definivit. Additum etiam est Decretum contra Quartodecimanos de Paschate celebrando; non Judæorum more ipsa die XIV. crescentis sub æquinoctium vernum Lunæ, sed die Dominica insequenti. Postremo, Meletii & eorum quos ille sacris initiaverat, causa dijudicata est; statutumque fuit, ut Meletius retento nudo Episcopi nomine in sua Lycopolitana civitate maneret; qui vero ab ipso fuerant ordinati, Alexandrino Episcopo subjacerent, aliisque Ecclesiarum ministris postponerentur.

Eidem Synodo per Legatos præfuisse Silvestrum, qui propter ingravescentem ætatem longinquum iter adire nequivit, fatentur cum omnibus qui ejus Concilii res attigerunt, ipsiusque subscriptionibus, schismatici quoque Græci, Photius de septem Synodis, & Cedrenus in Historia. Legati fuere Osius Cordubensis in Hispania Episcopus, Vitus alias Victor, & Vincentius, Romani Presbyteri, qui ante Patriarchas sedisse feruntur. Denique de numero Canonum ab hoc Concilio editorum gravis inter Eruditos controversia est; nonnulli enim passim viginti, quidam autem octoginta Canones a Nicænis Patribus conditos fuisse defendunt.

Constantinopolitanum I.

Sequitur Constantinopolitanum I. Concilium, quod est secundum Œcumenicum. Convocatum illud fuit anno Christi 381. a Theodosio seniore, non sine Damasi Romani Pontificis auctoritate; ut probant vetusta Ecclesiæ Romanæ monumenta, quæ in Bibliotheca Vaticana, & S. Mariæ majoris asservantur, in illis enim cum gesta Damasi contineantur, hæc scripta esse Baronius ad prædictum Christi annum 381. tradit: *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate ejus apud Constantinopolim celebrata est.* Id insuper aperte contestantur hujus Synodi Præsules in Synodica ad Damasum epistola relata a Theodoreto lib. 3. H. E. c. 9. suoque testimonio confirmarunt etiam sextæ Synodi Œcumenicæ Patres Actione 18. in Prosphonetico. Vide Binii notas in hanc Synodum.

Constantinopolitano huic Concilio adfuerunt Epi-

Episcopi Catholici 150. & Macedoniani 36. Sed hi cum Catholicorum sententiæ accedere recusassent, re infecta discesserunt ex Urbe, & cum aliis Hæreticis damnati fuere.

Quis autem eidem Synodo præfuerit, incertum est. Alii enim Gregorium Nazianzenum CP. Episcopum, alii Meletium, alii Nectarium, alii Timotheum Alexandrinum præfuisse scripserunt. Hæc postrema sententia confirmari videtur ex VIII. Synodo Œcumenica, quæ Act. 6. ait: *Quoniam Timotheus primus factus est prædictæ sanctæ Synodi præsidens, utpote Alexandriæ Patriarcha, & una cum Episcopis, qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopoleos Patriarcham.*

Licet vero neque per seipsum, neque per Legatos suos Romanus Pontifex huic Synodo præsederit, eidemque Orientales soli adfuerint Episcopi; quia tamen hi subscripserunt fidei, quæ pro Spiritus Sancti divinitate in Concilio Romano sub Damaso tradita fuerat, illam velut Œcumenicam idem Summus Pontifex habuit, talique nomine decoravit.

Hoc porro Concilium indictum ac celebratum præcipue fuit adversus Macedonium Episcopum antea Constantinopolitanum, & Pneumatomachos eidem adhærentes, qui Spiritum Sanctum ad creaturarum ordinem deprimebant. Hinc Concilii Patres Nicænæ Synodi fidem firmarunt, editoque ab illa symbolo addiderunt articulum, quo Spiritus Sancti una & eadem cum Patre Filioque substantia declarata est his verbis: *Et in Spiritum Sanctum, Dominum, vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, locutum per Prophetas:* quod quidem symbolum a Gre-

go-

gorio Nysseno compositum est teste Nicephoro lib. 22. c. 13. & in Synodo Chalcedonensi Actione 2. integre recitatum fuit, caniturque inter Missarum solemnia. De hujus denique Synodi Canonibus legendi sunt, Baronius, Annatus, Doujat, aliique.

Ephesinum I.

Concilium Ephesinum I. quod est III. ex Œcumenicis, anno Christi 431. coactum est, jubente Theodosio juniore, atque auctore Summo Pontifice Cœlestino I., cujus nomine eidem Concilio præfuerunt S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, missique Roma Episcopi duo Arcadius, & Projectus, & cum his Philippus Presbyter; uti non obscure colligitur ex Liberato, Evagrio, Photio, & ex Relatione Concilii ad Imperatorem post Actionem tertiam. Interfuere præterea Episcopi 274. Ea in Synodo Nestorius CP. Episcopus damnatus est, qui duas in Christo personas admittens, seu Deum hominemque, non hypostatica, sed morali tantum unione conjunctos affirmans, contendebat Beatissimam Virginem Mariam hominem peperisse, non Deum; ac proinde *Christotocon*, non *Theotocon* esse vocandam. Probati idcirco sunt duodecim anathematismi, quos in Nestorii blasphemias jam antea S. Cyrillus ediderat. Conditi quoque sunt octo Canones, ex quibus priores septem Nestorium, ejusque fautores, vel adversarios respiciunt, pœnamque in Pelagii etiam sectatores decernunt; octavus vero vetat Episcopis, ne in aliena Diœcesi habeant ordinationes.

Chalcedonense.

Chalcedonense Concilium, quod est quartum ex Œcumenicis, celebratum fuit anno 451. a

sex-

sexcentis triginta sex Episcopis sub Leone I. qui Concilium istud rogante Marciano Imperatore indixit, misitque Paschasinum Episcopum Lilybætanum, Lucentium Episcopum Herculanum vel Asculanum, & Bonifacium Romæ Presbyterum, ut Legatorum munere fungerentur.

Hac in Synodo damnatus est Eutyches Archimandrita, seu Abbas Constantinopolitanus, qui, teste S. Flaviano in epist. ad S. Leonem, asseruit, *ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas esse naturas, divinitatis, & humanitatis; post unionem vero unam naturam factam: adjecitque aliam impietatem, dicens, Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis; sed humanum quidem illud vocavit, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici ejus secundum carnem*.

Damnatus etiam cum Eutychete fuit Dioscorus Alexandrinus Patriarcha ejus fautor, ob id præsertim quod Leonem Papam excommunicare ausus esset: damnatusque rursum est ipse Nestorius. Theodoretus autem, Cyri in Syria Episcopus, a Dioscoro in Pseudo-synodo Ephesina Episcopatu dejectus, in sedem suam restitutus est, postquam Nestorio anathema dixit: restitutus est pariter Ibas Episcopus in Edessenam Ecclesiam, a qua eodem in Conciliabulo expulsus fuerat.

Hujus Concilii Canones septem & viginti dumtaxat in Occidente recepti sunt: vigesimus vero octavus Anatolio Episcopo Constantinopolitano adscribitur, qui dimisso conventu, ex quo Legati Leonis Papæ, & Judices ab Imperatore delegati jam exierant, Orientales Episcopos sui studiosos retinuit describendorum Cano-

no-

nonum prætextu; & absentibus iis qui ambitioni suæ præ ceteris contradicendi jus habebant, viginti & septem prioribus Canonibus vigesimum octavum attexuit, de quo vide quæ scripsimus in calce capitis quinti: Addidit & Canones vigesimum nonum, ac trigesimum, qui conflati sunt ex iis quæ gesta fuere Actione IV. nimirum ex interlocutione Paschasini Sedis Apostolicæ Legati cum ipso Anatolio, atque ex prohibitione Præsulibus Ægyptiis post damnatum Dioscorum facta, ne Constantinopoli prius abscederent, quam alius ejus loco Alexandrinus Patriarcha substitutus esset.

Constantinopolitanum II.

Concilium Constantinopolitanum II. quod quintum est Œcumenicum, anno 553. convocatum fuit jubente Justiniano Imperatore, qui antea Vigilium Papam Roma evocaverat, Sed hic male ab eo habitus, Synodo interesse recusavit, eoque absente præsedit Eutychius Constantinopolitanus Patriarcha, Mennæ successor; non sine tamen ejusdem Summi Pontificis consensu, ut patet ex Vigilii epistola ad Eutychium, & ex Collatione octava hujus quinti Concilii.

Adfuerunt Episcopi 165. & secundum Edictum ab Imperatore antea promulgatum, tria Capitula condemnarunt. Ex Capitulis illis quorum frequens in Ecclesiastica Historia occurrit mentio, primum erant Opuscula Theodori Mopsuesteni quondam Episcopi, qui Nestorio magister erroris fuerat, duasque constituebat in Christo personas: Alterum, Ibæ Episcopi Edesseni ad Marim Persam epistola, qua Cyrillum perinde ac Nestorium arguens, Theodorum Mopsuestenum laudibus extollebat: Tertium, Theo-

Theodoreti Cyrensis Episcopi Opus, quod adversus duodecim Cyrilli Alexandrini anathematismos, probatos a Concilio Ephesino, conscripserat. Damnavit denique hæc Synodus Origenis errores, confirmavitque iterum Chalcedonense Concilium.

Idcirco vero Vigilius initio restitit quintæ Synodo, quoniam verebatur, ne trium Capitulorum damnatione extolleretur hæresis Eutychiana. Illam namque damnationem urgebant Eutychiani, & Acephali, ut elevarent Chalcedonense Concilium, a quo non recte dijudicatam fuisse Nestorii causam contendebant, quia in communionem Theodoretum, Ibamque receperat. Re tamen mature discussa, postmodum Vigilius Synodum illam suo Constituto firmavit; quod & subsecuti Romani Pontifices præstiterunt, nempe Pelagius I. Joannes III. Benedictus I. Pelagius II. aliique; præsertim vero Gregorius M. ad Joannem Constantinopol. epist. 24. lib. 1.

Omnes præterea Œcumenicæ Synodi post hanc quintam celebratæ, eandem pro Œcumenica agnoverunt: & licet nonnulli quondam illam ut Œumenicam habere renuerint, verum deposito demum errore, quo ipsam Chalcedonensi Concilio opponi falso putabant, eandem deinde probarunt.

Constantinopolitanum III.

Concilium Constantinopolitanum III. quod est Œcumenicum VI. congregatum fuit anno 680. ab Imperatore Constantino Pogonato, communicatis cum S. Agathone Papa consiliis, qui eidem præfuit per Legatos Theodorum ac Georgium Presbyteros, Joannemque Diaconum. Interfuere quamplures Episcopi, de quorum tamen

men numero non satis convenit inter Scriptores. Habita fuit hæc Synodus in Trullo, idest in Secretario, sive Aula Imperialis Palatii, trullissata, & in rotundam tectorum concamerationem extructa; ubi postea alia quoque celebrata fuit Synodus, quæ inde Trullana vocatur, alias Quinisexta.

Convocandi Concilii causam præbuit Monothelitarum hæresis, quæ fuit Eutychianæ surculus & appendix; nam quemadmodum Eutychiani unam afferebant in Christo naturam, ita Monothelitæ unam in ipso voluntatem, actionemque inveniri dicebant. Damnati sunt itaque hujusce hæresis assertores, quorum præcipui duces fuere Theodorus Pharanitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus, & istius postea successores Pyrrhus, & Paulus, necnon Macarius Antiochenus.

Monothelitis favit Imperator Heraclius, quem movit Sergius, ut Ecthesim, idest fidei Expositionem ederet anno 639. in qua una voluntas, & una solum actio Christo tribuitur. Iisdem adhæsit & Constans Imperator, a quo Paulus anno 648. extorsit Typum seu Edictum quo vetitum est, ne aut una, aut duplex Christi voluntas, & operatio diceretur. Demum inter Monothelitas alios nonnulli Honorium I. Romanum Pontificem numerarunt; verum hac de re fusius infra tractabimus.

Nicænum II.

Concilium Nicænum II. ex Œcumenicis septimum celebratum est a 350. vel 367. Patribus, anno Christi 787. imperantibus in Oriente Constantino Porphyrogenito cum matre Irene; a quibus invitatus prius fuit Hadrianus I. Pon-

Pontifex, qui de congregando hoc Concilio ad Tarasium CP. Patriarcham scripsit, Legatosque suos ad illud destinavit, Petrum nempe Archipresbyterum Ecclesiæ S. Petri, & Petrum Presbyterum Abbatem S. Sabæ: Isti enim ante Tarasium in Synodo nominantur, & primi omnium subscripserunt.

Damnata est hac in Synodo hæresis Iconoclastarum, sive Iconomachorum, qui ita a frangendis, impugnandisque Christi, & Sanctorum Imaginibus appellati fuere. Hos inter præcipui recensendi sunt Leo Isauricus Imperator, ejusque filius Constantinus Copronymus, necnon Leo IV. ex Copronymo genitus, quorum sæviente persecutione ex toto fere Constantinopolitano Patriarchatu cultus usufque sacrarum imaginum exulavit.

Constantinopolitanum IV.

Concilium Constantinopolitanum IV. ex Œcumenicis octavum, indictum fuit, procurante Basilio Macedone Imperatore, ab Hadriano II. Pontifice, qui ei præfuit per Legatos; Donatum scilicet Ostiensem Episcopum, & Stephanum Episcopum Nepesinum, & Marinum Ecclesiæ Romanæ Diaconum. Inchoatum fuit in Templo Sapientiæ, sive S. Sophiæ, anno Christi 869. die 5. Octobris, absolutum vero ultima Februarii die sequentis anni. Eidem Concilio subscripserunt Episcopi 109, Photiumque damnarunt, *calamis non atramento, sed ipso Salvatoris sanguine tinctis*, uti testatur Nicetas in vita S. Ignatii.

In hoc itaque Concilio discussa est causa S. Ignatii CP. Patriarchæ, & in Sedem suam restitutus est, a qua prius dejectus inique fuerat

a Photio invasore. Hic tamen anno 878. quo Ignatius obiit, Sedem illam recuperavit, & in sequenti anno Constantinopoli Pseudo-Concilium adversus octavum Œcumenicum convocavit; cujus rei causa damnatus iterum fuit a Joanne VIII. ejusque successoribus Marino, Hadriano III. & Stephano V. ac postremo in monasterium a Leone Sapiente Græcorum Imperatore detrusus.

Lateranense I.

Lateranense Concilium I. inter Œcumenica nonum, Romæ habitum est anno 1123. a Callisto II. Pontifice in Palatio Patriarchico, cui nomen Lateranum, sive in Ecclesia S. Salvatoris, quæ & Basilica Constantiniana vocatur. Concilio præfuit laudatus Pontifex, adfueruntque trecenti Episcopi.

Triplex vero fuit celebrandi hujus Concilii causa. Prima eademque præcipua fuit, ut investiturarum abrogatio, secundum pacta inter Callistum II. & Henricum IV. Imperatorem inita, confirmaretur. Secunda, ut Palæstina, & Hispania ab infidelium tyrannide eriperentur. Tertia, ut restauraretur labefactata, ac pene collapsa Ecclesiastica disciplina.

Firmata igitur in hoc Concilio pax est ea conditione, ut Imperator Catholicæ Ecclesiæ restitueret omnes investituras, quæ per annulum & baculum fieri consueverant, omnemque liberam Ecclesiasticarum dignitarum electionem & consecrationem: Summus vero Pontifex Imperatori concederet, ut electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni fierent eo præsente, absque simonia & violentia; Electique, intra Imperii limites, Regalia, idest Feuda,

per

per sceptrum ab eodem Imperatore reciperent.

Lateranense II.

Concilium Lateranense II. quod inter Œcumenica decimum tenet locum, ab Innocentio II. congregatum est anno 1139. eidemque mille interfuerunt Episcopi. In hoc Concilio acta Petri Leonis Antipapæ, aliorumque schismaticorum rescissa fuere; damnati sunt insuper Petrobruissianorum, & Arnaldistarum errores; ac demum ad restituendam Ecclesiæ disciplinam nonnulli editi sunt Canones, quorum quintusdecimus, ut Clericos a contemptu vindicaret, quo per ea tempora laborabant, anathematis vinculo eos subjicit, qui in Clericos violentas manus injecerint.

Lateranense III.

Lateranense III. & Œcumenicum XI. Concilium coactum est anno 1179. ab Alexandro III. celebratumque a trecentis Episcopis. Tribus vero de causis Concilium istud indictum fuit; primo nempe, ut deinceps, dum Summus Pontifex eligendus esset, schismatis occasio vitaretur; unde statutum est Canone 1. *ne deinceps ullus in summum Pontificem legitime censeatur electus, nisi a duabus tertiis Cardinalium partibus fuerit electus*. Convocatum 2. fuit contra Valdenses (qui etiam Pauperes de Lugduno, & Cathari, seu Puritani appellati fuere), affinesque illorum hæresi Albigenses. Coactum postremo fuit, ut reformarentur mores avaritia, usura, simonia, aliisque vitiis depravati.

Lateranense IV.

Concilium Lateranense IV. inter Œcumenica XII. congregatum fuit ab Innocentio III. anno 1215. Adfuerunt Episcopi 412. inter quos Patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Je-

rosolymitanus: Antiochenus vero, & Alexandrinus Patriarchæ suos misere Legatos. Interfuerunt etiam Christianorum Principum Oratores, & Cœnobiarchæ supra octingentos.

Ea præsertim de causa habitum est, ut in Palæstinam, Christiano nomini a Saracenis ereptam, suscipiendæ expeditionis gratia fœdus inter Christianos Principes sanciretur. Actum præterea de coercendis, per temporales etiam, & corporales pœnas, Hæreticis, deque Græcis in unione cum Romana Ecclesia retinendis. Proscripta speciatim est Albigensium hæresis, necnon impia Almarici doctrina: damnatusque est libellus Abbatis Joachimi contra Petrum Lombardum, *de unitate*, *sive essentia SS. Trinitatis*. Editi denique fuerunt plerique Canones, quos inter est celebris ille de Confessione, & Communione Paschali.

Lugdunense I.

Concilium Lugdunense I. quod est Œcumenicum XIII. celebratum fuit anno 1245. auctore Innocentio IV. adfueruntque cum ipso Episcopi centum circiter & quadraginta, præter plures Cardinales, & tres Patriarchas, Constantinopolitanum, Antiochenum, & Aquilejensem, necnon Balduinum II. Constantinopolitanum Imperatorem, atque Angliæ Regis, aliorumque Principum Oratores.

Hac in Synodo discussa est Friderici II. Imperatoris causa, in eumque lata fuit excommunicationis, & depositionis sententia. Renovatum est etiam Decretum de Cruciatorum expeditione in Saracenos, pro Terra sancta recuperanda; pluraque iisdem Crucesignatis privilegia concessa fuere. Conditi postremo sunt septem-

de-

decim Canones, quorum duodecim priores, cum Ecclesiasticorum judiciorum formæ consulant, a Bonifacio VIII. inserti fuerunt sexto Decretalium libro. In hoc primum Concilio Cardinalibus rubri pilei insigne tributum est.

Lugdunense II.

Concilium Lugdunense II. ex Œcumenicis XIV. habitum fuit anno 1274. sub Gregorio X. Interfuerunt Cardinales quindecim, Patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Antiochenus; quingenti insuper Episcopi, Abbates vero aliique inferiores Prælati plus quam mille. Adfuere præterea Jacobus Aragoniæ Rex, necnon Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris, Regumque plurium Oratores.

Huic quidem Concilio præfuit Gregorius, sed eodem jubente Pontifice cuncta direxit S. Bonaventura, quem creavit Cardinalem, & Episcopum Albanensem. In ipso autem Concilii decursu post quartam sessionem Seraph. Doctor ad cœlestem gloriam evolavit.

Definita vero fuit Processio Spiritus Sancti a Patre, & Filio, ac rursus in communionem recepti sunt Græci: statuta sunt pariter auxilia Christianis bellum in Syria gerentibus; pluraque Ecclesiarum regimini perutilia, editis triginta Canonibus, sancita fuere.

Viennense.

Concilium Viennense inter Œcumenica XV. celebratum fuit Viennæ in Gallijs anno 1311. sub Clemente V. quamvis anno 1307. fuisset indictum. Præfuit Pontifex, adfueruntque præter Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus, & Episcopi centum quatuordecim juxta Guilielmi Nangii Continuatorem, trecen-

ti vero juxta S. Antoninum, & Joannem Villanum. Plures quoque alii interfuere Prælati, ac Principum Oratores, imo & Reges, nempe Philippus Pulcher cum tribus filiis suis, qui post ipsum in Galliis successive regnarunt, Eduardus quoque II. Angliæ Rex, & Jacobus II. Rex Aragoniæ.

Hoc in Concilio extinctus est Templariorum Militaris Ordo, audita duorum fere millium adversus eos testium depositione; eorumque bona Equitibus S. Joannis Jerosolymitani addicta fuere. Damnati sunt etiam Beguardorum & Beguinarum, Fraticellorum, ac Dulcinistarum errores. Decreta insuper est nova sacri belli expeditio pro Terræ sanctæ recuperatione. Itemque sancitum fuit, ut Festum Corporis Christi jam ab Urbano IV. institutum, feria 5. post octavam Pentecostes quotannis celebraretur. Aliæ tandem editæ sunt Constitutiones, quæ maximam implent libri Clementinarum partem.

Pisanum.

Concilium Pisanum indictum fuit a Cardinalibus anno 1409. Cum enim Gregorius XII. Pontifex, & Benedictus XIII. Pseudo-pontifex, contra fidem electionis suæ tempore datam, in discordia persisterent, ac tergiversanter agerent; utriusque partis Cardinales XXII. ad Pisanam Synodum convenientes, utrumque post debitam citationem exauctorarunt, & in Pontificem elegerunt optimum doctissimumque virum, Alexandrum V. Ordinis nostri Professum, & Tituli Basilicæ SS. XII. Apostolorum Presbyterum Cardinalem.

Præter Cardinales adfuere Concilio Patriarchæ quatuor, scilicet Alexandrinus, Antiochenus,

nus, Jerosolymitanus, & Gradensis, Archiepiscopi 24. Episcopi circiter 300. innumeri Abbates, & Theologi, necnon Universitatum Principumque Legati. Præfuit vero Cardinalis Pictaviensis, Cardinalium utriusque partis Decanus, usque ad electionem Alexandri V. qui deinceps ipse præfuit, Conciliique decreta speciali diplomate confirmavit.

Nonnulli Concilium istud negant Œcumenicum fuisse, cum non fuerit a Pontifice convocatum, nec ipso absoluto schisma cessaverit. Verum quia Alexandrum V. omnes fere tanquam legitimum Pontificem agnoscunt, atque grassante schismate aliis, quam Capiti, de cujus auctoritate controvertitur, committi debet Synodi congregandæ facultas, non potest Pisani Concilii firmitas oppugnari ex eo, quod fuerit a Cardinalibus & Episcopis ad tollendum schisma coactum.

Idem denique Concilium, quantum in se erat, schisma sustulit, schismaticos Pseudo-pontifices exauctorando, legitimumque Pontificem eligendo; quamvis ob illorum pertinaciam Ecclesiæ judicio acquiescere detrectantium, schisma fuerit continuatum. Sicut igitur alia Concilia ad evellendas hæreses, Hæreticosque comprimendos, & ad Græcorum schisma extinguendum congregata, ceu legitima & Œcumenica veneramur; quamvis post eorum celebrationem nihilo minus grassatæ sint hæreses, eodemque schismate Græca Ecclesia a Latina divisa permanserit; ita legitima & Œcumenica fuisse dicenda est Pisana Synodus, etiamsi schisma penitus non extinxerit; cum ad illius extinctionem id omne præstiterit, quod jure poterat ac debebat. Sed de hoc satis.

Con-

Constantiense.

Concilium Constantiense coactum fuit anno 1414. a Joanne XXIII. Alexandri V. successore, curante Sigismundo Romanorum Imperatore. Adfuerunt Patriarchæ quatuor, Cardinales viginti novem, Archiepiscopi quadraginta septem, Episcopi centum quinquaginta, vel sexaginta, plerique etiam Abbates ac Theologi, necnon ipse Sigismundus cum pluribus Germaniæ Principibus.

Duabus prioribus sessionibus, uti legitimus Pontifex præfuit Joannes XXIII. Post ejus vero a Concilio discessum, sessioni tertiæ præfuit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis; quartæ autem, Jordanus Albanensis Episcopus, Cardinalis de Ursinis; ceteris deinde usque ad quadragesimam primam inclusive, Joannes Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis; & quatuor postremis præfuit Martinus V. tunc recens electus.

Hac in Synodo e Pontificatu dejectus est Joannes, qui etsi primum scripto & jurejurando humiliter spopondisset se Ecclesiæ regimen dimissurum, si ad schismatis extirpationem necessarium videretur; id tamen exequi postea detrectavit, & e Synodo clam evasit: indeque inauguratus est Otho Cardinalis Diaconus titulo S. Georgii ex præclara Columnensium familia, qui Martini V. nomen assumpsit, cum undecima Novembris die S. Martino sacra fuisset electus.

Proscripti sunt insuper quadraginta quinque articuli Joannis Viclefi; ejusque libros omnes, & ossa exhumata comburi decretum est. Damnati quoque fuerunt Joannes Hus, & Hieronymus de Praga, qui omnia fere Viclefi dogmata propugnabant. Editum denique Decretum est de Communione sub unica specie.

Hic nota, Catholicos omnes tanquam Œcumenicum habere Constantiense Concilium quoad ultimas sessiones, & quoad decreta quæ ad fidei materiam spectant, & a Martino V. probata fuerunt. Quoad alias autem sessiones num Œcumenicum illud sit, non una est Theologorum opinio. Vero nobis similius videtur pro Œcumenico non esse tenendum in prioribus sessionibus, quarum decreta nunquam Romani Pontifices probavere; cujusmodi est quod sessione 4. & 5. asseritur de potestate immediate a Christo collata generali Concilio, cui parere ipsi quoque Pontifices teneantur. Vide autem quæ hac de re in sequenti libro dicemus.

Basileense.

Basileense Concilium indictum fuit a Martino V. anno 1424. ut celebraretur anno 1431. Cujus indictionis causa I. fuit, Bohemos ad Catholicam Ecclesiam revocare, qui adhuc in damnatis Viclefi, & Hus erroribus persistebant: II. pacem conciliare inter Principes Christianos, qui mutuis inter se bellis Christianam Rempublicam divexabant: III. demum, reformare Clerum; quod tentatum quidem, perfectum vero minime fuerat in Constantiensi Concilio. Cum tamen Martinus hoc anno e vita migrasset, Eugenius IV. ejus successor Basileensis Concilii indictionem ratam habuit, jussitque Juliano Cardinali Diacono S. Angeli, ut Synodo suo nomine præsideret.

Inchoatum itaque Concilium est anno 1431. die 19. Maii, indictaque fuit prior Sessio pro die 14. Decembris. Cum vero congregati Patres, sub specie reformandi Ecclesiæ mores, nonnulla atque præcipua Romanæ Ecclesiæ pri-

vilegia abolere molirentur, Eugenius sequenti anno Synodum dissolvere studuit, aliamque Bononiæ celebrandam indixit. Huic decreto restitere Basileenses Patres, asserentes Concilium legitime congregatum neque a Papa dissolvi posse, alioque transferri.

Diu multumque dissidium istud efferbuit, donec anno 1434. adlaborantibus Imperatore, aliisque Principibus, Eugenius latum de Concilii dissolutione Decretum revocavit, seque ipsum ei adfuturum esse promisit.

His itaque compositis, dum consentiente Eugenio, præsentibusque ejus Legatis Basileæ Synodus continuaretur, sessione 25. anno 1437. alia inter Patres dissensio orta est circa futuri Concilii locum pro ineunda Græcorum cum Latinis unione. Duas in partes scissi; duo contraria decreta tulere. Pars una cum Sedis Apostolicæ Legatis, & plerisque Præsulibus, pro futuri Concilii loco Florentiam, vel Utinum, Urbes Græcorum Romanique Pontificis itineri commodas, designavit: pars verò altera, duce Ludovico Cardinali Arelatensi, Basileæ, vel Avenione, vel in Sabaudia celebrandum illud esse constituit.

Eugenius decretum de electione Ferrariæ confirmavit die 29. Maji anno 1437. spretisque oppositæ partis citationibus ac minis, de Cardinalium & Episcoporum consilio & consensu, Basileense Concilium Ferrariam transtulit. Contraria tamen pars Basileæ persistens, prædictum Cardinalem Ludovicum sibi Præsidem elegit, in Eugenium IV. iniquam depositionis sententiam promulgavit, creavitque Pseudo pontificem Amadeum Sabaudiæ Ducem, cui Felicis V. nomen imposuit.

Ex quibus apparet, initio quidem legitimum fuisse Basileense Concilium, dum nempe ei Eugenius IV. Pontifex Romanus adhæsit; dum vero ab illo defecit, præsertimque quum Ferrariam translatum fuit, Conventus qui Basileæ sedere perrexit, auctoritate caruit, & in schismaticum Conciliabulum aperte descivit.

Florentinum.

Soluto per Eugenii IV. decretum Basileensi Concilio, Ferrariense aliud pro Græcorum cum Latinis unione inchoatum est anno 1438. die 9. Aprilis; ad quod convenere ipse Pontifex, & Joannes Palæologus Græcorum Imperator, ac Joseph Patriarcha Constantinopolitanus, pluresque Præsules tum Latini, tum Græci. Ob grassantem vero Ferrariæ pestem Concilium Florentiam translatum est, ibique absolutum; quapropter vulgo dicitur Florentinum.

In hoc Concilio disceptatum diu fuit de Purgatorio, de præsenti Sanctorum gloria, de azymi vel fermentati panis usu in Eucharistia conficienda, de primatu Romani Pontificis, ac præsertim de processione Spiritus Sancti a Filio, & de additione symbolo facta particulæ *Filioque*. Sed inita tandem concordia est, unionisque Decreto subscripserunt Græci omnes, excepto dumtaxat Marco Ephesino, qui in Græciam redux complures ad instaurandum schisma permovit.

Post Græcorum discessum, secuta est Armenorum, & Jacobinorum unio, eisque ab Eugenio IV. data fuit instructio, qua Catholicæ Ecclesiæ fides exponitur.

Lateranense V.

Lateranense Concilium V. inchoatum est sub Julio II. anno 1512. die 10. Maji, absolutum ve-

vero fuit anno 1517. die 16. Martii sub Leone X. Quatuor primis sessionibus præfuit Julius Pontifex: quintæ autem, cum Julius lethali morbo decumberet, præfuit Raphael Ostiensis Episcopus Cardinalis; aliis denique septem præfuit Leo X. recenter electus.

Adfuerunt centum & quatuordecim Episcopi, decem & octo Cardinales, tres insuper Patriarchæ, Alexandrinus videlicet, Antiochenus, & Aquilejensis, aliique quamplures Prælati, Abbates, Ordinum Generales, & Principum Oratores.

Potissima convocandi Concilii causa fuit imminentis schismatis extinctio. Dissidio enim belloque fervente inter Julium II. & Ludovicum XII, Galliæ Regem, hic Comitiis apud Turones habitis, de indicendo Concilio Germanicæ & Gallicæ nationis, consentiente Maximiliano Imperatore, deliberavit, per literas ad id exequendum incitatis Cardinalibus quibusdam erga Julium Pontificem male affectis. Hi itaque Pisanum Conciliabulum indixere, celebrandum anno 1511. ad quod cum pluribus, Galliæ præsertim, Episcopis accessere. Julius autem ut exorto schismati confestim occurreret, Pisanumque Conventiculum cito dissolveret, Lateranenense Concilium convocavit.

Celebratum est insuper idem Concilium ad instaurandam morum disciplinam, ad sarciendam inter Christianos Principes concordiam, & ad suscipiendam sacram adversus Turcas expeditionem.

Ab hac itaque Synodo prædicti Pisani Conciliabuli acta fuere rescissa; proscripta est Pragmatica Caroli VII. Galliæ Regis Sanctio, & in ejus locum substituta sunt pacta inter Leonem X. & Franciscum I. Bononiæ concordata; quidam

dam præterea schismatici Cardinales veniam poscentes, dignitati suæ sunt restituti; pluraque alia ad fidem moresque spectantia saluberrime decreta fuere.

Tridentinum.

Concilium Tridentinum, inter Œcumenica ultimum, indictum fuit a Paulo III. anno 1542. celebrari autem cœptum est anno 1545. sub eodem Pontifice, duravitque ad annum usque 1563. sub Julio III. & Pio IV. a quo etiam confirmatum est, & publicatum.

Interfuerunt autem & subscripsere decretis Cardinales sex, ex quibus Legati quatuor; Patriarchæ insuper tres, Archiepiscopi viginti quinque, Episcopi centum sexaginta octo, & triginta novem Procuratores absentium, Abbates septem, totidemque Regularium Ordinum summi Moderatores. Adfuerunt denique plures cujuslibet instituti Theologi.

Duplex fuit causa cogendi ac celebrandi Synodum Tridentinam. Prima nempe, ut confirmaretur fides contra Lutheri, Zuinglii, Calvini, pluriumque aliorum Hæreticorum errores.. Altera vero, ut restitueretur Ecclesiæ disciplina, quam bella ac hæreses plurimum labefactaverant: hinc illa singulis fere Sessionibus post fidei definitionem Decretum de reformatione subjungit..

DE

DE PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ LOCIS

LIBER V.

Ubi de Romani Pontificis auctoritate differitur.



Ostquam prioribus libris de Ecclesia, Conciliisque tractavimus, recto nunc ordine de Romano Pontifice orationem ingredimur. Sicut enim corpus a capite, & ædificium a fundamento dependet, suamque recipit firmitatem; ita Ecclesiæ, & Conciliorum auctoritas Romani Pontificis auctoritate fulcitur.

CAPUT I.

An S. Petrus constitutus a Christo fuerit omnium Apostolorum primus, universæque Ecclesiæ fundamentum?

ROmanus Pontifex idcirco primatum supra Episcopos alios obtinet, quod succedat Petro, primo in terris Christi Vicario; cui nempe Christus ipse primatum concessit supra ceteros Apostolos, & universam Ecclesiam, non ut in illo defineret, sed ut ab eo ad Successores transiret, duraretque perpetuo, quamdiu scilicet duraret Ecclesia. Hinc Lutherus, Calvinus, eorumque symmystæ, qui nolunt in Romano Pontifice Capitis dignitatem admittere, negant pariter Petrum supra reliquos Apostolos habuisse primatum.

Anno præterea 1645. duo libri in lucem prodiere Gallico sermone conscripti, qui parem potestatem, auctoritatemque Petro, & Paulo deferebant; quasi quod illi fuerint duo Ecclesiæ capita, in unum veluti commune caput coalescentia: at Innocentius X. die 24. Januarii anno 1647. assertionem illam tanquam hæreticam notandam censuit, idque verbis istis expressit: *Propositionem hanc, S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unum efficiunt;*

vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi, ac supremi Duces, summa inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus Ecclesiæ universalis vertex, qui in unum divinissime coaluerunt; vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides, qui unicum Caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ, sanctissimus Pontifex hæreticam censuit, & declaravit.

Propositio. S. Petrus accepit a Christo primatum supra alios Apostolos, ac supra universalem Ecclesiam.

Probatur. Ille primatum a Christo obtinuit, super quem Christus Ecclesiam suam ædificaturum se fore promisit: atqui id Christus Petro promisit, inquiens Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Christus enim, audita Petri præ ceteris Apostolis confessione, dicentis, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, tam insignis confessionis vicem ac mercedem rependere volens, subdit, *Et ego dico tibi, &c.* quibus profecto verbis Petro spopondit, quod futurus esset totius Ecclesiæ fundamentum, adeo firmum, ut portæ inferi prævaliture nunquam forent adversus eam tam bene stabiliterque locatam.

Quod autem citato loco Christus Petro promisit, reipsa post resurrectionem tradidit, quando, Joan. c. 21., rursum præsentibus aliis Apostolis ei post trinam amoris interrogationem, quarum prima fuit, v. 15. *Diligis me plus his?* peculiariter dixit, *Pasce agnos meos, & pasce oves meas*; id est, rege universam Ecclesiam meam, in

in qua velut ovili agni cum ovibus, nempe minores cum majoribus commorantur.

Idem præterea Petri primatus ostenditur ex eo quod Christus speciatim pro ipso rogaverit, ne in fide deficeret, fratresque suos, alios nimirum Apostolos, confirmaret. Lucæ enim 22. v. 31. & 32. legitur: *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Ut enim in hunc locum adnotat S. Bonaventura: *Specialiter*, Christus, *Simonem alloquitur, tanquam principalem inter omnes Apostolos. Nam ei dictum est: Beatus es Simon Bar-Jona: Et post: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Istum ergo tanquam principalem lapidem & fundamentalem præmunit, ostendendo periculum pugnæ hostilis. &c.*

Hanc vero supremam inter Apostolos potestatem Petrus exercuit, cum Act. 1. v. 15. alium loco Judæ substituendum decrevit Apostolum; cumque ibidem c. 2. v. 14. & c. 10. v. 28. omnium primus Judæis, ac Gentilibus Evangelium promulgavit; cum primum quoque miraculum in fidei testimonium edidit c. 3. v. 6. cumque primus in Concilio locutus fuit, tulitque sententiam, in quam tota abiit multitudo, c. 15. v. 7.

Postremo Evangelistæ, cum Apostolos numerant, non tantum primo semper loco Petrum ponunt, sed etiam *primum* illum appellant. Ita Matthæus c. 10. v. 2. ait: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus.* Vide & Marci 3. v. 16. necnon Lucæ c. 6. v. 14. Probe itaque nove-

rant illi, quod Petrus a Christo primatum supra Apostolos alios accepisset. Lege Estium super Matth. c. 10. v. 2.

Eadem Catholica veritas innumeris illustribusque sanctorum Patrum testimoniis confirmari facile potest; nos tamen brevitatis studio ex plurimis nonnulla dumtaxat adducimus. Primus itaque ex Latinis Patribus esto Cyprianus qui in epist. 71. ad Quintum perspicuis hisce verbis Petro primatum attribuit: *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit; ut diceret se primatum tenere, & obtemperari a novellis, & posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum: &c.*

Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum id ipsum affirmat, ita scribens: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur; ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret.*

Ambrosius in cap. ult. Lucæ de Petro sic ait: *Quia solus profitetur* Christi divinitatem *ex omnibus, omnibus antefertur*. Et Augustinus tract. 56. in Joannem inquit: *Quis enim nesciat primum Apostolorum esse Beatissimum Petrum?*

Itemque S. Leo id ipsum passim affirmat, ac præsertim serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum ait: *De toto Mundo unus Petrus eli-*

gi-

gitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Idem denique docent Hilarius in c. 16. Matthæi, Hieronymus in epist. ad Damasum, aliique passim omnes.

Consonant & Græci Patres, quos inter Basilius in Prooemio de judicio Dei scribit: *Beatus ille Petrus omnibus discipulis prælatus, cui soli majora data quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, cui claves regni cœlorum concreditæ sunt*.

Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem inquit: *Præ aliis emicat ille ceterorum Caput, ac Princeps, & ait: Tu es Christus filius Dei vivi*.

Postremo Chrysostomus hom. 54. alias 55. in Matth. de Petro hæc habet: *Quid igitur os Apostolorum Petrus? semper fervens, chori Apostolici coryphæus, omnibus interrogatis, ipse respondet. Et cum de sententia populi sciscitaretur, omnes responderunt: cum autem de sua eos*, nimirum Apostolos, *rogaret*, Christus, *Petrus prosilit & prævertit, aitque*, Tu es Christus filius Dei vivi. *Quid ergo Christus?* Beatus es, Simon, &c. Scribit insuper hom. 32. in idem Evangelium: *Primus omnium est Coryphæus illiteratus & idiota*. Itemque hom. 87. in Joan. Petrum appellat, *Os*, *Principem*, *& Verticem Apostolorum*. Lege præterea Cyrillum Jerosol. catechesi 2. & 11. Gregorium Nazianzenum oratione 26. Epiphanium hæresi 51. &c.

Ex dictis itaque satis evidenter apparet, quod si Petrus tale fuerit Ecclesiæ caput, ut singu-

larem in universo Apostolorum cœtu primatum ac principatum habuerit, falsum omnino sit, Paulum fuisse alterum caput Ecclesiæ, in unum commune caput cum Petro aliquomodo coalescens. Unde Augustinus lib. 2. de Bapt. c. 1. postquam adduxit superius laudata Cypriani verba ex epistola ad Quintum, hæc addidit: *Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum, a posteriore Apostolo Paulo esse correctum.*

Objicies 1. Ea Christi Domini verba Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* Petri primatum haudquaquam ostendunt. Petræ enim nomine designatur ipse Christus, quem confessus est Petrus, & de quo scribit Apostolus 1. Cor. 10. v. 4. *Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Ut enim recte adnotat Augustinus tract. 124. in Joannem n. 5. *Non a Petro petra, sed Petrus a petra; sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; quia dixerat Petrus, Tu es Christus filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus; super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* His etiam similia scribit S. Doctor tum alibi, tum præsertim serm. 76. c. 1. Nonnulli præterea Patres per petram vel intelligunt fidei confessionem quam Petrus emisit, vel

vel omnes Apostolos, qui in Scripturis Ecclesiæ fundamenta dicuntur.

Resp. multifariam quidem a SS. Patribus exponi petræ nomen, quod laudato in testimonio occurrit; verum ea interpretatio magis ad literalem propriumque sensum accedit, quam supra tradidimus. De Petri namque persona sermonem esse contextus ipse declarat. Ille enim a Christo petra vocatur, qui eidem de se interroganti respondit, qui divinitatem ejus agnovit, qui ob ejusmodi confessionem novum Petri nomen accepit, qui denique regni cœlorum claves in præmium est assecutus: is autem solus est, & singularis, Simon Bar-Jona, quem Christus idcirco Beatum appellat.

Hinc bene in hunc Matthæi locum scribit Cl. Estius. „ Si ad Christum Petræ nomen referas, omnino torta ac violenta erit interpretatio, imo sermo sophisticus. Cum enim præcedentia, & sequentia de Petro dicantur, qui convenit, ut hoc medium de alio accipiatur? Quin potius ejus quod præcedit est explicatio: dat enim rationem nominis impositi, docens quomodo sit Petra, & quid super ea Petra sit extruendum. Quasi ergo sic loquitur: Tu es rupes, Tu es Petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi quem dixi rupem, dabo claves. “

Neque aliter hunc textum exposuit Augustinus in Psal. 69. n. 4. inquiens: *Petrus confessus erat filium Dei: & in illa confessione appellatus erat Petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.* Ac rursus in Psal. 138. n. 22. *Petrus, quia dixerat, Tu es Christus filius Dei vivi, audivit, Non tibi revelavit caro, & sanguis, sed Pater meus,*

qui in cælis est: ideo Petra, ideo Beatus. Hanc denique interpretationem alibi quoque commendat.

Interdum vero S. Doctor eadem verba, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, exponit de primaria Ecclesiæ petra, ac primario fundamento, Christo videlicet; cujus quidem interpretationis præcipua ratio fuit acerrimum bellum, quod ipsum inter, & Donatistas exarserat. Hi enim Baptismi virtutem a baptizantis ministri sanctitate pendere dicebant; proindeque non Deum-Hominem, sed hominem purum, id est, non Christum Dominum, sed Christi ministrum aliquo modo constituebant, tanquam primarium Ecclesiæ fundamentum. Quamobrem Augustinus, ne horum partes juvare, iisdemque favere videretur, si supra Petrum Ecclesiam ædificatam assereret, maluit de primaria petra Ecclesiæ, quæ est Christus Dominus, quam de secundaria ejusdem Ecclesiæ petra, quæ Petrus est, testimonium illud exponere.

Hinc in citato serm. 76. c. 1. n. 2. ait Augustinus: *Volentes homines ædificari super homines, dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ipse est Petrus. Et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super Petram: Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus, ubi cognovit se eligi, & Christum contemni, Divisus est, inquit, Christus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo nec in Pauli, sic nec in Petri, sed in nomine Christi; ut Petrus ædificaretur super Petram, non Petra super Petrum*.

Idem præterea S. Doctor in laudato tract.

124. in Joan. n. 5. primatum ſupra ceteros Apoſtolos in Petro fatetur, munuſque ſecundariæ petræ, ac ſecundarii poſt Chriſtum Dominum fundamenti univerſæ Eccleſiæ evidenter admittit, cum ante adducta verba ita loquatur: *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apoſtolus*. Lege & laudatum ſermonem 76. c. 1. n. 1.

Notamus hic inſuper, non dixiſſe Dominum Petro, Matth. 16. *Tu es Petrus*, ſed, *Tu es Petra*, *& ſuper hanc Petram &c.* ita enim habent Syriaca, Arabica, Æthiopica, & Perſica Verſiones. Chriſtus enim, ejuſque Apoſtoli vernacula Hebræi populi lingua uſi fuere, qua Chriſtus Petrum alloquens, ipſum *Kepha* appellavit: *Kepha* vero idem ſonat, ac Latina vox *Petra*; quam vocem Latinus noſter Vulgatus convertit ex Græco in maſculini generis vocem *Petrus*, qua deinceps Simon Bar-Jona, uſitato ac ſingulari nomine ipſi indito, *Petrus* eſt appellatus. Idcirco autem in Græco legitur: Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ: quoniam cum apud Græcos tam πέτρος, quam πέτρα lapidem ſaxumque ſignificet, Interpreti aptius viſum eſt, maſculo maſculinum, quam femininum nomen imponere. Deinde vero ad metaphoram explicandam, noluit ſecundo loco dicere, ἐπὶ τῷ πέτρῳ, quod fuiſſet ambiguum, ſed ἐπὶ τῇ πέτρᾳ; quod nihil aliud ſignificat quam ſaxum.

Hujus autem rei locupletiſſimum teſtem habemus S. Hieronymum, qui in c. 2. epiſt. ad

Ga-

Galatas vocem Hebraice sive Syriace, *Cephas*, Græce & Latine vertit in vocem *Petra*, atque: *Non quod aliud significet Petrus, aliud Cephas. Sed quod, quam nos Latine & Græce Petram vocamus, hanc Hebræi, & Syri, propter linguæ inter se viciniam, Cepham nuncupent.*

Ex quibus apparet, apud Orientalium linguarum peritos locum habere non posse rationem illam, quæ ex etymologia nominis est desumpta. Non enim Simon a Christo Petra, *Petrus*; neque Christus a Simone Petro, *Petra*; sed Simon a Christo, qui Petra est, *Petra* similiter est appellatus, quando sic eum præ ceteris Apostolis honorificentissime est allocutus, *Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Id agnovit etiam Augustinus, dum lib. 1. Retract. c. 21. recensens librum quem contra epistolam Donati conscripserat, inquit: *In quo dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse quod a Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi: ac sic Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur, & accepit claves regni cælorum. Non enim dictum est illi, Tu es Petra; sed, Tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur,*

di-

dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.

Postremo, fidei confessio quam Petrus edidit, dici eo tantum in sensu potest Ecclesiæ fundamentum, quod causa fuerit, per quam S. Petrus primatum Apostolatus a Christo obtinere meruerit; sicut & ipsa fides, quia veluti forma quædam est, qua Ecclesiæ ædificium continetur, fundamentum ejus quodammodo dici potest. Alii vero Apostoli Ecclesiæ fundamenta dicuntur, juxta illud ad Ephes. 2. v. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*; quatenus missi a Christo fuerunt, ut Dei verbum ubique annuntiarent, cunctosque populos sacramentis alerent, & Episcoporum ordinatione ac ministerio communirent, utque demum reos monitionibus censurisque multarent. Ejusmodi tamen potestatem, auctoritatemque ita exercebant Apostoli, ut semper Petrum tanquam Caput a Christo constitutum venerari deberent. Unde Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum n.26. scribit: *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

Ex his itaque patet, Petri primatui non obstare quod legitur Matth. c. 18. v. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*; neque efficere quod habetur Joan. c. 20. v. 23. *Quorum remi-*

miseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Etsi enim ex hisce textibus inferatur, omnibus Apostolis datam a Christo fuisse clavium potestatem; non tamen ostenditur, datam omnibus fuisse prorsus æqualiter: cum principalius ampliusque data fuerit Petro, qui aliorum jam Caput designatus erat & Princeps. Quare Christus, ut ordinem aliquem in ligandi solvendique potestate monstraret, primo (& quidem per verba expressius significantia) Matth. 16. illam soli Petro dedit, ostendens, quod ejusmodi potestas ab eo in alios transire deberet; ac propterea etiam singulariter Petro dixit: *Confirma fratres tuos: Pasce oves meas*. Unde egregie S. Leo serm. 3. in anniversario die assumptionis suæ de Petro ait: *Ab ipso omnium charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit*. Et ante Leonem S. Optatus in lib. 7. contra Parmenianum n. 3. inquiebat: *Bono unitatis B. Petrus, cui satis erat si, post quod negavit, solam veniam consequeretur, & præferri Apostolis omnibus meruit, & claves regni cælorum communicandas ceteris, solus accepit*.

Objicies 2. S. Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiæ ait: *Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædITI & honoris, & potestatis*. Ac rursus ibidem: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*. Censet itaque S. Martyr, æqualem fuisse Apostolorum omnium potestatem, nullumque inter eos S. Petrum habuisse primatum.

Resp. ut supra notavimus, Apostolos omnes fuisse

fuisse quidem pares honore, ac potestate quoad prædicationis munus, ac jus fundandi regendique Ecclesias; ita tamen, ut ad unitatem servandam, & schisma tollendum, colere illi debuerint Petri primatum, sicuti Christus ipse statuerat. Id ex Cypriani etiam doctrina colligitur, qui laudato in libro ita de Petro scribit: *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam,* Christus, *& illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, . . . tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur,*

Altero item in textu Cyprianus unum dicit esse Episcopatum, quia Ecclesiastica unitas a S. Petro, ejusque Successoribus descendit; quomodo radii a Sole, rami ab arbore, rivi a fonte procedunt. Ita nimirum Episcopatus est unus, ut quamvis Episcoporum omnium auctoritas immediate sit a Christo, unitatis tamen caput, & origo sit solus Petrus.

Objicies 3. Augustini sententia est, quod quum Petrus dixit, *Tu es Christus, &c.* omnium Apostolorum nomine locutus fuerit, & eorum etiam omnium nomine audiverit, *Beatus es &c. Et tibi dabo &c* & quod hæc verba referenda non sint ad Apostolos quoad proprias solum personas inspectos, sed prout totam repræsentabant Ecclesiam: proindeque Christi

Christi promissio non Petro facta fuit, sed Ecclesiæ, cujus ille figuram expressit. Petri ergo primatus ex adducto testimonio inferri non potest. En autem perspicua Augustini verba ex tract. 118. in Joan n. 4. *Cum Apostoli omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, Tu es Christus Filius Dei vivi: & ei dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, tanquam ligandi, & solvendi solus acceperit potestatem, cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis, acceperit; ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus.*

Præterea, sermone 295. c. 2. ita S. Doctor de Apostolis loquitur; *Inter hos pene ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit, Tibi dabo claves regni cælorum. Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ: hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis, & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, Tibi trado, quod omnibus traditum est.*

Resp. eo in sensu dici posse, quod Petrus Apostolorum omnium nomine Christo responderit, quatenus illi Petrum respondentem audientes, confessioni ejus de Christi divinitate tacendo, & annuendo consenserint; vel quatenus Petrus, dum Christo respondit, figuram gesserit Apostolorum omnium, qui & ipsi postea Christi divinitatem confessi fuere; sicuti ob hoc idem dicitur universæ Ecclesiæ gessisse ac figurasse personam. Ceterum soli Petro factam fuisse de Christi divinitate revelationem, ipsumque solum ante alios Apostolos eandem fuisse

fuisse confessum, non tantum ex contextu apparet, verum etiam communiter affirmatur a Patribus, ipsoque Augustino, uti ex responsione ad 1. argumentum non obscure colligitur.

Ita pariter dum Augustinus affirmat, Petrum Apostolorum omnium totiusque Ecclesiæ nomine audivisse illud, *Tibi dabo*, *&c.*, Petri primatum haudquaquam excludit, sed aperte fatetur; uti præsertim patet ex iis quæ scribit in Psalmum 108. n. 1. *Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur; nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit, sicuti est, Tibi dabo claves regni cœlorum: & siqua hujusmodi.*

Juxta igitur Augustini mentem idcirco Petrus figuram Ecclesiæ tunc gestavit, quia non in suum, sed in Ecclesiæ commodum potestatem accepit; & quia non per ipsum solum Caput exercenda erat ea potestas, sed aliis etiam Ecclesiæ ministris erat communicanda; ac postremo quia hæc eadem moriente Petro desinere non debebat, sed perpetua successione in Ecclesia perdurare. Et hic quidem sensus non obscure reducet in verbis ex Sermone 295. citatis, ex quibus etiam Petri primatus evincitur.

Objicies 4. Plures ex Patribus aperte scripserunt, Petrum & Paulum habuisse parem in Ecclesia potestatem, & arctissima societate fuisse conjunctos. Ita inter alios Irenæus lib. 3. adversus hæreses c. 3. ait, *Ecclesiam Romanam a sanctis Apostolis Petro, & Paulo constitutam fuisse, ac fundatam*. Item Epiphanius hæresi 27. inquit: *Romæ primi omnium Petrus, & Paulus*

lus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt. Leo etiam ferm. 1. de Natali Apostolorum eos vocat, *Romanæ urbis Patres*, *ac Pastores*. Præterea Maximus Taurinensis hom. 5. in festo Apostolorum, eosdem appellat, *Principes Ecclesiarum*, *& fidei doctrinæ*. Denique de iisdem Apostolis scribit Augustinus ferm. 295. c. 7. *Illi duo unum erant; quanquam diversis diebus paterentur, unum erant*. His consonant Chrysostomus hom. 32. in epistolam ad Romanos, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 6. Ambrosius ferm. 12. qui est tertius de Natali SS. Petri, & Pauli, Gregorius M. lib. 1. Dialogorum c. 12. Petrus Damiani Opusculo 35. c. 4. aliique quamplures.

Resp. talem a SS. Patribus admissam fuisse æqualitatem Petrum inter, & Paulum, ut primatui Petri nihil omnino detraxerint, uti ex hucusque dictis apparet. Arctior vero illa societas, & conjunctio in eo consistit, quod Petrus & Paulus non solum, ut ceteri Apostoli, Œcumenicam auctoritatem, ac jurisdictionem habuerint, vi cujus quocunque se ferrent, ibi essent commorantis gregis Episcopi; verum insuper, quod communi consilio, operaque ambo consenserint in prima Romanæ Ecclesiæ institutione, instructione, & administratione; proindeque ambo ejusdem Ecclesiæ Conditores fuerint, Doctores, & Pastores; uti SS. Patres objectis in locis affirmant. At Petrus ordinaria potestate, & jurisdictione id egit propter Apostolatus sui primatum, quem ipse per sese Romæ firmavit, suisque Successoribus hæreditate reliquit: Paulus autem potestate, & jurisdictione extraordinaria ob Apostolicum munus, in quo Œcumeni-

cus

cus Episcopatus, ac proinde Episcopatus etiam Romanus continebatur. Extraordinaria insuper Pauli jurisdictio, & potestas, in conspectu posita ordinariæ jurisdictionis, & potestatis, quæ residebat in Petro, eatenus progrediebatur, quatenus ordinaria jurisdictio, & potestas Petri eam progredi, ac pervenire sinebat.

Fuerunt itaque tum Petrus, tum Paulus Romanæ Urbis Episcopi; sed non æquo, parique jure; cum solus Petrus ordinariam, supremamque ibi potestatem habuerit. Quapropter, uti citato in loco refert Epiphanius, impositis manibus non a Paulo, sed a Petro Clemens Romæ Episcopus consecratus fuit: & Leo in laudato Sermone pronunciat, Urbem Romam *per Beati Petri sedem caput orbis effectam*; quod evidenter ejusdem Petri primatum ostendit.

Item S. Maximus utrumque quidem Apostolum nominat Ecclesiarum & Christianæ fidei Principem; ita tamen, ut Petrus Princeps fuerit ratione supremi regiminis, & potestatis; Paulus autem ratione diffusissimæ prædicationis; non enim ulla peculiaris Provincia, Christianis moribus imbuenda, ut Apostolis aliis, Paulo obtigit, sed ubique terrarum Apostolicum munus obivit. *Petro*, ait laudatus Pater in commemorato Sermone, *sicut bono dispensatori, clavem regni cœlestis dedit. Paulo tanquam idoneo doctori, magisterium Ecclesiasticæ institutionis injunxit; scilicet ut quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem; ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum... Ambo igitur claves a Domino perceperunt; scientiæ iste, ille potentiæ*. Ex quo patet, Petrum

 fuisse

fuisse Principem majorem ob sui primatum; Paulum vero Principem minorem propter munus Apostolicum: atque per id exponitur etiam quod in antiphona illa dicitur: *Gloriosi Principes terræ, &c.* quamvis de omnibus Apostolis dicat Ecclesia: *Constitues eos Principes, &c.*

Ut autem veritatem istam uberiori in lumine collocemus, advertimus 1. dum Romani Pontifices se Petri & Pauli successores appellant, ajuntque utriusque se auctoritate decernere; intelligi id quidem posse hoc sensu, quod tum Petrus, tum Paulus Episcopalem auctoritatem in eosdem Pontifices transmiserint; ita tamen, ut solus Petrus capitis prærogativam, jus nempe universalis regiminis cum Episcopali gradu consusum, in Romanos Episcopos transtulisse dicatur; atque ideo illi personam Petri exhibent, & Episcopi ordinarii sunt, cum ordinaria supremaque jurisdictione Christianum populum moderantes.

Notamus insuper, quod etsi in quibusdam utriusque Apostoli imaginibus interdum Petrus, interdum vero Paulus dextero loco ponatur; id neque paritatem, neque disparitatem juris, vel dignitatis evincit: nam pro temporum morumque varietate varia est ac fuit olim loci modo dexteri, modo sinistri præstantia. Lege Bellarminum de Romano Pontifice lib. 1. c. 27. Petrum de Marca in Exercitatione de singulari primatu Petri, Leonem Allatium de perpetua consensione Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ lib. 1. c. 6. &c.

CAPUT II.

Num Romanus Pontifex honoris, & jurisdictionis primatum supra ceteros Episcopos divino jure fruatur?

Romani Pontificis in universa Ecclesia primatum, quem tota semper celebravit antiquitas, Græci schismatici, recentioresque Hæretici totis viribus impugnare tentarunt. Horum præterea plures, quorum impudentiam frangere breviter quidem, sed nervose fategimus in lib. 21. de Theol. Institutis c. 1., eundem Pontificem jamdiu in Antichristum degenerasse dixerunt.

Concors tamen Catholicorum omnium sententia est, Romanum Pontificem in universa Ecclesia obtinere primatum, non honoris dumtaxat & ordinis, verum etiam jurisdictionis, & auctoritatis; talemque primatum ei non humano, sed divino jure, nimirum ex Christi institutione competere. Sit itaque

Propositio. Romanus Pontifex divino jure in Christi Ecclesia non honoris tantum, sed & potestatis primatu potitur.

Probatur. Petrus a Christo non honoris tantum, sed & potestatis primatum obtinuit, uti priori in capite demonstratum est. Atqui ejusmodi primatus dignitas in Romano adhuc Pontifice perseverat. Non enim ea dignitas colla-

ta Petro fuit, ut in sui dumtaxat bonum cederet, sed ut in bonum universalis Ecclesiæ redundaret; tamdiu ergo durare illa debet, quamdiu ipsa durat Ecclesia, usque nimirum ad seculi consummationem; proindeque in Petri etiam successore persistit. Petri vero successor alius non est, quam Romanus Episcopus, qui ibi Cathedram tenet, ubi Petrus sedit, & ubi extremum diem gloriosa morte confecit. Ergo Romanus Pontifex divino jure primatum jurisdictionis & potestatis habet in universa Christi Ecclesia.

Hanc Catholicam veritatem passim adstruunt SS. Patres, dum Romanam Sedem Petri Cathedram ac Sedem appellant, dum Petrum per Romanum Pontificem loqui ac judicare testantur, dum tandem in Romana Ecclesia Apostolicæ Cathedræ principatum vigere pronunciant. *Ego*, ait Hieronymus epistola 15. alias 57. ad Damasum, *nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri, communione consocior*. Et Petrus Chrysologus in epist. ad Eutychetem, ipsum adhortans ut Romano Pontifici pareat, inquit: *Quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem*. Denique Augustinus epist. 43. alias 162. scribit: *In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus*, Ac rursum in lib. 2. contra literas Petiliani c. 51. *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet?* Est igitur Romanus Pontifex Petri successor, & jurisdictionis primatu non secus ac ille ex Christi institutione potitur; quod alii omnes Græci Latinique

Patres apertissime docuerunt, uti etiam ex infra dicendis meridiana luce splendidius apparebit.

Hunc quoque primatum generalia Concilia in Romanis Episcopis agnovisse, dubitari non potest. Nicænum enim I. uti refertur Actione 16. Concilii Chalcedonensis, Canone 6. sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, &c.* Ad hunc Canonem attendens Nicolaus I. in epistola 8. ad Michaelem Imperatorem inquit: *Si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profecto, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potius ex ejus forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter, sumpsit exemplum.*

Constantinopolitanum I. Canone 3. ait: *Constantinopolitanus Episcopus habeat primatus honorem post Romanum Episcopum.* Ubi profecto privilegium quo ab antiquo Romana fruebatur Ecclesia, sartum ei tectumque esse decernitur, dum recens honor Episcopo Constantinopolitano conceditur.

Ephesini præterea Concilii Patres Actione I. ita loquuntur: *Coacti per sacros Canones, & Epistolam SS. Patris nostri, & Comministri Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum,* nempe Nestorium, *sententiam necessario venimus, &c.* Hic sane laudati Patres in Romano Pontifice specialem ac primariam auctoritatem admittunt, cum se per Canones, & *per Cælestini Epistolam* compulsos ad ferendam in Nestorium excommunicationis sententiam fateantur.

Eadem etiam in Synodo Act. 3. Philippus Presbyter, & Apostolicæ Sedis Legatus, nemine reclamante sic ait: *Nulli dubium, imo seculis omnibus notum est, quod Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps & Caput, fideique columna, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves Regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est; qui ad hoc usque tempus, & semper in suis Successoribus vivit, & judicium exercet.* Modo exercere judicium non honoris solum, sed & jurisdictionis primatum exposcit.

Ad hæc, Chalcedonensis Concilii Patres Actione 2. postquam lecta fuit S. Leonis Epistola, clamaverunt: *Petrus per Leonem ita locutus est.* Et Act. 3. Paschasinus, ceterique Summi Pontificis Legati dixerunt: *Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem Sanctam Synodum, una cum ter Beatissimo, & omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ* Ecclesiæ, *& rectæ fidei fundamentum, nudavit eum* (Dioscorum) *tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio.* Id autem jurisdictionem, ac potestatem evidenter ostendit; sicut etiam, quod iidem Patres Leonem rogaverint, ut confirmare vellet, quæ ipsi statuerant: *Rogamus igitur*, ajunt in relatione Synodi ad S. Leonem, *& tuis decretis nostrum honora judicium: & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic & summitas tua filiis quod decet adimpleat.*

Cum insuper in Florentino Concilio quæstio de

de Romani Pontificis primatu inter Latinos, Græcosque pluribus collationibus ac disputationibus ventilata fuisset, hoc postea Decreto diremta est: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Quibus profecto verbis adduci nil clarius potest, ut thesis nostra firmetur.

Accedit quoque Synodus Tridentina, quæ sess. 14. de Pœnitentia c. 7. ita habet: *Merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Id vero non honorem dumtaxat, sed jurisdictionem, auctoritatem, & potestatem importat.

Ex Ecclesiastica demum historia constat primo, Romanum Pontificem semper leges & præcepta tulisse, quæ ad totius Ecclesiæ regimen pertinerent, cunctosque fideles obstringerent; anathemate etiam, aliisque pœnis earundem legum violatores persæpe mulctando. Constat 2. ipsum in Ecclesiasticis Canonibus, ac votis, aliisque similibus cum plurimis, Episcopis etiam, sæpissime dispensasse. Patet 3. interdum ab illo Episcopos quosdam fuisse depositos, interdum vero suis Sedibus restitutos. Liquet postremo, in gravioribus ac difficillimis

mis causis appellatum semper fuisse ad Romanum Pontificem, tanquam ad supremum Judicem, cujus auctoritas ipsum etiam judicii modum contra Episcopos definivit. Atqui præclarissima hujusmodi munera sine jurisdictionis auctoritatisque primatu exerceri non possunt: Habet igitur Romanus Pontifex hunc primatum: Habet autem ut Petri successor: Ergo ex Christi institutione, & jure divino id habet.

Objicies 1. Idcirco Romano Pontifici jurisdictionis primatum supra Episcopos alios, universamque Ecclesiam convenire defendimus, quia illum in Romana Sede Petro successisse pro certo tenemus. Atqui incertum, imo & falsum, id esse non levia argumenta demonstrant. Nam primo non consentiunt Veteres circa annum, quo Romam Petrus adierit. Lactantius sub Nerone illius adventum statuit; Eusebius vero, Hieronymus, Ado, aliique plures Claudii anno secundo; rursum Paulus Orosius ejusdem Claudii imperantis exordio: quanquam secundo Claudii anno, recurrente Paschatis festo, Petrum Jerosolymis fuisse, & a Rege Agrippa in vincula conjectum, Angeli ope divinitus evasisse, ex Act. c. 12. certissime colligatur. Ex incerta igitur labilique traditione descendit opinio, quæ Petrum Romam petiisse tuetur.

Veterum præterea plures affirmant Petrum annis quinque & viginti Romæ sedisse; nihilo tamen minus illum decimo Claudii anno interfuisse Concilio Jerosolymis coacto, & anno post Concilium Antiochiam fuisse profectum, ibique a Paulo redargutum, constat ex Act. c. 15: & ex c. 2. ad Galatas.

Sed

Sed & Paulus, qui plures Roma scripsit epistolas, nusquam Petri meminit: meminisset autem, si ibi ille mansisset.

Ad hæc, juxta eorum hypothesim, qui Petrum viginti quinque annis Romæ sedisse putant, quarto Neronis anno in eadem fane Urbe ille manebat; at Paulus tunc temporis ad Romanos scribens, plurimos, quibus valedicit, enumerans, Petrum omnino præteriit. Sicut & Lucas in suis Actis de Romano Petri itinere perpetuum servat ubique silentium.

Postremo, ubi Paulus Romam pervenit, Fideles omnes ad eum confluxere; Petrus vero neque venientem excepit, neque captivum invisit. Inviserunt quidem Synagogæ Primarii, a quo & de Catholica Religione postularunt, Act. 28. 22. *Nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur:* sed eam utique non prætulissent inscitiam, si a Claudii imperantis exordio Petrus Romam profectus, Sedem ibi suam erexisset, erectamque firmasset.

Resp. communem veterum Patrum esse sententiam, quod Petrus Romam venerit, ibique translatam ex Antiochia Cathedram collocarit, ac æternam Sedem Christi Vicario Pontifici Romano posuerit. Id namque testantur Papias Joannis Evangelistæ discipulus, & Clemens Alex. apud Eusebium lib. 2. H. E. c. 14. & 15. Dionysius Corinthi Episcopus epist. ad Soterem Papam, Presbyter Cajus disceptat. adversus Proculum, Irenæus lib. 3. contra hæreses, Cyprianus epist. 55. ad Cornelium Papam, aliique ad unum omnes; uti inter ceteros demonstrarunt Augustinus, Calmet in Dissertatione *de itinere Romano S. Petri*, & Tournely in Præle-

lectionibus de Ecclesia q. 2. a. 6. Hinc ne ipsi quidem Hæretici ante decimum quintum Christi seculum de hoc itinere dubitarunt. Primus omnium id negavit Guilielmus de S. Amore Joannis Wicleffi præceptor, quem audacter secuti sunt Lutherus, & Magdeburgenses: Calvinum vero, aliosque ob unanimem constantemque Scriptorum consensum puduit denegare. Quinimo Basnagius ad annum 64. §. 9. fatetur, *nullam unquam traditionem fuisse, quæ majore testium numero cingatur*. Vide etiam Pearsonium in Dissertatione 1. *de successione primorum Romæ Episcoporum*, & Grotium in 1. Petri 5. 13., aliosque ex Hæreticis doctiores.

Duo itaque hac in re nobis sunt secernenda; alterum nempe, num Petrus Romam se vere contulerit; alterum autem, quo anno illuc appulerit, quamdiu ibi constiterit, per quænam loca illuc eundo transierit. In primo Veteres summa consensione conveniunt: de secundo autem agitari dissidium potest, quin primum vel levissime concutiatur. Alioquin, cum de anno, quo Christus obiit, inter Veteres non conveniat, de ejus etiam morte dubitare fas esset. At circumstantiarum quæ factum ponunt, dissidium, eidem potius confirmando, quam evertendo conducit.

Ceterum qui sub Nerone, & qui sub Claudio Petrum Romam petiisse scribunt, inter se minime pugnant; cum ille sub Claudio primum veniens, indeque commota in Christianos persecutione discedens, iterum Romam contendere sub Nerone potuerit.

Ita pariter conciliantur, qui Claudii anno secundo, & qui ejusdem imperantis exordio

Pe-

Petrum Romam profectum affirmant: annus enim secundus imperii, quod quatuordecim fere annis Claudius gessit, recte imperii initium appellatur. Nihil vero prohibet, quominus Petrus in Paschate sub anni secundi exordium Jerosolymis adfuerit, eodemque Claudii anno exeunte Romam advenerit.

Etsi autem ille quinque & viginti annis Romæ sederit (tot enim numerantur anni a secundo Claudii usque ad Neronis ultimum, quo Petrus martyrium consummavit) potuit tamen inde egredi, eoque annorum intervallo pluries iter modo in Orientem, modo in Occidentem habere; uti Spiritus Sancti ductus, & Ecclesiæ necessitas postularent. Quare nil vetat, quin Concilio Jerosolymis coacto præfuerit, Romanamque Sedem nihilominus non reliquerit; sicuti a suis Sedibus discedere non dicuntur Episcopi, qui ad Concilia celebranda conveniunt.

Neque mirum, si Paulus vel Roma ad alios, vel aliunde ad Romanos scribens, nunquam Petri meminerit: forte enim tum, quum Paulus scribebat, Petrus Romæ non erat; vel illi ad quos Apostolus epistolas dedit, præcipuam cum Petro seu societatem, seu necessitudinem non habebant; vel denique mille aliis de caussis id contigit, quas divinare non vacat.

Item ex S. Lucæ in Actis silentio Romanum Petri iter everti non potest. Non enim ille Petri historiam sibi referendam susceperit, cujus utique post sextumdecimum Actorum caput videtur oblitus, ut Pauli solius, cujus discipulus & cultor fuit, mentionem instituat.

Judæi vero, de quibus in ultima argumenti parte, ex Fidelibus non erant, & falsis, quos ab

ab Judææ Hebræorum epistolis & calumniis hauserant, opinionibus imbuti, Christianam Religionem solo nomine notam habebant. Itaque cum Paulus Romam ex Judæa venisset, eum quem doctum existimabant, facile adivere, ut de Christianis, in quos omnium Synagogarum odia exarserant, erudirentur. Licet autem tam ex Judæis, quam ex Ethnicis plurimi, qui fidem amplexi fuerant, Romæ degerent; cum tamen hi in Judæorum Synagogam minime convenirent, Epistola, quam Paulus ad eos nuper scripserat, ad Judæorum infideles facile non pervenit: quare nil mirum, si de illius rebus, de fidei ad quam se ipse contulerat, progressibus, & de causis, quibus Romam adductus fuerat, certiores sese minime reddiderunt, ajentes Act. 28. v. 21. *Nos neque literas accepimus de te a Judæa, neque aliquis fratrum adveniens nuntiavit, aut locutus est de te malum.*

Objicies 2. Prærogativa primatus Petro tributi vel dicenda est localis, vel personalis, vel mixta. Si primum; ergo cum Petrus Antiochiæ prius sederit, non potuit ab ea Urbe primatus auferri, quamvis inde discesserit. Si secundum; ergo nil locus primatui confert, nihilque juris in summo Pontificatu magis habet Ecclesia Romana, quam quælibet alia Ecclesia. Si tertium; ergo non sufficit ad primatum, ut quis sit Romanus Episcopus: privilegium enim partim locale, & partim personale non datur loco, nisi pro tempore quo ibi persona illa manet, cui privilegium concessum est.

Resp. privilegium primatus Ecclesiæ quoad primam sui a Christo institutionem Matth. 16. v. 18. & Joan. ult. v. 15. dumtaxat personale fuis-

fuisse, soli nempe Petri personæ collatum; postea tamen nutu jussuque ejusdem Christi factum etiam fuisse locale, affixumque Romanæ Ecclesiæ, a qua non potest humana ulla potestate divelli, ut infra dicemus. Tunc vero privilegium mixtum perit pereunte persona cui concessum est, quum ei conceditur, prout est privata persona, non publica: Petro autem, tanquam publicæ personæ, & in bonum totius Ecclesiæ, concessa fuit prærogativa primatus: Hic igitur in suis etiam successoribus Romanis Episcopis perpetuo perseverat.

Notandum hic est tota errasse via Calvinum, dum lib. 4. Instit. c. 6. §. 12. Antiocheno Episcopo Petri primatum adjudicat, tanquam ejusdem Apostolorum Principis in supremo totius Ecclesiæ regimine successore. Non enim quis succedit alteri, nisi hic ei locum cedat, vel per mortem naturalem, vel per mortem legitimam, nimirum per depositionem aut renunciationem: At Petrus adhuc vivens, summumque Pontificatum gerens, Antiochenam reliquit Ecclesiam, sedemque suam Romæ constituit, ubi & mortem oppetiit. Non ergo Antiochenus, sed Romanus Episcopus Petro in primatu succedit. Hinc Innocentius I. epist. 18. scribit: *Antiochia prima primi Apostoli sedes esse monstratur; ubi & nomen accepit religio Christiana; quæque Urbis Romæ Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet*. Hinc denique nunquam Antiochenus Episcopus sibi primatum arripuit: imo tertium dumtaxat ei locum inter Patriarchas sextus Nicæni Concilii Canon dedit.

Ob-

Objicies 3. Cyprianus in Præfatione tertii Concilii Carthaginensis ait : *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit*. Et infra : *Sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi*. Atqui si Romanus Pontifex supra Episcopos alios primatum jurisdictionis haberet, dicendus profecto esset Episcopus Episcoporum, eosque judicare posset ; saltem in causis fidei, cujusmodi erat celeberrima quæstio de rebaptizandis Hæreticis, de qua Cyprianus cum Stephano Romano Pontifice disputabat.

Resp. ad 1. Cyprianum ea loquendi ratione innuere voluisse, quod nulli Episcoporum in eo Concilio cui ipse præsedit, inferri vis posset, ut rebaptizationi, quæ ibi decreta est, faveret, aut adversaretur ; sed quemque liberrime suam de proposito argumento posse aperire sententiam. *Superest*, ait S. Martyr, *ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum*, &c. Dum igitur asserit inter Episcopos neminem esse Episcopum Episcoporum, de iis dumtaxat loquitur qui citatæ Carthaginensi Synodo intererant ; non de Romano, cui hunc titulum aliosque consimiles tribuerunt Tertullianus in lib. de Pudicitia c. 1. Hieronymus in Præfatione Evangeliorum ad Damasum, Stephanus Archiepiscopus Carthaginensis in epistola ad eundem Damasum, Bernardus in suis Epistolis ad Romanos Pontifices, Sexta Synodus Act. 18. in sermone Acclamatorio, &c.

Quod

Quod si cum Baronio, aliisque contenderis, a Cypriano alloquente Concilium Stephanum Romanum Pontificem tacito nomine fuisse notatum; ea verba intelligenda sic erunt: *Neque enim quisquam nostrum* (quemadmodum Stephanus) *Episcopum se Episcoporum constituit; aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit* (sicuti excommunicationis comminatione Stephanus nos adegit.*) His autem verbis non convellit Cyprianus Stephani potestatem atque jurisdictionem, quam ille jure primatus supra ceteros Episcopos obtinebat; sed conqueritur, quod primatu suo, supremaque, qua pollebat, auctoritate & jurisdictione, hac super re Stephanus abuteretur; in quo sane S. ille Martyr errabat.

Ad alterum. Quod asserit Cyprianus, solum Christum Dominum potestatem habere præponendi Episcopos in Ecclesiæ suæ gubernatione, eo accipiendum est sensu, quo Paulus Act. 20. v. 28. Episcopos alloquens, ait: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Quod autem solus Christus potestatem habeat de Episcoporum actu judicandi, cum ea cautione & exceptione accipiendum est, quam adhibuit Augustinus lib. 3. de Bapt. c. 3. ubi citatis iis Cypriani verbis inquit: *Opinor utique in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt*. In dubiis itaque tantum & obscuris quæstionibus, quæ ad disciplinam magis pertinent quam ad fidem (qualem fuisse controversiam de rebaptizandis Hæreticis Cyprianus putasse videtur) affirmat S. Martyr unicuique suam relinquendam esse sentiendi agendi-

dique licentiam, ac soli Deo reservandum esse judicium. In perspectis autem exploratisque causis posse Romanum Episcopum pro suo jurisdictionis primatu Episcopos alios judicare, ipsissima est Cypriani sententia, qui epistola 67. ad Stephanum, illum rogat, ut missis ad Arelatensem Provinciam Apostolicis literis, Marcianum ejusdem Urbis Episcopum, quod Novatianis favere compertum esset, Episcopali dignitate privet, ab Ecclesiastica communione sejungat, aliumque Episcopum illi substituat.

Objicies 4. Qui in universa Ecclesia primatum possidet, atque in ipsos Christiani Orbis Episcopos jurisdictionem exercet, is merito potest universalis Episcopi nomine insigniri. Atqui Romanus Pontifex eo nomine decorari non potest, ut docet Gregorius M. epistola 18. alias 38. libri 4. Verum jam huic argumento respondimus in Institutis nostris lib. 21. c. 1. ad 7. objectionem.

Objicies 5. Romanus Pontifex non alia de causa dicitur habere primatum, quam quia Petro in Romano Episcopatu succedit. Quod autem Petrus Romæ potius quam alibi Sedem fixerit, non ex speciali aliquo Christi mandato, sed ex sola ipsius Petri voluntate, puroque arbitrio repetendum est. Romani ergo Pontificis primatus non ex divina institutione ac jure, sed ex humano dumtaxat facto descendit.

Resp. verisimile non videri, quod ex solius Petri beneplacito primatus Romano Episcopatui sit annexus: alioquin posset aliquis Romanorum Pontificum divellere primatum a Romana Ecclesia, eundemque adnectere Ecclesiæ Avenionensi, aut alteri cuicumque: non enim Pontifex Romanus

est

est Petri Vicarius, sed successor, pari, qua ille, præditus potestate. Hac de re legendus inter alios plures est Suarez in disp. 10. de Summo Pontifice sect. 3. propos. 3. & Canus lib. 6. c. 8. ad 10. argumentum in fine.

Reponi præterea potest cum Bellarmino, Tournely, Boucat, aliisque Theologis distinguendam esse successionem, & rationem successionis: nam successio Romani Episcopi in Pontificatum Petri, ex Christi institutione divinoque jure descendit; quia ipse Christus in Petro Pontificatum instituit duraturum usque ad finem seculi: proindeque quicumque Petro succedit, a Christo dicitur Pontificatum accipere. Successionis autem ratio, qua Romanus potius quam Antiochenus Episcopus, vel quilibet alius Petro succedat, ex hujus facto initium habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam particularem Sedem sibi unquam eligere, sicuti fecit primis quinque annis; & tunc eo moriente, non Romanus, neque Antiochenus Episcopus successisset, sed is quem sibi elegisset Ecclesia: potuisset quoque semper Antiochiæ manere, & tunc proculdubio Antiochenus successisset Episcopus. Quia vero Romæ Sedem fixit, & tenuit usque ad mortem; idcirco Romanus Pontifex ei succedit.

Absolute igitur asserendum est, Romanum Pontificem jure divino primum esse Pastorem, & Caput totius Ecclesiæ; cum ad hoc nihil aliud requiratur, quam ut ipsa successio sit de jure divino; hoc est, ut ordinarium officium universam Ecclesiam summa cum potestate regendi, non ab hominibus, sed a Deo immediate fuerit institutum.

Ex hucusque dictis infertur, primatum Romano Pontifici concessum non fuisse a Constantino Magno, ut volunt Wicleffus, & Hus; neque a Constantino IV. ut asserit Lutherus; neque a Phoca, uti sentiunt Magdeburgenses; neque tandem a Pipino & Carolo Magno, ut Calvinus affirmat. Nemo enim horum spiritualem conferre potuit potestatem, qua ipsi carebant; & jam multo ante illorum omnium tempora Romanus Pontifex primatu in universam Ecclesiam fruebatur. Reges itaque, & Imperatores, sicut etiam Concilia, non ipsi contulere primatum Romano Pontifici, sed jam ei a Christo in Petro collatum tueri, firmare, ac colere studuerunt.

Objicere hic quoque solent Canonem sextum Nicæni Concilii, qui apud Rufinum lib. 1. H. E. c. 6. sic legitur: *Apud Alexandriam, & in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*. Ubi cum Romani Pontificis jurisdictio & auctoritas intra suburbicarias solum Ecclesias coarctetur, ipsius quoque primatus evidenter exploditur.

At admissa etiam Rufini interpretatione, quam tamen nonnulli rejiciunt, reponendum est per citatum Canonem coerceri intra suburbicariarum Ecclesiarum limites jurisdictionem Romani Episcopi, solum quatenus est Occidentis Patriarcha, non quatenus est Summus Pontifex, Christi Vicarius, Petrique Successor. Deinde juxta genuinam aliam versionem quam inter probationes adduximus, eo in Canone nullis circumscribitur limitibus potestas Romani Pontificis; cum tamen potestati Episcopi Alexan-

dri-

drini certi fines, intra Ægyptum scilicet, assignentur; ac proponatur Pontifex Romanus uti norma & exemplum auctoritatis, quam exercere debet Alexandrinus Episcopus.

CAPUT III.

An Romanus Pontifex superior sit generali Concilio?

RECentiores quidam Theologi, & maxime Galli, dum de Romani Pontificis primatu differitur, arbitrantur, illum quidem esse Caput, Pastoremque relate ad Fideles singulos, Ecclesiasque seorsim inspectas; non vero relate ad universam Ecclesiam simul sumptam, ac præsertim in Œcumenico Episcoporum Concilio congregatam. Hinc afferunt, quod dum Episcopi ad ferendum judicium eo in Concilio sedent, præside Romano Pontifice, sive per seipsum, sive per Legatos suos, major sit illorum Episcoporum omnium, quam Romani Pontificis, auctoritas, jurisdictio, judicandique potestas; adeo ut si forte in sententiam aliquam universi conspirarent Episcopi, ipsique Legati, Romanus vero Pontifex oppositum definiret, illorum potius, quam hujus judicio standum esset. Huic controversiæ lumen afferunt, quæ superiori in libro diximus, capite præsertim 4. Modo autem sit

Propositio. Romanus Pontifex generali Concilio præstat.

 Præ-

Probatur. Christus Dominus Matth. 16. v. 18. ait: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Ubi *Petræ* nomine ipse Petrus, ejusque Successores intelliguntur; uti ex supra dictis apparet. Petrus igitur, Romanusque Pontifex Petro succedens est universalis Ecclesiæ fundamentom tanta firmitate donatum, ut vel ipsæ inferorum portæ adversus Ecclesiam super ipsum ædificatam nequeant prævalere. Ergo sicut ædificium a fundamento, non fundamentum ab ædificio accipit firmitatem; ita, non Romanus Pontifex ab Œcumenico Concilio quod universam repræsentat Ecclesiam, sed istud ab illo dependet, solidamque infallibilitatem obtinet in rebus ad fidem moresque spectantibus.

Ad hæc, Lucæ 22. v. 32. Christus Petro ait: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sicut ergo ad Petrum pertinebat confirmare in fide Apostolos alios, ita ad Romanum spectat Episcopum alios Episcopos confirmare, non istos solum, aut illos, sed ad unum omnes; neque dispersos tantum, verum etiam in generali Synodo congregatos: nihil enim excipitur, ubi distinguitur nihil.

Deinde, Joan. 21. v. 15. 16. & 17. Christus Petro curam agnorum, oviumque commisit, inquiens: *Pasce agnos meos* ... *Pasce agnos meos* ... *Pasce oves meas.* Ovium vero nomine ipsi designantur Episcopi, uti Patres exponunt: cumque hi etiam dum in Œcumenico Concilio sedent, sint Christi oves; pascendi, docendi, regendique sunt a Petri Successore, Romano Pontifice; qui proinde Œcumenico Concilio superior dicendus est.

Hinc

Hinc jure meritoque S. Agatho Papa in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, quam Sexta Synodus approbavit, hæc inter alia ſcribit: *Petrus ſpiritales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium, terna commendatione paſcendas ſuſcepit; cujus annitente præſidio, hæc Apoſtolica ejus Eccleſia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa eſt, cujus auctoritatem, utpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis ſecutæ ſunt, omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam ejus doctrinam amplexi, per quam & probatiſſima Eccleſiæ Chriſti luminaria claruerunt: & ſancti quidem Doctores Orthodoxi venerati atque ſecuti ſunt, Hæretici autem falſis criminationibus ac derogationum odiis inſecuti.*

Romani præterea Pontifices ſummam ſemper exercuerunt ſuper Œcumenica Concilia poteſtatem; cum ea non ſolum pleno jure convocarint, & confirmarint, iiſdemque præfuerint; verum etiam, ubi neceſſe fuit, tranſtulerint, reſciderint, irritarint, ac tandem judicandi eorum facultatem certis limitibus circumſcripſerint. Ita Leo I. Epheſinam II. Synodum, convocatione Œcumenicam, improbavit, tranſtulitque Chalcedonem. Ad hujus autem Concilii Patres epiſtolam conſcripſit, quæ edendæ definitionis ſpecimen eis normamque præberet. *Rejecta*, inquit S. Pontifex, *penitus audacia diſputandi, . . . cum pleniſſime & luciſſime per literas quas ad beatæ memoriæ Flavianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de ſacramento Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti pia & ſincera confeſſio.*

Quæ insuper eo in Concilio lata in Hæreticos damnationis sententia est, ab ipso Leone lata dicitur in Actis, non ab Episcopis, sed per Episcopos, tanquam sententiæ Pontificiæ promulgatores. *Sanctissimus*, ajunt Patres Actione 3. *& beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo per nos & per præsentem sanctam Synodum, nudavit eum*, nempe Dioscorum, *tam Episcopatus dignitate, quam etiam & ab omni Sacerdotali alienavit ministerio*.

Idem denique Pontifex ab hujus Concilii Patribus exoratus, ut vigesimum octavum Canonem in gratiam Patriarchæ Constantinopolitani editum sua auctoritate firmaret, flecti non potuit; adeo, ut diu etiam in Orientali Ecclesia Canon ille suo effectu caruerit.

Alia quoque plurima sunt exempla, quibus evidenter ostenditur, Romanum Pontificem supremam semper potestatem super Œcumenica Concilia exercuisse, quin repugnarint Episcopi; qui profecto, si hujusmodi in eo auctoritatem minime agnovissent, de vi sibi illata, violatoque jure omni clamassent; imo & de manifesto Pontificiæ auctoritatis abusu cum Imperatoribus expostulassent; ea præsertim ætate, qua isti rebus sese Ecclesiasticis immiscebant, & Conciliorum celebrationibus implicabant. Lege quæ huc spectantia adducit exempla Leo X. in Constitutione, *Pastor æternus*, quæ sess. 11. Lateranensis Concilii V. lecta fuit.

Accedit huc pariter, quod a Pontificibus ad Concilia appellare permissum nunquam fuerit; a Conciliis tamen ad Pontifices provocare omnino licuerit: atqui, uti norunt omnes, ab inferiori dumtaxat ad superiorem interponi appellatio po-

potest: Pontifex igitur generali Concilio præstat, ejusque tribunal in Ecclesia supremum ultimumque est; uti etiam ex canonico Jure colligitur. Unde Nicolaus I. epist. 8. ad Michaelem Imperatorem ait: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium*. Hinc & Augustinus de Pelagianis a judicio duorum Pontificum, Innocentii I. & Zosimi I., a quibus damnati fuerant, ad Œcumenicum Concilium provocantibus, ita scribit lib. 4. ad Bonifacium c. ult. *Hanc gloriam Pelagianorum superbia captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. Cum potius vigilantia, & diligentia Pastorali, post factum de illis competens sufficiensque judicium* (Innocentii nimirum & Zosimi) *ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.*

E contrario tamen cum in Ephesino Concilio II. (quod etsi statim degenerarit in latrocinium, ex ipsa tamen convocatione, Legatorumque Pontificiorum destinatione atque missione Œcumenicum fuerat) damnatus esset S. Flavianus Constantinopolitanus Antistes, suaque Sede dejectus; licuit ei de Synodali sententia in se lata ad S. Leonem appellare, porrecto Legatis ipsius provocationis libello; uti Leo ipse Theodosio Imperatori per literas significavit: *Legati nostri fideliter reclamarunt*,

contra sententiam a factiosis Episcopis latam, *& eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit*.

In eadem etiam Ephesina Synodo Theodoretus Cyrensis Episcopus, damnationis sententia perculsus, ad S. Leonem appellavit; ut constat ex Actis Concilii Chalcedonensis, in quibus insuper fertur, quod cum eo in Concilio publice legerentur Acta Ephesinæ II. Synodi, atque ad id ventum esset, quod Flavianus Synodica sententia ictus, ad Leonem Pontificem de gravamine provocasset, ejusque appellationem Dioscorus aspernatus, nihil de sua impietate sævitiaque remittere voluisset; horrore ac stomacho affecti Patres unanimiter exclamarunt: *Anathema Dioscoro. Hac hora damnavit, hac hora damnetur. Sancte Domine, tu illum vindica. Domine, tu illum vindica. Catholice Imperator, tu illum vindica. Leoni multos annos*. Ita legitur tomo 4. Conciliorum Labbei pag. 305.

Macarius item Antiochenus, & alii, a sexta & sacrosancta generali Synodo damnati, ad Leonem II. Romanum tunc Pontificem provocarunt, Romamque ad causam prosequendam a Constantino Pogonato sunt missi, commendatitiis ab eo literis muniti, in quibus sic Imperator Pontificem interpellavit: *Omnes scriptis precibus Serenitatem nostram communiter precati sunt, ut eos ad vestram Beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eosque ad vos misimus, vestro paterno judicio omnem ipsorum causam permittentes*. Ex quibus satis superque constat, justas semper judicatas fuisse appellationes a Concilio ad Pontificem, tanquam ad supremum ultimumque tribunal.

Romanus denique Pontifex, tametsi graviter

ter & cum publico Ecclesiæ scandalo fortasse delinqueret (excepto tamen hæresis manifestæ casu, quo tunc Pontifex esse desineret, cum ea de causa Ecclesiæ membrum Caputque non esset) a Concilio etiam Œcumenico judicari non posset; sed unius Dei, quo solo minor est, judicio esset reservandus. Unde Innocentius III. serm. 2. de Consecratione Summi Pontificis ait: *In tantum fides mibi necessaria est, ut cum de ceteris peccatis solum Deum judicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari. Nam qui non credit, jam judicatus est*. Item in Canone, *Si Papa*, dist. 40. legitur: *Cunctos ipse judicaturus, a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius*. Idem quoque dicit Bonifacius Papa VIII. in Extravaganti, *Unam sanctam*, titulo, *De majoritate, & obedientia*. Lege etiam Concilium Œcumenicum VIII. seu Constantinopolitanum IV. sub Hadriano II. Actione 10., Romanumque Concilium sub eodem Hadriano cap. 3. Universa autem jura clamant, naturalique lumine notissimum est, subditum delinquentem, ab eo qui potestate auctoritate jurisdictione superior fuerit, posse legitime judicari. Est igitur Romanus Pontifex Œcumenico Concilio superior, si cum forte deliquerit, judicari ab illo non potest.

Objicies 1. Constantiense Concilium sessione 4. & 5. decrevit, Romanos Pontifices Œcumenicis Conciliis esse subjectos. En Decreti verba: *Hæc ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis*

palis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris. Atqui non superior, sed subditus dicendus est, qui obedire tenetur.

Resp. Constantiense Concilium eo tempore, quo Decretum illud edidit, generale & integrum non fuisse. Universa enim Ecclesia in tres factiones, seu uti loquebantur, obedientias scissa tunc erat; quarum altera Joanni XXIII. altera Benedicto XIII. altera Gregorio XII. obsequebatur; ac sola Joannis XXIII. obedientia Constantiam convenerat, Synodumque conflabat; imo teste Cardinale Joanne de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 2. c. 99. qui præsens Concilio aderat, *plures Patres doctissimi illius obedientiæ illi*, determinationi sive Decreto, *non præstiterunt consensum suum*. Ipse præterea Joannes XXIII. qui Synodum congregaverat, timens, ne Papatum abdicare cogeretur, jam aufugerat, & cum illo factionis suæ aliqui recesserunt; utque ibidem laudatus Cardinalis inquit, *amaro animo conquæstus est, falsa quædam & erronea adversus auctoritatem Romani Pontificis decreta per æmulos suos post recessum ejus esse conclusa*.

Præterea, Martinus V. electus eo in Concilio verus legitimusque Pontifex Decretum illud minime probavit; imo cum de confirmandis Constantiensis Concilii Decretis rogatus esset, respondit vivæ vocis oraculo, ac postea per Concilii Advocatum denunciari præcepit in ultima sessione, *se omnia & singula in materiis fidei a Concilio decreta approbare, & non aliter, nec alio modo*. Decretum vero quod nobis obijci-

jicitur, non *in materia fidei* est, sed disciplinæ; seu uti tunc loquebantur, in materia *reformationis* in Ecclesiam inducendæ. Ad reformationem enim Ecclesiæ procurandam in Capite & in membris, admodum conducere arbitrabantur Patres illi, si vel Pontifex ipse Catholicæ Ecclesiæ Caput Œcumenicis Conciliis subderetur, ut si forte delinqueret, corrigi posset, ac etiam castigari.

Postremo subjungimus, Decretum illud latum fuisse pro ea temporis conditione, quum trium Pontificum schismate scissa erat Ecclesia. Atque ita idem Decretum intelligendum est de Conciliis schismatis tempore celebratis, ac de dubiis Pontificibus (quales tunc tres illi erant) qui certe Œcumenici Concilii auctoritati subduntur, ut vel hoc pacto schisma tollatur. Quod enim ad certum & indubitatum Pontificem spectat, ut extra casum schismatis esse solet, putarunt ejusdem Concilii Patres illum non esse Concilii auctoritati subjectum. Siquidem Martinus V. approbante Concilio Decretum edidit, quo inter alias fidei interrogationes hæc leguntur: *Quod B. Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi & solvendi super terram. Tum, quod Papa canonice electus qui pro tempore fuerit, ejus etiam proprio nomine expresso, sit successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei.* Certum est autem quod hi duo articuli de potestate Papæ simul stare non possint cum sententia de superioritate Concilii; quoniam, ut habetur cap. *Inferior* dist. 21., *non potest quisquam, qui minoris auctoritatis est, eum qui majoris potestatis est, judiciis suis addicere, aut propriis definitionibus subjugare.*

At

At contra dices. Basileense Concilium non solum citavit confirmavitque adductum Constantiensis Concilii Decretum sessione secunda, tertia, duodecima, decima sexta, & decima octava; sed etiam sessione trigesima tertia definivit, Catholicæ fidei veritatem esse, quod generale Concilium potestatem habeat supra Papam; & quod Romanus Pontifex ex auctoritate sua non possit Concilium generale sine ipsius consensu dissolvere, vel transferre, vel ad tempus prorogare; ac postremo quod hæreticus censendus sit, qui pertinaciter hisce veritatibus se opponit. Quæ sane certum etiam Pontificem, & extra schismatis casum includunt.

Resp. ex Gallorum quoque Theologorum sententia, Œcumenicum non fuisse Basileense Concilium, quum trigesima tertia sessio acta fuit; jam enim a sessione vigesima quinta Concilium illud duas in partes scissum erat, quarum sanior Eugenio IV. adhærens restitit alteri in iis, quæ sequentibus sessionibus gesta leguntur. Neque obest, quod sessione secunda repetitum instauratumque fuerit Constantiense Decretum de quo agimus: nam primo reponimus, eodem sensu locutos dici posse Basileenses Patres, quo supra Patres Constantienses locutos fuisse respondimus. Deinde nunquam Eugenius Decretum illud suo calculo confirmavit; imo ex eo causam sumpsisse videtur, ut vix inchoatam Basileensem Synodum dissolvere cogitarit: quod si postmodum Synodi progressum probavit, uti ex decima sexta sessione colligitur, nunquam tamen ejus decreta probavit; imo in Florentino Concilio Decretum edidit, cujus initium, *Moyses*, ubi tres veri-

tates

tates a Basileensibus sessione trigesima tertia traditas ita castigat: *Ipsas propositiones superius descriptas juxta pravum ipsorum Basileensium intellectum quem facta demonstrant, veluti sacrosanctæ Scripturæ, & sanctorum Patrum, & ipsius Constantiensis Concilii sensui contrarium, ... sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus, ac damnatas & reprobatas nuntiamus.*

Objicies 2. In sexta Œcumenica Synodo Honorius Romanus Pontifex post mortem anathemate cum ceteris Monothelitis percussus fuit, ut constat ex ejusdem Synodi Actione 13. 16. & 18. Quod judicium confirmatum legitur in septima Synodo Actione 3. & 7. ac etiam in Octava Synodo Actione itidem 7.

Œcumenica insuper quinta Synodus dum tria Capitula uti erroris blasphemiæque plena proscripsit, eodem simul judicio damnavit quoque Vigilium Romanum Pontificem, qui ea ipsa Capitula tanquam erroris pura & integra diu ante defenderat. Romani ergo Pontifices Œcumenicis Conciliis subsunt subjacentque, si judicari damnarique ab illis possunt.

Resp. quod licet a sexta Synodo damnatus post mortem dicatur Honorius, damnatus tamen ille est consentiente Leone II. Romano Pontifice, qui eandem Synodum confirmavit. Quare Romanum Concilium sub Hadriano II. cap. 3. ait: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus; de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen est quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus Majorum suorum motibus resisten-*

sistendi, vel pravos sensus libere respuendi. Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec caeterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas. At hac de re etiam infra dicemus.

Vigilius autem etsi suum de tribus Capitulis judicium aliquandiu suspenderit, quod ea in Chalcedonensi Concilio lecta, non tamen reprobata novisset; nunquam vero lato judicio reipsa probavit, imo diligentius re perpensa expresse proscripsit. Quare quintæ Synodi sententia, qua tria Capitula damnata sunt, ictum fuisse Vigilium, nonnisi per summam calumniam dici potest. Eadem præterea Synodus robur omne quod habet, ex Vigilii confirmatione recepit, qua non accedente dici Œcumenica minime potuisset. Vide quæ scripsimus hujusce Operis lib. 4. cc. 1. & 7.

Objicies 3. Non raro Romani Pontifices fassi sunt teneri se ad observantiam Canonum a sacris Conciliis editorum. Plura hic illorum Rescripta referre possemus, sed brevitatis gratia laudare sufficiat quæ Gelasius I. scribit in epistola 13. ad Episcopos Dardaniæ: *Confidimus, quod nullus jam veraciter Christianus ignoret uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportere, quam primam, quæ & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.* Ergo Romani Pontifices Conciliorum, a quibus Canones illi sunt editi auctoritati subjacent.

Resp. eosdem Pontifices qui Conciliorum Canonibus teneri se dicunt, idem plane de

Præ-

Prædecessorum suorum statutis decretisque fateri; ad illorum scilicet observantiam se astringi. Ita Hilarus in Concilio Romano anno 467. Symmachus in epistola ad Æonium Arelatensem Episcopum, Gregorius M. lib. 6. epistola 12. aliique. Sicut igitur ex hac secunda eorum confessione colligi recte non potest, subesse decessoribus suis Pontifices subsequentes; ita perperam omnino colligitur Summos Pontifices subesse Conciliis, quod illorum Canonibus teneri se asserant. Tenentur enim non titulo subjectionis, & submissionis, sed æquitatis ac justitiæ suadentis, ut a Pontificibus, in suprema licet Sede locatis, ea serventur, quæ jure merito prudenterque ad Christianæ Reipublicæ bonum constituta sunt atque decreta. Unde Gregorius in citata epistola scribit: *Justitiæ, ac rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiat*. Hinc etiam Leo IV. apud Gratianum causa 25. q. 1. c. 16. ait: *Ideo permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut, quod Patres nostri sive in sanctis canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si, quod ipsi divino statuerunt consulto, intactum non conservamus*. Hinc denique Reges etiam supremique seculi Principes nonnullis regnorum suorum & imperiorum legibus tenentur, easque rescindere atque infringere salva æquitate non possunt; quin idcirco colligere inde liceat, eos regnis suis imperiisque subesse; vel sibi quoque ipsis subjici, dum eosdem propriis teneri legibus affirmamus.

Ad

Ad hæc accedit, quod dum Pontifices de obtemperatione Canonibus necessario præstanda loquuntur, generatim & universe de quorumcumque Conciliorum Canonibus verba faciunt, seu generalia, seu nationalia, seu etiam provincialia illa sint; imo nonnulli de Conciliorum dumtaxat provincialium, & nationalium Canonibus distincte loquuntur: ex quo tamen neque ipsi Adversarii concludendum existimant, Romanos Pontifices nationalibus etiam & provincialibus Conciliis esse subjectos.

Tandem ex dictis apparet, quonam in sensu Romani Pontifices leges sibi dominari quandoque pronuncient, juxta illud Cœlestini I. ad Episcopos Illyriæ: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur: simus subjecti cum canonum præcepta servamus:* non enim de dominatione *coactionis*, sed *rationis* intelligi volunt. Et sane cum vir prudens ratione regatur, hoc sensu ratio prudenti viro dicitur dominari: atque ita leges justæ, eo ipso quod justæ sunt, rectæque rationi consentiunt, Pontificibus dominari debere dicuntur, ut iis ipsi ducantur; sicuti scilicet Imperatores Regesque interdum affirmant, Principatus sui partem magnam esse, laudemque præcipuam, civilibus legibus obedire.

Objicies 4. Concilium Œcumenicum divinam habet auctoritatem, adeo ut una cum eo ipse Spiritus Sanctus decernere censeatur. Omne quippe Œcumenicum Concilium dum aliquod fidei caput solemni ritu definit, perinde ac Concilium Jerosolymis ab Apostolis habitum, dicere merito potest, quod illi dixere, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis:* Actorum 15. v. 28. Ne igitur Romanus Pontifex a Spiritu Sancto dis-

diffideat, debet idem cum Concilio definiente sentire: proindeque subest ille Concilio.

Resp. Concilium Œcumenicum, de quo quæritur in præsenti, subsitne Romano Pontifici, an vero præstet, non illud esse, quod Episcopos simul in cœtum vocatos complectitur, & qui illis præest, Romanum Pontificem; sed quod solos dicit Episcopos, non intellecto ipso qui præsidet Pontifice. Porro Concilium, cujus divina auctoritas est, cum quo scilicet Spiritus Sanctus judicat definitque; adeo ut qui in eo Episcopi de fide pronunciant, dicere merito possint, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; non illud profecto est, quod solos dicit Episcopos, non computato Pontifice; sed illud quod & Episcopos, & Pontificem ex æquo complectitur: sicuti Jerosolymitano Concilio non solum adfuerunt Apostoli & Seniores, verum etiam præfuit Apostolorum Princeps S. Petrus, qui primus sententiam tulit, in quam omnes alii descenderunt.

At demus, ex divina Concilii Œcumenici auctoritate, afflatuque Spiritus Sancti Concilium dirigentis, consequens esse, Romanum Pontificem idem semper cum Concilio sentire debere, ne & ipse a Spiritu Sancto dissentiat; negamus tamen Pontificem propterea subesse Concilio. Nam Concilium Œcumenicum subsequens, quoad fidei capita, idem omnino sentire debet cum Concilio Œcumenico præcedente; quamquam istud illi minime subsit. Ita pariter Romanus Pontifex cum Concilio, cui idem visum est ac Spiritui Sancto, sentire omnino debet, non quia Concilio, sed quia Spiritui Sancto subjicitur, ex cujus speciali assistentia in-

infallibilitatis dono potitur.

Objicies 5. Concilium Œcumenicum universam repræsentat Ecclesiam, estque ipsamet Ecclesia in suis præcipuis partibus congregata: Ecclesia autem universa est corpus aliquod mysticum, cujus unusquisque Fidelis membrum est. Est etiam mater spiritualis, cujus unusquisque Fidelis filius est, ratione suscepti Baptismatis. Omne autem membrum, etiamsi præcipuum, minus est & inferius toto corpore; sicut & filius inferior est matre sua. Ergo Romanus Pontifex cum sit Ecclesiæ membrum & filius, inferior est Ecclesia, ejusdemque Concilio.

Resp. Ecclesiam universam posse bifariam accipi: primo nempe, ut est mysticum aliquod corpus, interno Dei spiritu directum & alitum sub uno invisibili Capite Christo Jesu, juxta illud Apostoli 1. Cor. 12. v. 27. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro:* & hac quidem ratione considerata Ecclesia, Summus Pontifex ea minor est, ut filius matre, & membrum integro corpore. Secundo considerari potest, quatenus externe & visibiliter regitur, pascitur, nutritur Dei verbo, & Sacramentorum administratione, sub visibili Capite; sicque sacris in literis comparatur Ecclesia gregi, familiæ, exercitui: atque eo pacto est illi Romanus Pontifex & Pastor, & Pater, & Dux. Quapropter ei præest, minimeque subjicitur; uti nec pater familiæ, nec pastor gregi, nec dux exercitui, nec denique caput reliquo corpori subjiciuntur. Hinc Pius II. in Bulla retractationis, data anno 1463. de Summo Pontifice ita loquitur: *Etsi Ecclesiæ filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen*

pater

pater habetur. Et ficuti filiationis causa venerari debet Ecclesiam tanquam matrem; ita & prælationis causa præfertur ei, ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ.

Ex his itaque constat responsio ad tritissimum illud argumentum: *Totum majus est parte sua: Universa Ecclesia, Conciliumque Œcumenicum est totum quoddam morale, cujus Pontifex pars est, tametsi præcipua: Œcumenicum ergo Concilium majus est Romano Pontifice; adeoque est illi potestate & auctoritate superius.* Patet, inquam, responsio: est enim Romanus Pontifex non qualiscumque pars Ecclesiæ, & Concilii, sed pars dominatrix, & rectrix; proindeque non inferior, sed superior; ficuti caput superius est reliquo corpore, cui dominatur, & præest; & ficuti supremus quis feculi Princeps sui quidem regni pars est, sed cum summo imperio moderatrix, eodemque regno est auctoritate & potestate præstantior.

Objicies 6. Romanum Pontificem falli & fallere non posse in ferendo de fide moribusque judicio, non est fidei dogma, sed probabilior ut maxime Theologorum & Jurisperitorum quorundam opinio. Œcumenicum vero Concilium ea in re prorsus esse infallibile, fidei caput est, de quo dubitare non licet. Igitur Concilii auctoritas & potestas, Pontificis auctoritati anteponenda est, tanquam certior & securior, imo veluti prorsus indubia.

Resp. uti supra notavimus, Concilium Œcumenicum, de quo nunc controvertitur, fit ne Romano Pontifice superius, an vero inferius, illud esse, quod solos dicit Episcopos, ipso Pontifice minime computato: hujusmodi vero Concilium & errare posse, & reipsa erraffe, fatis ap-

apparet ex dictis, præsertim in lib. 4. cc. 3. & 4. Præterea infallibilitas in fide nil confert ad eminentiam atque præstantiam auctoritatis & potestatis; idque patet exemplo Evangelistæ Joannis, qui etiamsi ex speciali privilegio Apostolis omnibus concesso, in illapsu Spiritus Sancti, infallibilis esset in fide; Lino tamen, & Cleto Petri successoribus, quorum etiam temporibus supervixit, in universalis Ecclesiæ regimine subdebatur, quamquam, ut Adversarii sentiunt, essent infallibilitatis privilegio destituti. Ex quo nonnulli concludunt, quod licet fidei dogma foret, Concilium Œcumenicum, quo nunc sensu accipitur, infallibile prorsus esse, non ita vero Pontificem; nihil tamen obstaret, quominus Concilium Pontifici auctoritate ac potestate subesset, si non quantum spectat ad definiendas ipsas fidei veritates, saltem quantum pertinet ad auctoritatem potestatemque regendi Patres in Œcumenico Concilio congregatos, ut omnes in officio contineret. Quæ tamen superius dicta sunt, invicte demonstrant, Romanum Pontificem Œcumenico Concilio in ipso etiam fidei veritatum judicio ac definitione præstare.

Dictis postremo non obstare notamus ea S. Leonis M. verba ex epist. 63. ad Theodoretum: *Quæ Dominus nostro prius ministerio definierat, universæ Fraternitatis irretractabili firmavit assensu:* Non enim illa significant Leonis epistolam a Concilii consensu suam hausisse auctoritatem; sed denotant, definitionem a Capite formatam, & Œcumenici Concilii totiusque Ecclesiæ judicio jam receptam, a præfractis hominibus eludi prætextu ullo non posse, nullamque

que prorsus pertinaciæ suæ causam posse ab iisdem obtendi. Ceterum cum Leo dicat, omnia quæ in epistola ad Flavianum definierat, ipsum *Dominum definivisse*, ejusdem *Pontificis ministerio* usum; quomodo sibi ille persuadere potuit defuisse epistolæ suæ quidquam auctoritatis, quam a Concilio consentiente reciperet? Neque τὸ *firmare*, vel *confirmare* solum significat vim roburque primum adjicere rei, quæ per se valitura non esset; verum etiam significat probare ac assentiri rei, quæ omnem ex sese obtinet auctoritatem: quo sensu Facundus Hermianensis lib. 5. c. 5. ait, *generalia Concilia totius Ecclesiæ consensione firmari*. Quod si denique in eadem epistola scribit Leo, *fidem prius docuisse, quæ postea examinatio confirmaret*; examen intelligendum est, non ex dubitatione profectum, cum Leonis epistola Catholicam fidem contineret, exponeretque fideliter; nam *dictante fide* se definiisse S. Pontifex asseverat; sed examen ad ampliorem elucidationem agnitæ jam & creditæ ac professæ fidei veritatis. Sed de Romani Pontificis infallibilitate nunc statim fusius agendum est.

CAPUT IV.

Ostendit Romanum Pontificem in fidei decretis infallibilem esse, etiam antequam Ecclesiæ consensus accedat.

LUtherani, Calvinistæ, aliique Heterodoxi, qui Romani Pontificis primatum in Ca-

tholica Ecclesia non admittunt, Pontificia quoque decreta, constitutiones, ac definitiones nihili faciunt, imo probris dicteriisque lacessunt. Quidam vero Catholici quamquam Romani Pontificis primatum agnoscant, ejusque auctoritatem maximi habendam affirment; in judicandis tamen iis quæ ad fidem moresque pertinent, non ex sese infallibilem illum esse pronunciant, sed cum Ecclesiæ consensus accesserit. Alii postremo Theologi sentiunt, Romani Pontificis auctoritatem, etiam extra Concilium, nulloque expectato Ecclesiæ consensu, infallibilem esse, dum *ex Cathedra* loquens, de rebus fidei morumque definit.

Romanus itaque Pontifex considerari potest vel ut privata persona, privatusque Doctor, vel ut totius Ecclesiæ supremus Doctor, & Pastor. Quandoque enim Romani Pontifices ex propria privata opinione loquuntur, propositasque res explicant, quin intendant sententiam ferre, quæ Fideles ad ita credendum adstringat: atque tunc privatam induunt personam, utque privati Doctores infallibilitatis privilegio non fruuntur. Hinc infallibilis auctoritatis esse non dicimus nonnullorum Pontificum responsa, in Canonico Jure contenta, ad particulares quosdam casus, quibus rogati opinionem suam aperire, non dogma statuere voluerunt; cum per ea non mentem Apostolicæ Sedis, sed suam particularem exponerent.

At vero dum Pontifex Hæreticorum errores retegit reprobatque, & exorta circa dogma aliquod controversia, quid credendum agendumve sit definit, universæque proponit Ecclesiæ; tunc *ex Cathedra* loqui dicitur, & Apostolica aucto-

rita-

ritate verum a falso, bonum a pravo discernere.

Propositio. Romanus Pontifex ex Cathedra docens errare omnino non potest, etiam ante consensum Ecclesiæ sive dispersæ, sive in Concilio congregatæ.

Probatur. Ut in hujus libri capite 1. demonstratum est, Christus Petro dixit, Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Tota igitur in fide firmitas quam habet Ecclesia, a Petri super quem ipsa Ecclesia ædificata est, firmitate dependet; non autem e contrario. Atqui Romanus Pontifex eandem assecutus est fidei firmitatem, quam a Christo Petrus accepit, ut in superioribus capitibus ostensum est. Ergo quemadmodum Petro, ita & Romano Pontifici talis Asphalia, sive infallibilitas in finiendis fidei morumque controversiis tribuenda est, ut non dependeat ab ullo Ecclesiæ sive per Orbem dispersæ sive in Episcoporum Synodum coactæ consensu.

Bene itaque Origenes tomo 12. in c. 16. Matth. ait: *Neque adversus Petram, super quam Christus ædificavit Ecclesiam, neque adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt*.

Et S. Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiæ scribit: *Qui Cathedram Petri supra quam fundata est Ecclesia deserit, quomodo de Ecclesia se esse confidit?*

Item Augustinus in Psalmo contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*.

Consonat & Epiphanius qui in Anchorato

n. 9. scribit: *Petrus Spiritum Sanctum nobis patefecit. Sic enim ei, qui inter Apostolos primus esset, consentaneum erat, solidæ inquam illi petræ, supra quam est Ecclesia Dei fundata, & portæ inferi non prævalebunt illi.*

Itemque Chrysostomus hom. 54. alias 55. in Matth. ait: *Hominem piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem* Christus *reddidit.*

Leo quoque Magnus serm. 2. in Anniversario assumptionis suæ dicit: *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est: & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.*

His accedit insuper Possessor Episcopus Africanus, qui in Relatione ad Hormisdam R. P. ait: *A quo magis est nutantis fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus Sedis Præside, cujus primus a Christo Rector audivit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Joannes Patriarcha Constantinopolitanus in Professione fidei ad Hormisdam R. P. *Non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur Religio .... In Apostolica Sede est integra Christianæ Religionis & perfecta soliditas.*

Sergius Cypri Episcopus epistola ad Theodorum I., quæ lecta & probata fuit in Lateranensi Concilio sub Martino I. *Firmamentum a Deo fixum & immobile atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, o sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat*

ver-

verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt: Tibi & claves cœlorum commisit .... Tu profanarum hæreseon depositor existis, ut Princeps & Doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei.

S. Maximus Abbas in epistola ad Marinum: *Omnes termini terræ, & quicumque ubique terrarum Christum Dominum pura mente, & orthodoxa fide confitentur, quasi ad Solem æterni luminis, ad sanctissimam Romanorum Ecclesiam, & ejus confessionem & fidem, intenti respiciunt, ex ipsa rutilantem splendorem recipientes spiritualium & sanctorum dogmatum; quemadmodum sex illæ sanctæ Synodi disertis verbis, & magna cum religione exposuerunt, apertissime pronunciantes fidei symbolum, &c.*

At proferamus ultimo S. Ignatii CP. Patriarchæ testimonium ex ipsius epistola ad Hadrianum Papam, quæ lecta probataque fuit Actione 3. Concilii CP. IV. *Eorum vulnerum*, inquit S. Episcopus, *atque livorum quæ in membris sunt Christi & Dei Salvatoris, omnium nostrum capitis, & sponsæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, unum & singularem præcellentem atque Catholicissimum Medicum ipse Princeps summus, & fortissimus Sermo, & ordinator, & curator, & solus ex toto magister Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam sanctitatem, & paternam almitatem: propter quæ dixit Petro magno & summo Apostolorum:* Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. *Et iterum:* Tibi dabo claves regni cœlorum, &c. *Tales enim beatas voces non secundum quandam utique sortem Apostolorum Principi solum circumscripsit & definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum se-*

ſecundum ipſum efficiendi erant ſummi Paſtores, & diviniſſimi ſacrique Pontifices ſenioris Romæ, transmiſit: & ideo ab olim & priſco tempore in exortis hæreſibus & prævaricationibus eradicatores & interemptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitus inſanabiliter ægrotantium membrorum, multi multoties facti ſunt eorum, qui ſanctitatem & ſummam paternitatem tuam illic præceſſerunt; ſucceſſores ſcilicet Principis Apoſtolorum, &c.

Ex his igitur aliiſque perſpicuis Patrum, Doctorum, Pontificumque ſententiis invicte concluditur 1. inferorum portas, errores nimirum & hæreſes quas diabolus adinvenire conatur, prævalituras non eſſe, non ſolum adverſus Eccleſiam, verum neque contra myſticam illam Petram, ſupra quam Chriſtus eandem ædificavit Eccleſiam: imo ex ipſis textibus evidenter apparet, rationem cur in Eccleſiam prævalere nequeant hæreſes, eſſe quod ſupra Petram firmiſſime ſit extructa; ita nimirum, ut non Petrus ab Eccleſia, ſed Eccleſia a Petro in fide ſolidetur: proindeque Petrus infallibilitatis privilegio donatus a Chriſto fuit, independenter ab Eccleſiæ vel diſperſæ, vel congregatæ conſenſu. Concluditur quoque 2. illud ipſum infallibilitatis munus in Petri ſucceſſoribus, Romanis Pontificibus immutabiliter permanere.

Alio inſuper Chriſti teſtimonio apud Lucam c. 22. v. 31. demonſtratur aſſertio. *Simon, Simon* (ait Dominus) *ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*. Chriſtus itaque efficaciter pro Petro rogavit obtinuitque, ne a fide defi-

ceret; posseteque reliquos fratres Coapostolos suos in eadem fide firmare: Petri ergo infallibilitas per se ipsam constabat, quin ceterorum Apostolorum aut Fidelium sententiæ vel consensui subderetur; alioquin non ipse fratres confirmaret, sed potius confirmari a fratribus indigeret: atqui Christus pro Petri etiam Successoribus hoc idem infallibilitatis privilegium impetravit: sicut enim satanas nunquam cribrare desistit Ecclesiam, ita & donum illud in Petri Successoribus perpetuo perseverat.

Hinc egregie S. Leo Magnus sermone 3. in Anniversario assumptionis suæ sic ait: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant; . . . . & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur; tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

Et S. Agatho epistola ad Constantinum Imperatorem quæ lecta probataque fuit in sexta Œcumenica Synodo Act. 4., de Romana Ecclesia inquit: *Per Dei omnipotentis gratiam, a tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est: Petre Petre, inquiens,*

quiens, ecce satan expetivit vos, &c. Ego autem rogavi pro te, &c.

Scribit etiam S. Leo IX. epistola 5. ad Petrum Patriarcham Antiochenum: *Petrus solus est ille, pro quo, ne deficeret fides ejus, Dominus & Salvator asserit se rogasse, dicens: Simon ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua . . . Quæ venerabilis & efficax Oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defutura creditur in Throno illius, in seculum seculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.*

Denique S. Bernardus epistola 190. ad Innocentium II. Romanum Pontificem: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Patet ergo, quod Christus tum pro Petri, tum pro Romani Pontificis infallibitate rogaverit, talemque obtinuerit, *ut*, quemadmodum notat etiam Albertus Magnus in citatum 22. Lucæ caput, *per illum confortatio ad alios ordinate derivetur*; proindeque, ut ab Ecclesiæ consensu, ejus in fide decreta non pendeant. Unde apposite S. Bonaventura in idem Lucæ caput ait: *Potest illud* (Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua) *referri ad Ecclesiam Petri, pro cujus fide rogavit Dominus . . . Et hæc Ecclesia, quæ designatur per Petri naviculam, licet concu-*

tiar.

tiatur, tamen non naufragatur. Hoc enim posuit Deus in Ecclesia ad confirmationem aliorum.

Id præterea demonstratur ex Joannis c. 21. ubi Christus universalem pascendi gregis sui curam Petro commisit, inquiens v. 15. 16. 17. *Pasce agnos meos .... Pasce agnos meos ... Pasce oves meas*. Ubi juxta Patrum expositionem agnorum nomine simplices Fideles, ovium vero nomine Rectores, Episcopi scilicet, designantur; ita nimirum, ut Christus universam Ecclesiam doctrinæ verbo pascendam Petro mandaverit. Id vero exequi Petrus apte nequiisset, si in fidei doctrina decipi potuisset; sic enim gregem universum duxisset in pascua lethali infecta veneno: Falli igitur ipse non potuit. Debuit autem & hoc privilegium ad Petri Successores extendi, quibus eadem incumbit cura pascendi: cum enim Domini grex, seu Ecclesia usque ad finem Mundi sit duratura, debent & Petri Successores ad finem usque Mundi verbo doctrinæ Ecclesiam pascere universam: Oportet ergo, ut ipsi quoque infallibilitatis munere fulciantur; & quidem ex seipsis, cum id Pastoris munus exposcat, qui dum gregem regit, nutum ejus expectare non debet; alioquin non Pastor gregem pasceret, sed potius grex Pastorem.

Propter hanc igitur generalem pascendi curam, non Petro dumtaxat, sed & illius Successoribus a Christo commissam, Sancti Ecclesiæ Patres Romanum Pontificem Pastorem Pastorum appellarunt, ejusdemque firmam ac immobilem in fide constantiam agnoverunt; qua scilicet factum est, ut nusquam hæresibus ille succumberet, nusquam ab Apostolicæ traditionis tramite deviaret, Catholicam religionem perpetuo fove-

veret, fideique veritate quærentes instrueret; quæ Pontificiæ infallibilitatis veræ certæque sunt notæ. Hanc denique infallibilitatem Petrus ipse sua velut in Sede vivens, suorumque Successorum ore loquens, ut iidem Patres affirmant, exercet.

Ita inter alios S. Bernardus lib. 2. de Consideratione c. 8. Eugenium III. hisce verbis alloquitur: *Sunt quidem & alii cœli Janitores, & gregum Pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indiscrete totæ commissæ sunt oves?* Si me amas, Petre, pasce oves meas. *Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni?* Oves meas, *inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

S. Petrus Chrysologus in epistola ad Eutychetem, quæ refertur 1. parte Concilii Chalcedonensis n. 15. *In omnibus hortamur te frater honorabilis, ut his quæ a Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quoniam Beatus Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

Postremo S. Simplicius Rom. Pontifex epistola 4. ad Zenonem Imperatorem: *Perstat in Petri Successoribus eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit: cui se usque ad finem seculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit;*

sit; cujus sententia quæ ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in cælo.

Ne vero verbosior, molestiorque evadat oratio, ab auctoritate ad rationem transire jam expedit. Præcedente igitur in capite ostensum est, Romani Pontificis tribunal ultimum ac supremum esse, a quo appellare nemini liceat; ubi fidei morumque controversiæ fuerint definitæ: atqui hujusmodi tribunal ex se se infallibile esse debet; quandoquidem, ex Theologorum omnium sententia, veritati ultimo judicatæ ac definitæ falsum subesse non potest.

Ita senserunt tum Patres alii, tum præcipue Augustinus, qui statim ac Innocentii I. judicium Romæ latum, ad Pelagianæ hæresis damnationem, in Africam pervenit, sermone 131. c. 10. dixit: *Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: indè etiam rescripta venerunt: causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Sanctus itaque Doctor prætermissa trium Synodorum auctoritate, nimirum non Diospolitanæ dumtaxat, verum & Carthaginensis, ac Milevitanæ, quibus Pelagiana hæresis damnata jam fuerat, unam solamque Apostolicæ Sedis auctoritatem Pelagianis objectat, quam satis superque futuram fuisse ad hæreticum refutandum errorem affirmat; ac post ejus sententiam omnino finitam Pelagianorum causam asserit ita, ut nullum amplius revocandi locum, non modo in integrum, sed & in dubium, etiam per generale Concilium, eam fidei causam, quæ ab Apostolica Sede semel fuerat judicata, testetur. Hinc & in lib. 2. Operis imperf. contra Julianum inquit: *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Apostoli-*

cam

cam Sedem? Recole quæ in superiori capite inter probationes attulimus, neque prætereas quæ huc referenda notavit Alticotius in Summa Augustiniana p. 3. q. 2. a. 6.

Altera vero ratio inde desumitur, quod, uti in lib. 4. c. 4. & 5. probavimus, Provincialia & Generalia Concilia, dum auctoritate Romani Pontificis caruerunt, nonnunquam erraverint; nunquam autem, si illius auctoritate fuere firmata: Ergo Conciliorum, adeoque totius Ecclesiæ firmitas a Romano Pontifice derivatur: ac proinde ex se se iste infallibilis est, neque Ecclesiæ consensus ad stabilem ejus definitionem exigitur.

Tertia ratio ista sit: Si Romanus Pontifex ex Ecclesiæ consensu infallibilitatem haberet, posset quandoque Ecclesia Pontificiis definitionibus adversari: atqui rueret tunc Papæ primatus, quem idcirco institutum Patres affirmant, ut fidei unitas in Ecclesia servaretur: hæc vero unitas non servatur, si aliud Papa definiat, aliud Ecclesia credat, nec possit ille Fideles ad doctrinæ unitatem adigere. Ecclesia itaque Papæ decretis consensum suum præstare tenetur, quia ille ex sese infallibilitatis prærogativa potitur.

Merito itaque Cyrillus Alexandrinus, tum ab aliis passim laudatus, tum vero a Leone Allatio lib. 1. de perpetua consensione Occid. & Orient. Ecclesiæ cap. 21. n. 4., in Thesauris inquit: *Oportet nos, tanquam membra, inhærere capiti nostro, Romano Pontifici, & Throno Apostolico: ex quo nostrum est quærere, quid credendum, quid sentiendum, & quid tenendum sit. Solius enim illius est, reprehendere, corrigere, increpare, determinare, disponere, solvere & ligare.* Vide

etiam

etiam quæ hac de re scripsimus in Theol. Præludio c. 2. ff. 5.

CAPUT V.

Diluuntur objecta.

POntificiæ infallibilitatis Osores plurimis illam impugnare satagunt argumentis, quorum præcipua breviter perspicueque refellenda proferimus. Primo itaque sic opponunt: Petrus ipse, cui inerrantiæ privilegium a Christo concessum verbis illis asseritur, *Rogavi pro te, ut non deficiat, &c.* a fide defecit, tum quando Christum se nosse negavit, tum quando non recte ambulans ad veritatem Evangelii, Gentes Judaizare coegit, Galatarum 2. v. 14. Poterunt ergo & Petri Successores contra Christum & Evangelicam veritatem aliquid præscribere, vel docere.

Deinde, citatum ex Luca testimonium, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, inepte prorsus adducitur ad probandum inesse Romanis etiam Pontificibus indeficientiæ privilegium, dum de fide moribusque decernunt. Ibi enim Christus Petro solum, non item posteris loquebatur; unde subjunxit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Quæ verba si referantur ad posteros, Romanos nempe Pontifices, prius aversos eos esse oporteret, ut aliquando conversi confirmarent fratres suos.

Resp. ad 1. Petrus Christum negando peccavit quidem, quia externam fidei professionem ea in occasione non egit, ut debuit, unde caritatem amisit; internam vero fidem minime perdidit, uti non solum ex Christi oratione pro eo fusa colligitur, verum & ex communi SS. Patrum sententia comprobatur, quos inter S. Augustinus contra mendacium c. 6. ait: *Quis ita evanescat, ut existimet, Apostolum Petrum hoc habuisse in corde, quod in ore, quando Christum negavit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat.*

Præterea, cum Petrus Christum negavit, non ei collata, sed promissa tantummodo fuerat Pontificia dignitas verbis illis: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves, &c.* Matth. 16. Quapropter etiamsi, Christum negando, internæ etiam fidei jacturam ille fecisset, consequens inde non foret, Romanorum Pontificum primum, in fide quoque primum errasse.

Postremo, Petri negatio non judiciale, sed personale peccatum fuit, lapsusque non publicus, sed privatus; nullum enim pro Ecclesia decretum edidit, dum deliquit,

Ad 2. Missa eorum opinione qui asserunt, Cepham a Paulo reprehensum, non fuisse Petrum Apostolum; missa quoque quorundam opinione dicentium, Petrum non vere, sed simulate tantum a Paulo reprehensum; respondemus illum ab isto redargutum ex caritate, non ex auctoritate, & de errore personæ & conversationis, non de errore capitis, & doctrinæ. Eadem enim Petri, ac Pauli doctrina erat, legales nempe ceremonias non esse necessarias ad salutem; quod ipse Petrus jam in Concilio Je-

ro-

rosolymitano statuerat. In conversatione autem hic errabat. Nam cum Antiochiam venisset, communes cum Gentilibus cibos edebat; ubi vero Jerosolymis Antiochiam petiissent Judæi nonnulli, Mosaicæ legis æmulatores veritus Petrus ne displicere eis posset, se a Gentilium mensa subtraxit: atque ita perturbationis & scandali occasionem Gentilibus dabat, quos eo facto ad legalium observantiam, tanquam necessariam, inducebat, quamvis non talis esset illius intentio. Non ergo docendo, sed conversando peccavit: unde Paulus citato ad Galatas loco non ait, reprehensibilem eum fuisse, quod *non recte doceret*, sed quod *non recte ambularet* ad veritatem Evangelii. Ex argumento itaque concludi dumtaxat potest, Romanum Pontificem esse defectibilem in conversatione, non vero esse defectibilem in doctrina, seu posse aliquid contra Dei verbum Ecclesiam docere.

Ad 3. Aliud est in Petro, quod ad privatam hominis rationem spectat, aliud quod pertinet ad communem Ecclesiæ utilitatem. Quod Christum negaverit, ac postmodum se a peccato converterit, hominis erat; quod fratres confirmaverit, erat Ecclesiæ: illud erat proprium, hoc commune. Romanus igitur Pontifex Petro successit dumtaxat in privilegio, quod spectabat ad communes, necessariasque commoditates Ecclesiæ usque ad finem seculi duraturæ. Atque ideo Patres illud, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, & *confirma fratres tuos*, non pro Petro solum, sed pro Successoribus etiam, dictum exponunt; quin ad istos quoque pertinere debeat illud aliud, *Et tu aliquando conversus*.

II. objiciunt. Plures Petri Successores in edendis fidei morumve decretis errarunt. Et primo quidem Eleutherius, seu quisquis alius Romanus Pontifex, teste Tertulliano lib. contra Praxeam c. 1. insanas Montani, Priscæ, & Maximillæ prophetias, ac hæresim approbavit.

Erravit & Victor, quia exorta controversia, esset ne Pascha more Judaico, ipsa quartadecima Luna Martii, an subsequenti die Dominico, celebrandum, in Asiaticos Quartodecimanos excommunicationem temere tulit: unde hujusmodi judicio S. Irenæus, aliique Episcopi pietate & doctrina clarissimi restiterunt; qui profecto Romanum Pontificem esse infallibilem non putabant.

Stephanus quoque, dum Cypriani aliorumque Rebaptizantium sententiam corrigere studuit, in oppositum prolapsus fuit errorem, probans omnium promiscue Hæreticorum Baptisma, sive in nomine Trinitatis, sive aliter conferatur.

His adjunge Liberium, qui non tantum Athanasii damnationi, sed & Arianæ fidei formulæ Sirmiensi subscripsit, & cum Arianis Episcopis communicavit.

Neque omittendus est Zosimus, qui Pelagium, & Cælestium hæresiarchas absolvit; libellum quo illi suam de gratia Christi, & de originali peccato sententiam exposuerant, catholicum pronunciavit; Herotem, & Lazarum eórum accusatores tanquam malignos criminatores traduxit; ut patet ex ejusdem epistola ad Augustinum ejusque Collegas Africanos Episcopos data, notatque Augustinus ipse lib. 2. ad Bonifacium c. 3.

Quid insuper de Honorio dicemus, qui Monothelitarum hæresi favit, subscripsitque, uti constat ex ejus ad Sergium epistolis, ubi unam

in

in Christo Domino voluntatem, unamque operationem professus fuit; & interim œconomiæ causa, pacisque studio ab unius vel duplicis voluntatis vocabulo censuit abstinendum? Qua de causa in sexta Œcumenica Synodo Actione 13. anathema illi perinde dictum fuit, ac ceteris Monothelitis, Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo: quod in septima quoque, & octava Synodo confirmatum est.

Præterea Joannes XXII. animarum plene purgatarum felicitatem, sive intuitivam Dei visionem, post generalem corporum resurrectionem, differendam docuit, & ex cathedra definivit. Alii denique Romani Pontifices persæpe fidem moresque, lato etiam solemni judicio violarunt; præsertim vero Vigilius in causa trium Capitulorum: Sed lege quæ hac de re scripsimus in hujus libri cap. 3. ad 2. objectionem.

Resp. ad 1. solum tota retro antiquitate Tertullianum fuisse, qui cuidam Romano Pontifici probrum illud affricuit; cui, utpote Montanistæ jam facto, illudque in suscepti erroris commendationem jactitanti, nulla est adhibenda fides; atque ob id maxime, quod nullum distincte Pontificem Tertullianus expresserit; unde aliqui Anicetum, alii Eleutherium, alii Victorem, Zephirinum alii ab eo indigitatum fuisse putarunt. Dicendum itaque est, quod sicut Artemon (referente Eusebio lib. 5. Historiæ c. 28.) falso jactaverat, Victorem Romanum Pontificem, & etiam Zephirinum aliquando secum sensisse, Christumque purum hominem affirmasse; cum tamen Victor Theodotum Coriarium illius sectæ principem Ecclesiastica communione privasset; ita Tertullianus jam

Montanista in Montani sententiam Romanum quoque Pontificem trahere calumniose contendit. Ex quo patet, tunc etiam temporis, maximi æstimatam fuisse Romani Pontificis auctoritatem; cum quod ipse reciperet, vel damnaret, catholicum dogma, vel hæresis censeretur.

Ad 2. Etsi Victor excommunicationis sententiam contra Asiaticos intentarit, eam tamen suadentibus Irenæo, aliisque Episcopis reipsa non tulit; ut inter alios demonstravit Natalis Alexander H. E. seculo 2. dissert. 5. referens testimonium Eusebii lib. 3. Historiæ c. 24. & Nicephori lib. 4. c. 38. & 39. Ideo autem Victoris judicio Asiatici repugnarunt, non quod illum in sanciendo fidei morumque dogmate falli posse censerent; sed quod sibi licitum existimarent, aliam ab Ecclesia Romana servare disciplinam in Paschate celebrando, quam ab Evangelista Joanne se accepisse gloriabantur.

Ad 3. Lis Cyprianum inter, & Stephanum non erat de verbis, quibus conferendus esset Baptismus, sed de fide Ministri; nimirum, an fides in conferente sic necessaria foret, ut Baptismus ab Hæretico veram fidem non habente collatus, repetendus esset tanquam invalidus, etiamsi sub præscripta verborum formula conferretur. Quare Stephanus in sua epistola, quam refutat Cyprianus epist. 74. ad Pompejum, ait: *Si quis ergo a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Non dixit, *Si quis ergo quibuscumque verbis baptizatus venerit;* sed, *A quacumque hæresi venerit;* ut ostenderet, se solum velle hæresim in conferente non obstare valori Baptismatis: unde sub-

junxit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*; ubi vero Traditio docet, Baptisma valere, etsi Evangelicis verbis minime consecratum? Lege Berti, Gotti, aliosque, qui insuper magno rationum pondere ostenderunt, Stephanum a sui communione neque Cyprianum, neque Collegas ejus ob errorem Rebaptizantium removisse, & istos opinionem rebaptismatis retulisse non ad fidei decreta, sed ad simplicem disciplinam, ac postremo Cyprianum, æstu disputationis abreptum, ex decreto Stephani collegisse, quod ille quorumcumque Hæreticorum Baptisma indistincte probasset, illorum etiam, qui *in plena & adunata Trinitate* (uti scribit S. Martyr epist. 73.) non baptizant.

Ad 4. In Theolog. Institutis lib. 7. c. 12. demonstravimus, Liberium primæ Sirmiensi formulæ subscripsisse, quæ licet vocem *Consubstantialis* non exprimeret, Arianum tamen non continebat errorem. Ceterum etsi dare vellemus, Liberium ærumnis fractum vel secundam Sirmiensem fidei ecthesim approbasse; cum nihil ex cathedra decreverit, errasse dicendus esset, ut persona privata, non publica, sive non ut Pastor commissum sibi Fidelium gregem informans. Athanasii autem damnationi subscripsit, quoniam, licet ob fidem catholicam vexaretur, Ariani tamen ficta quædam, horrendaque ejus crimina prætexebant, quibus credulus Pontifex fidem adhibuit.

Ad 5. Lenius quidem se aliquando gessit Zosimus (sapientissimus mitissimusque Pontifex) cum Pelagio, & Cælestio, nunquam tamen illorum errores vel solemni, vel privato judicio fidei definitivo probavit; ac insuper utrumque

hæreticum, detecta eorum fraude, postremo damnavit; uti testis est Augustinus citato in objectione loco ita inter alia scribens: *Nunc vero, cum primitus Beatissimi Papæ Innocentii literæ, Episcoporum literis respondentis Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverint: Successor quoque ejus Sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam scripserit; insuper etiam Cælestium se purgare molientem, ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicæ literis, crebra interlocutione constrinxerit; profecto quidquid interea lenius actum est cum Cælestio, servata dumtaxat antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quod ab eodem Sacerdote* (Zosimo) *postea Cælestius & Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissæ, jam necessario proferendæ ratio severitatis fuit, non prævaricatio prius cognitæ, vel nova cognitio veritatis.*

Ad 6. Dum Honorius, Sergio respondens, duas in Christo voluntates non esse pronunciat, loquitur de Christo, ut homo est, in quo non invenitur voluntas rationi repugnans, sive lucta concupiscentiæ ex originali peccato promanans, sicut invenitur in nobis. Unde in priore ad Sergium epistola relata Actione 12. Synodi sextæ ait ille: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a Divinitate assumpta est natura nostra, non culpa: illa profecto quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.* Et paulo post: *Lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori; quia super legem natus est*

est humanæ conditionis. Quæ sane ratio unice probat, fuisse in Christo ut homine unicam voluntatem, consensione, concordia, & affectu, absque ulla carnis ad spiritum pugna, sive absque membrorum lege derivata ex propagatione peccati.

Non ergo Honorius naturalem voluntatem, quæ naturæ humanæ proprietas est, in Christo negavit, sed potius evidenter asseruit. Quare S.Maximus Martyr epistola ad Marinum inquit: *Honorium etiam Romanum Papam non diffiteri reor naturaliter in Christo voluntatum dualitatem in Epistola, quam scripsit ad Sergium, eo quod unam dixerit voluntatem; sed potius confiteri, & hanc fortassis etiam constabilire. Nam hoc non in reprobationem dixit humanæ Salvatoris, & naturalis voluntatis: sed quod nullatenus conceptionem ejus, quæ fuit sine semine, vel incorruptam nativitatem præcesserit voluntas carnis vel cogitatio vitiosa*. Idem denique judicium de Honorio profert Joannes Papa IV. in Apologia, quam pro illo exornavit, misitque Constantino Imperatori.

Idcirco autem a vocabulo unius, aut geminæ operationis abstinendum duxit Honorius; *ne*, uti in citata epistola ad Sergium scribit, *parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur: aut certe, si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur*. Ex quo patet noluisse duas admittere operationes in sensu dumtaxat Nestorii, qui duas personales operationes in Christo posuerat; neque unam dicere voluisse operationem in sensu Eutychetis, qui unam naturalem operationem eidem attribuit: au-

audierat enim Pontifex a Sergio horum hæreses iterum suscitari, nesciebatque novam Monothelitarum hæresim tunc primo serpentem.

At inquies, cur itaque dictum anathema fuit Honorio a sexta generali Synodo, si reipsa ille prava Monothelitarum dogmata non defendit?

Omissa aliorum responsione dicentium vel sextæ Synodi Acta a Græcis corrupta fuisse, vel eandem Synodum errore facti Honorium vere Monothelitam putasse, atque ita in eum anathema conjecisse, censemus, illum non tanquam hæreticum fuisse damnatum, sed uti nimiæ facilitatis, & inconsultæ dissimulationis reum, eo quod fidem Sergio præstans, geminæque operationis vocabulum prohibens, ansam, licet ignarus, præbuerit Monothelitis hæresim suam audaciori molimine promovendi. Hanc vero fuisse de Honorio Synodi sextæ mentem, nemo testari verius potest, quam Leo II. ejusdem Synodi confirmator. Is enim in literis ad Constantinum Pogonatum de Honorii damnatione sic loquitur: *Nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit.* Et ad Episcopos Hispaniæ clarius explicans, quomodo Honorius traditionem maculari permiserit, inquit: *Qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.* Non ergo ob perniciosam doctrinam, sed propter socordiam, noxiumque silentium sexta Synodus in Honorium contorsit anathema; quod nimirum Monothelitarum hæresim, uti debuerat, non illico repressisset.

Pu-

Putant insuper Theologi quidam, illam Honorii facilitatem, quæ spectatis consequentiis visa est damnationi subjicienda (quum nempe post ejus mortem sub fuco silentii Monothelitæ errorem suum dolose vulgabant) in seipsa fuisse excusatione dignissimam; quoniam Pontifex, ut supra diximus, verebatur, ne unius, vel geminæ operationis prætextu hæresis Eutychiana, vel Nestoriana resurgeret. Imo & alia ille vocabula subrogavit, quæ duas operationes apertissime commonstrabant. Nam in 1. ad Sergium epistola confitetur, Christum *in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus*; itemque in altera epistola ad eumdem Sergium ait, duas naturas esse in una Verbi persona, *inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter propria operantes*. Hinc etiam arbitrantur Theologi illi, easdem Honorii epistolas pro vario temporum causarumque respectu, prius ab omni erroris periculo immunes commendabilesque fuisse, videlicet pro ætate qua vixit Honorius; postea vero meruisse damnari, nimirum tempore sextæ Synodi, quum indictum antea salubre silentium jam Ecclesiæ fideique perniciosum evaserat. Quare ita scribere potuit Agatho Papa in epistola ad Constantinum, quam eadem sexta Synodus Actione 8. & 18. a Spiritu Sancto dictatam asseruit: *Apostolicæ memoriæ meæ parvitatis Prædecessores, Dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem hæreticam in Christi immaculatam Ecclesiam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Præsules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis hæretico errore, SALTEM TACENDO, desisterent, ne ex hoc exordium dis-*

dissidii in unitate Ecclesiæ facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo. Ubi S. Agatho Honorii œconomiam Sergio silentium imponentis non obscure commendare videtur.

Dictis tandem adjunge, Honorii ad Sergium epistolas privatim fuisse conscriptas, absque solemni ritu promulgatas, hortatorias, atque ad unum Patriarcham directas, non impulsivas, non Apostolica auctoritate suffultas, non encyclicas, & palam ad Fidelium ædificationem propositas; ac proinde si fortassis aliquem illæ continerent errorem, colligi inde recte non posset, Honorium ex cathedra decernentem errasse, sed ut privatum doctorem, privatas scribentem epistolas cespitasse.

Ad ultimum patet responsio, si recolantur quæ ea de re diximus in Theol. Institutis lib. 3. c. 9. Ostendimus enim, Joannem XXII. neque uti privatum doctorem assertive, seu etiam opinative docuisse purgatas Sanctorum animas ante corporum resurrectionem beatifica Dei visione carere; sed opinionis hujus fundamenta solummodo recitasse, ut quæstio adhuc tunc dubia diligentissime dirimeretur. Quod postremo ad alios Pontifices pertinet, eos a calumnia vindicatos invenies apud Canum, Bellarminum, Gotti, &c.

III. opponunt. Sæpe Romani Pontifices ad fidei morumque causas finiendas Concilia convocari curarunt. Sic Liberius ad judicandam Athanasii causam Synodum a Constantio postulavit. Damasus quoque, & Occidentales ad reparandam in Oriente fidem Synodum petierunt. Siricius Bonosi Sardicensis Episcopi causam judi-

dicare noluit, sed ad Synodum remisit. Innocentius Constantinopolitano Clero rescripsit, necessariam esse Synodalem cognitionem ad Magni Chrysostomi causam integre finiendam. S. Leo ad retractandam Eutychis causam, rescindendumque Latrocinii Ephesini decretum, necessariam esse Synodum æstimavit. Simili quoque modo se plures alii gessere Pontifices. Non ergo illi judicium suum supremum ac infallibile esse putarunt, alioquin Synodorum convocationem minime postulassent.

Et re quidem vera absurdum est, iterum expendere, iterumque proferre sententiam de causa, quæ per infallibile judicium aliquod finita jam fuit. Non itaque oportebat, totius Orbis Episcopos fatigare, Ecclesiasque suis orbare Pastoribus ad cogenda Concilia, quorum judicium non pluris erat faciendum, quam unius Romani Pontificis. Ex duobus enim infallibilibus judiciis, unum pluris altero æstimari non potest; nec duo infallibilia judicia majori auctoritate sunt prædita, quam unum: nam quod infallibile est, omnem omnino fidem ex se ipso meretur. Aut ergo Concilia prorsus superflua dicenda sunt, aut Romani Pontificis judicium pro infallibili haberi non potest.

Resp. non idcirco Romanos Episcopos aliquando congregari Concilia voluisse, quod judicium suum infallibile esse non crederent, cum fidei morumque quæstio moveretur; sed primo, quia licet ipsi errare in decernendo non possint, humana tamen & ordinaria media adhibere tenentur, discussionem scilicet, & conquisitionem; uti in Jerosolymitano Concilio se gesserunt Apostoli, etiamsi singuli essent infalli-

li-

libilitate donati: ejusmodi autem discussio melius fieri nequit, quam in Concilio generali, si res magni momenti sit, aut ad totam referatur Ecclesiam; vel in particulari Concilio, si minoris illa sit ponderis. Secundo, quia definitiones de fidei controversiis, in quibus de Scripturarum sensu agitur, ex Ecclesiarum traditione & consensu maxime pendent: ad hoc autem dignoscendum aptior modus non est, quam ut ex Sedibus suis congregentur Episcopi, & unusquisque Ecclesiæ suæ traditionem, & consuetudinem eloquatur. Tertio, utilissime convocantur quandoque Concilia, ut controversiæ concordi sententia finiantur, & ut decreta non solum fiant, verum etiam ubique serventur; quod optime tunc contingit, quum iis Episcopi simul congregati subscribunt, ac profitentur, eadem se amplecti, & in suis Ecclesiis pro recta fide, & observantia vulgaturos.

Ad singula autem respondentes, advertimus, Liberium, uti refert Theodoretus lib. 2. hist. c. 16., cum Constantio disputasse de Athanasii causa, quæ non fidei, vel morum, sed puri facti causa erat: agebatur enim, num vera, aut falsa forent crimina, quæ S. Doctori movebant Hæretici. Qua in re prudentissime Liberius se gessit, Ariano Imperatori, ejus judicium detrectanti, respondens, quod prius ab exilio revocarentur Fratres, veræque fidei subscriberent Ariani, ac tunc *universi Alexandriam convenientes, ubi & accusatus ipse, & accusatores sunt, & defensor eorum, examinato illorum negotio, concordem sententiam proferamus.*

Damasus cogi quidem petiit generale Concilium, primum nempe Constantinopolitanum, ad

ad damnandum Macedonium, quem tamen jam antea ipse in Concilio Romano damnaverat: quare judicium Concilii generalis fuit repetitio judicii jam lati in Romano Concilio, ut ab utraque Ecclesia, Orientali nimirum, & Occidentali, hæresis Macedoniana, quæ longe lateque serpebat, concorditer proscriberetur. Apollinarem vero, & Timotheum, instantibus Orientalibus, sine Concilio generali damnavit, uti testatur Theodoretus lib. 5. Hist. c. 10. recitans Damasi epistolam ad Orientales, qui ejus sententiam suspexerunt.

Ad Sirici factum dicimus, quod cum Bonosus in Capuano Concilio de hæresi fuisset accusatus, quod scilicet illibatam Dei Genitricis virginitatem post partum proterve negaret, causæ hujusce cognitio Anysio Thessalonicensi, aliisque Macedoniæ & Illyrici Episcopis a Synodo delegata est. Cumque isti implexæ & odiosæ litis difficultate deterriti, literas Siricio Romano Pontifici dedissent, ut illius cognitionem atque judicium in se sumeret; renuit constantissime Pontifex, non quia ejusmodi judicium sumere jure summo non posset; sed ne tanquam à Concilio delegatus, imo etiam subdelegatus, Bonosum judicare videretur; quod certe contra Pontificiam majestatem dignitatemque fuisset. Unde eis diserte respondit: *Vos totius Synodi vice decernitis: Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit.*

Innocentius propria auctoritate rescidit acta Synodi ad Quercum, qua Chrysostomus injuste damnatus fuerat, & contra Canones inconsulta Apostolicâ Sede depositus. Scripsit autem ad causam illam integre finiendam oportere ge-

ne-

neralem Synodum congregari, quia cum occasione Chrysostomi e sua Sede deturbati, in varias partes scissi essent Orientis, & Occidentis Episcopi; facilius revocari in concordiam poterant, si mutuo secum in Concilio generali conferrent, præside Innocentio, quam si solus iste de totius negotii summa ejusque appendicibus judicaret. At id non minorem arguit in Romano Pontifice, quam in Synodo, judiciariam potestatem; sed faciliorem dumtaxat sedandarum turbarum viam apertum iri probat in Synodo, quam solus ipse Pontifex aperire valeret.

Cum vero Chrysostomus ex hac vita migrasset, Innocentius, nulla celebrata Synodo, litem illam propria auctoritate industriaque diremit. Compulit enim Orientales Episcopos ad restituendum Chrysostomi nomen sacris dypticis, a quibus illud expunxerant; nec prius suspensam instauravit cum eis communionem, quam id executioni mandassent.

S. Leo auctoritate sua rejecit acta secundæ Ephesinæ, seu verius prædatoriæ Synodi, & appellationem Flaviani, ac Theodoreti inique depositorum admisit. Idem vero Pontifex Concilium Chalcedonense idcirco coegit, quia per illud Orientalium paci melius consultum agnovit. Nam Theodosius Ephesinæ illius Synodi acta firmaverat, quæ rescindenda erant, ut præstitit Marcianus Theodosii in imperio Successor. Depositione etiam plectendus erat Dioscorus; plenisque suffragiis damnanda erat Eutychiana hæresis, quam Synodus illa probaverat. Quanta autem cum reverentia Chalcedonensis Concilii Patres exceperint latum a S. Leone judicium, liquet ex dictis supra c. 2. & 3.

Ex

Ex hucusque dictis infertur, unum esse infallibilem in Ecclesia Judicem, sive vivam fidei regulam; Summum nempe Pontificem, qui suam auctoritatem variis modis exercere potest, dum de fide decernit, prout expedire ipse putaverit. Et illorum quidem modorum unus est, definire cum generali Concilio; quia id utile interdum est, ut manifestius clariusque constet de consensu universalis Ecclesiæ, utque majori pudore afficiantur Hæretici, ac facilius acquiescant quicumque contrarium autumarint. Ita Apostoli suo nobis declararunt exemplo, Actorum c. 15.

Quæri hic autem solet, qualem quantamque in definiendo diligentiam adhibere Pontifex teneatur, quando Concilium generale non cogit? Ad quod breviter respondemus, debere illum utique aliquam ad id conferre diligentiam; cum humana via incedat, rationemque sequatur, atque non temere, inconsulteque, sed argumentando verum a falso discernat. *Non enim*, inquit Canus lib. 5. c. 5., *existimandus est Summus Pontifex eam habere facultatem, quæ in Apostolis, Prophetis, & Evangelistis inerat, ut proposita unaqualibet de fide quæstione protinus dignoscere possit utra quæstionis pars vera falsave sit; sed adhibere prius consilium necesse est, & expendere utriusque partis argumenta: tum deinde sequetur auxilium Dei, quod videlicet opus est, ut Summus Pontifex in recta fide contineatur*. Nam eodem quoque modo Episcopi in Conciliis non mox quasi ex auctoritate sententiam absque alia discussione pronunciant; sed diligentiam, ac studium adhibendo; quod Act. 15. per *conquisitionis* nomen exprimitur.

Non tamen oportet, ut Pontifex consulta-

tionem adhibeat Romanæ Ecclesiæ, intra Urbis ambitum constitutæ; sed eam adhibere tenetur, quam prudentiæ regula dictat, sive Cardinalium sit, sive aliorum Theologorum; cùm per se omnem habeat plenissimamque auctoritatem; ac ipse solus sit Christi Vicarius, Petrique Successor, cui speciatim absque ullius Concilii, alienique consilii dependentia pascendi totius Dominici gregis cura commissa est, rogatumque a Christo ut ipse fratres suos omnes in fide confirmet. Hinc Nicolaus I. in epist. 18. ad Carolum Regem ajebat: *Sedes hæc sancta, atque præcipua, cui Dominici gregis sollicitudo, curaque commissa est, in omnibus mundi partibus rectitudinis suæ dispositione salubri, cuncta ordinare, perficereque divino freta procurat auxilio, & quod singulari etiam auctoritate perficere valet, multorum sæpe Sacerdotum decernit definire consensu, &c.*

At dices, quid futurum esset, si Pontifex absque præmissa diligentia definiret? Reponimus, evenire id omnino non posse. Deus enim suaviter disponit omnia, simulque prospicit, & finem; & media per quæ pervenimus ad finem. Ita si vitam æternam cuiquam promitteret, mox etiam illi conferret bonarum gratiam actionum, quibus eam vitam consequeretur: cum itaque Petro ejusque Successoribus fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quominus & media eis tribuat, per quæ hæc firmitas conservatur. Non potest igitur Pontifex necessariam diligentiam non præstare, quum de fide pronunciat. Recole quæ hac de re diximus lib. 4. c. 1. dub. 1.

Ex dictis apparet, perperam quosdam Theolo-

logos distinxisse inter Romanam Ecclesiam,& Romanum Pontificem, sive inter Apostolicam Sedem,& Pontificem in ea sedentem;ac putasse,istum in fidei morumque decretis errare posse, illam vero nequaquam. Quæ enim ab hujusce disputationis exordio productæ hucusque sunt rationes, Scripturarum Patrumque testimonio roboratæ, satis evidenter evincunt, infallibilitatis privilegium peculiariter Petro, ejusque Successoribus a Domino nostro Jesu Christo fuisse collatum. *Tu es Petrus*, *&c. Tu confirma*, *&c. Tu pasce*, *&c.* Proindeque doctrinæ firmitas primum Petro, ejusque Successoribus asserenda a nobis est, mox vero Romanæ Ecclesiæ, cujus Petrus cum Successoribus est & fundamentum & caput. Hinc rectissime animadvertit Canus in lib. 6. c. 8. quod sicut omnibus simul Episcopis falsos errores docentibus necesse profecto esset totam Ecclesiam vario in errore versari; ita si Romanæ Ecclesiæ Pastor errorem fidei contrarium definiret, oves quoque errante Pastore dispergerentur. Vide quæ diximus in Theologiæ Præludio c. 2. §. 5.

Postremo notamus, non ignobiles quosdam Theologos, uti sunt Pighius, Bellarminus, Suaresius, aliique, affirmasse, quod Romanus Pontifex neque ut privata persona incidere possit in hæresim. Horum nos opinionem non improbabilem judicamus. Nititur enim non penitus contemnenda ratione. Nam privilegium confirmandi fratres, quod Christus Petro ejusque Successoribus impetravit, stare rectius videtur, si dicatur, illos ex animo hæreticos vel infideles esse non posse. Quomodo enim in aliis fidem stabilient, quam ipsimet execrantur

interius & impugnant? Legendum vero super hac opinione consulimus Eminentissimum Brancati in 3. sent. tom. 3. disput. 8. de fide a. 5. §. 1.

CAPUT VI.

Quod Romanus Pontifex errare nequeat, dum Dogmatica facta definit.

QUæstiones a Theologis aliæ *juris*, aliæ *facti* dicuntur. Illæ respiciunt dogma, sive doctrinam veram, vel falsam, fideique catholicæ consonam, vel adversam; uti, exempli causa, Est in Deo cum unitate substantiæ Trinitas Personarum, Verbum Patri consubstantiale est, aliæque consimiles veritates, quas credere ac profiteri tenemur; sive e contrario, In Deo est una dumtaxat Persona, Filius est creatura, aliique damnandi Hæreticorum errores.

Istæ vero, quæstiones nempe, quæ *facti* vocantur, non doctrinam in se, sed ut prolatam ab homine, vel scriptis expressam attingunt: sicuti est, verbi gratia, an Sabellius negaverit plures in Deo esse Personas, an in scriptis Arii Verbi consubstantialitas impugnetur. Rursus, facta istiusmodi alia personalia, alia dogmatica nuncupantur. Prioris generis sunt, quæ personam solummodo spectant, non addita dogmatis complexione; ut si quæratur, num Sabellius blasphemiam illam revera protulerit, an Arius ipse scri-

scripta adversus Verbi divinitatem ediderit: Dogmatica ea facta dicuntur, quæ simul cum dogmate copulantur; cujusmodi hæc sunt, Verbum non est Patri consubstantiale in sensu verborum Sabellii, Filius non est Patri substantia similis juxta sensum ab Arianis, aut Semiarianis intentum.

Romanum Pontificem in dirimendis quæ ad jus pertinent quæstionibus infallibilitatis privilegio gaudere, satis ea demonstrant, quæ in præcedentibus capitibus adducta fuerunt. Quod autem ad quæstiones facti personalis attinet, Theologi communiter arbitrantur in iis errare posse Pontificem, quoniam resolvi solent ex incertis principiis, rumore vulgi, hominum testimonio, & opinione Scriptorum: qua de re mox infra dicemus.

In dogmaticis postremo factis infallibile prorsus esse Romani Pontificis judicium, ita perspicue demonstratur. Ex quo enim ille Dominici gregis curam gerat, non solum salutiferas herbas a veneficis secernere debet, verum etiam arcere oves a pascuis, ubi germina veneno imbuta nascuntur. Ergo quemadmodum sine erroris periculo distinguit Pontifex inter *herbam*, & *herbam*, nempe inter dogma catholicum, & dogma hæreticum, ne oves fallaci doctrina pascantur; ita quoque certissimo judicio discernere debet inter *pratum*, & *pratum*, ubi herbæ progerminant; idest inter libros & libros, in quibus dogmata continentur; & dignoscere, ubi salubria, ubi perniciosa legantur. Quocirca non solum definire potest propositionem aliquam in se esse hæreticam (quod ad jus & dogma pertinet), verum

rum etiam hæreticam esse, ut in hoc libro refertur (quod est dogmaticum factum.) Imo quemadmodum magis dignoscitur herbarum salubritas & venenum, si advertatur, quibus in pascuis, sylvisque nascuntur; ita melius patescit falsitas aut veritas dogmatis, si doctrina libri, unde germinat, attendatur.

Deinde, adversus Ecclesiam, ejusque Petram, Romanum nempe Pontificem, portæ inferi prævalere non possunt, non solum per tyrannorum persecutionem, sed neque per falsa Hæreticorum dogmata; ex quo, uti passim supra probavimus, rite concluditur, Ecclesiæ Rectorem in dogmatum definitione falli non posse: Ergo cum doctrina sensusque privati Scriptoris contra doctrinam ac sensum universalis Ecclesiæ nequeat prævalere, concludendum profecto est, Ecclesiæ Rectorem in pronunciando de sensu ejusdem Scriptoris decipi atque errare non posse.

Hinc in Ecclesiastica historia non raro occurrunt exempla, quibus evidenter ostenditur, Romanum Pontificem, & approbata ab eo Concilia, in hæresum damnatione damnasse simul illarum auctores, & libros, quin unquam facti quæstionem a juris quæstione distinguerent. Nicæni enim Patres in Epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam, apud Socratem lib. 1. c. 9. & apud Sozomenum lib. 1. c. 21. ajunt: *Placuit, Concilium communibus suffragiis anathema denuntiare, & ei ipsi*, Ario videlicet, *& nefariæ ejus opinioni, & verbis sententiisque execrabilibus, quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis onerandum.*

Ephesini quoque Concilii Patres Actione 1., post lectionem epistolæ Nestorii ad S. Cyril-

lum,

lum, *omnes simul exclamaverunt: Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit ... Omnes Nestorii epistolam, & dogmata anathematizamus ... Impiam fidem Nestorii anathematizamus: impium dogma Nestorii omnes anathematizamus ... Quicumque hunc non anathematizat, sit anathema.*

Theodoretus a Chalcedonensi Concilio Actione VIII. compulsus fuit, ut non solum Nestorii doctrinam, verum etiam ut Nestorium ipsum damnaret, eodem anathemate feriens ejusdem Nestorii dogmata, epistolas, & personam.

In quinta generali Synodo damnata fuere tria Capitula, nempe scripta Theodori Mopsuesteni, & Theodoreti adversus anathematismos S. Cyrilli, ac epistola Ibæ Edesseni ad Marim Persam; quæ sane damnatio dogmaticum factum respiciebat, an nempe scripta illa Nestorianam hæresim continerent.

Lateranense Concilium sub Martino I. canone 18. ita decrevit: *Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobis pariterque fide non respuit, & anathematizat animo & ore omnes quos respuit, & anathematizat nefandissimos Hæreticos, cum omnibus impiis eorum conscriptis, usque ad unum apicem, sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica, hoc est sanctæ, & universales quinque Synodi; & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres, ... condemnatus sit.*

Martinus V. in Constantiensi Concilio sess. ult. præcipit, ut qui suspecti sunt de erroribus Joannis Wicleffi, & Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, interrogentur, *Utrum credant quod condemnationes Joannis Wicleffi, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga factæ de personis*

 eorum,

eorum, libris, & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium fuerint rite, & juste factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ.

Denique S. Pius V. propositiones Baji, Innocentius X. Alexander VII. Innocentius XII. propositiones Jansenii, & Clemens XI. propositiones Quesnellii, in sensu ab iisdem auctoribus intento, & juxta doctrinam in eorum libris traditam proscripserunt.

At oppones 1. Sanctus Thomas Quodlibeto 9. a. 16. postquam asseruit, *certum esse, quod judicium Ecclesiæ universalis errare in iis quæ ad fidem pertinent, impossibile est*; subjungit: *In aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, . . . possibile est judicium Ecclesiæ errare*. Quam S. Doctoris sententiam Theologi omnes communi consensu propugnant.

Resp. Angelicum Doctorem non de dogmaticis factis, quæ, uti ex dictis infertur, ad fidem pertinent, sed de personalibus dumtaxat factis fuisse locutum; ait enim: *In aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes*. Et hoc in sensu aliorum quoque Theologorum verba intelligenda esse, colligitur ex unica ratione quam afferunt: idcirco enim falli aliquando posse Ecclesiam ajunt, quod pendeat ex relatione testimoniisque hominum, qui falli possunt & fallere.

Notandum est autem, plura personalia facta non sola hominum relatione, sed certis indiciis posse dignosci; quapropter non tantum fidei

dei infallibilitatem habere possunt, verum etiam evidentiam naturalem. Ita, exempli causa, licet in damnando latrone e sola testium depositione possit errare Judex; errare tamen minime potest, si illum perspicue viderit infligere vulnera, hominemque necare. Sic item dici non potest Ecclesiam, exempli gratia, errasse in ea facti quæstione, *An quinque celebres illæ propositiones sint in Jansenii libro, cui titulus*, Augustinus; cum illa librum viderit, perlegerit, diuque perpenderit, *ea profecto diligentia, qua major desiderari non potest*; ut loquitur Alexander VII. in Constitutione edita XVII. Kalendas Octobris anno 1656. Quamquam huic definitioni, *Propositiones istæ in sensu, quem habent, damnato, excerptæ sunt e libro Jansenii*, non naturalem, sed fidei præstemus assensum, ob hæreticum sensum singulis propositionibus inhærentem; quem talem esse definit Ecclesia non ex verbis expressis, aut æquivalentibus, sed ex dogmate in talium verborum significatione contento; idest, quia ex libro derivatæ creduntur, non tantum quoad verba, sed etiam, & præcipue quoad sensum qui singularum propositionum verbis exprimitur.

Ad summum itaque errare Ecclesia posset in facto tantum historico; quale, exempli gratia, foret, hunc librum a Cornelio Jansenio revera fuisse conscriptum; id vero prudentissime supponit ex auctoris nomine quod præfert, ex hominum consensu, ex ipsorum Jansenistarum confessione.

Instabis. Distinctio duplicis facti, quorum alterum Personale, alterum Dogmaticum appellatur, recentiorum Scholasticorum excogitatio est, antiquioribus Theologis prorsus ignota.

Resp. quod etsi distinctio isthæc sub iisdem

verbis in Antiquiorum lucubrationibus non inveniatur expressa, frequentissima est tamen, si rei significatio attendatur, eo quod non tantum prava dogmata, sed & Hæreticorum libros, librorumque doctrinam quovis Ecclesiæ seculo proscripta fuisse, in dubium revocari non potest. Omnes præterea hæreses occasionem dedere, ut quædam moverentur quæstiones, & vocabula nonnulla usurparentur, quibus Catholica fides diligentius clariusque defenditur: quare nil mirum, si postquam Jansenii discipuli Ecclesiæ infallibilitatem in definiendis hujusmodi rebus inficiari præ ceteris præsumpserunt, accuratius Theologi alterum ab altero facto distinxerint.

At dices, Ecclesia circa facta personalia falli potest: nosse autem quis sit auctoris sensus, ad factum personale spectat; sensus enim ab interna ac latente auctoris mente dependet.

Resp. permittendo majorem propositionem, prout supra notavimus, distinguendo vero minorem, nosse quinam sit sensus in auctoris mente reconditus, concedimus; quinam sit sensus in libri verbis expressus, negamus. Licet enim de priori sensu certa non sit Ecclesia, neque certo definiat; definire tamen de altero certissime potest; qui cum in libro verbis expressus appareat, jure meritoque præsumitur ab auctore intentus, nisi eum vel ignarum fuisse dixeris, vel malignum. Et hunc profecto sensum in quinque famosis Jansenii propositionibus damnavit Alexander VII., cum illas damnatas asseruit in sensu a *Jansenio intento*; nimirum, ut explicat Innocentius XII. in Brevi ad Episcopos Belgii dato die 6. Februarii anno 1694. *in sensu obvio, quem ipsamet verba ipsa-* [illegible] *rum*

rum propositionum præseferunt. Obvius quippe sensus jure præsumitur esse sensus ab auctore intentus.

Opponis 2. Facta dogmatica, ut, exempli gratia, *Num propositiones ex libro, qui inscribitur*, Augustinus, *exceptæ, merito sint proscriptæ in sensu, quem in eodem libro præseferunt*, resolvi non possunt ex certis fidei nostræ principiis, Scriptura videlicet, & Traditione: sunt enim istis recentiora; sicut adductum Jansenii factum ad recens decimi septimi seculi tempus spectat.

Resp. ea quidem facta esse Scriptura, & Traditione posteriora, si de editione libri, & propositionum enunciatione loquamur; quo sensu nova fuit quælibet hæresis, cum primum a suo cœpit auctore vulgari. Nova vero non sunt comparate ad doctrinam fidei; cum repugnent dogmatibus perpetuo in Ecclesia creditis, vel explicite, vel saltem implicite; quare nihil vetat, quin quæstiones ad ejusmodi facta spectantes ex Scriptura & Traditione per infallibile Ecclesiæ judicium finiantur.



CA-

CAPUT VII.

Num Romanus Pontifex in tradenda morum doctrina obnoxius sit errori?

DUo Theologicarum rerum genera sunt, de quibus Romanus Pontifex judicium ferre potest. Alterum nempe earum, quæ ad credendum spectant, & in contemplatione ac cognitione consistunt: alterum vero illarum, quæ pertinent ad agendum, & per morum præcepta traduntur.

Romani Pontificis judicium circa ea quæ ad fidem spectant, infallibile prorsus esse, ex supradictis apparet; ut autem de morum judicio paulo fusius hic clariusque loquamur, dicimus 1. neque errare illum posse, dum tradit doctrinam morum, qui ad salutis æternæ consecutionem absoluta necessitate, ac prorsus immutabiliter requiruntur. Hinc non potest Romanus Pontifex quidquam edita lege probare, quod Evangelio, aut rectæ rationi repugnet; neque improbare quidquam, quod eidem Evangelio, vel rectæ rationi consentiat.

Et profecto, ut in prioribus capitibus dictum repetitumque sæpius est, Christus Joan. 21. v. 17. Petro dixit: *Pasce oves meas*: at si posset ille in ejusmodi morum præceptis errare, Christi oves salubri institutione non pasceret. Si itaque Christus Petro, ejusque Successoribus pa-

pascendi curam auctoritatemque concredidit; iisdem quoque concessit donum, ut semper rectam morum doctrinam a prava secernerent, nihilque Evangelio, aut rectæ rationi contrarium definirent: alioquin cum teneantur oves suum sequi & audire pastorem, Romani Pontificis error totius Ecclesiæ error evaderet; quod ineffabilis erga nos Christi caritas, & absoluta promissio nunquam evenire permittet. Pollicitus est enim ille Joan. 16. v. 13. quod Spiritus veritatis docturus esset Ecclesiam *omnem veritatem*; quæ scilicet ad vitæ æternæ consecutionem necessario postulatur. Utraque autem veritas, quæ nempe ad contemplationem, & quæ ad actionem pertinet, necessario ad vitæ æternæ adeptionem exigitur.

Dicimus 2. infallibile etiam esse Romani Pontificis judicium circa mores, qui etiamsi ad Evangelica, & naturalia præcepta non spectent, neque omnino necessarii sint & immutabiles; ab ipso tamen pro universa approbantur Ecclesia. Quapropter errare ille non potest, dum aliquid faciendum aut omittendum præcipit, quod pertinet ad generalem Ecclesiæ disciplinam; ut puta, dum pro varia temporum ac personarum conditione Eucharistiam modo tribuit, modo negat infantibus; vel laicis nunc sub duplici, nunc sub una specie eidem Sacramento communicare decernit. Cujus quidem rei ratio ex præmissis apparet. Non enim pati Christi providentia potest, ut Summus Ecclesiæ Pastor, quem sequi Fidelium grex tenetur, sectandam ei proponat perniciosam praxim aliquam, ac noxiam disciplinam.

Neque obstat, quod ejuscemodi disciplina mu-

mutationi subjaceat. Necessario enim probanda est, & retinenda, si illam prudentissimus Ecclesiæ Rector probandam, retinendamque esse ad bonum commune præceperit. Unde Synodus Tridentina sess. 21. c. 2. declarat, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret*. Et sess. 7. *de Sacramentis* canone 13. ita decernit: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit*.

Ex dictis infertur, errare non posse Romanum Pontificem in Canonizatione Sanctorum. Ut enim paulo ante probavimus, errare ille non potest, quum aliquid faciendum toti proponit Ecclesiæ; alioquin eam in errorem induceret: at Sanctorum Canonizatio legem includit toti Ecclesiæ latam, ut pro Sancto hic, aut ille colatur.

Et sane, si hujusmodi decretum aliquod in dubium revocare liceret, dubitare quoque fas esset, an colendus sit ille, quem tota colit Ecclesia: atqui id omnino non licet. Ut enim inquit Augustinus epist. 118. nunc 54. ad Januarium: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est*. Et S. Bernardus epist. 174.

174. *ad Canonicos Lugdunenses*, de colendis Sanctorum festis, *Ego*, ait, *quae accepi ab Ecclesia, securus teneo, & trado*.

Si denique Romanus Pontifex, eique adhaerens Ecclesia, in Sanctorum canonizatione possent errare, talis error in Ecclesiae dedecus, divinique honoris opprobrium evidentissime redundaret. Vel ipsi enim daemones Christi Ecclesiam irriderent, si illos quos in inferno secum haberent damnationis poenarumque consortes, ab universa Ecclesia coli, eorumque apud Deum patrocinium invocari cognoscerent.

Bene itaque scribit Doctor Angelicus Quodlibeto 9. a. 16. *Quia honor, quem Sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiae errare possit.* Ubi notandum, illud adverbium *pie* accipiendum esse, non prout opponitur certitudini, ac necessitati, sed prout impietati contrarium est. Cum enim honor, quem Sanctis exhibemus; sit quaedam professio fidei, qua Sanctorum gloriam credimus; impium esset credere, quod in eo decernendo errare possit Ecclesia; quia non est credendum, in re tanti momenti Spiritum Sanctum Ecclesiae Rectori nequaquam assistere, ne Fideles in errorem inducat praecipiendo eis, ut tanquam Sanctum venerentur, qui Sanctus revera non est.

At oppones. Ecclesia dum quosdam in Sanctorum catalogum refert, humano nititur testimonio, quod falli potest & fallere: ergo & ipsa falli potest.

Resp. cum S. Thoma in citato loco ad 2. *quod divina providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur*. Et ibid. ad 1. ait, *quod Summus Pontifex, cujus est canonizare Sanctos, potest certificari de statu alicujus per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præcipue per instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei*.

Quod si quæsieris, num ad fidem *immediate* pertineat, hunc hominem esse vere Sanctum, quem Sanctorum catalogo Pontifex Romanus adscripsit; Reponemus juxta ejusdem S. Doctoris opinionem, minime. Laudato enim in loco docet, canonizationem interpositam esse inter definitionem eorum quæ ad fidem spectant, & sententiam quæ particularia solum facta determinat: per quod non obscure significat, canonizationem neque errori obnoxiam esse, sicuti est posterior ista sententia; neque ad fidem immediate referri, sicuti prior illa definitio.

Juvat autem hic integrum Doctoris Angelici textum afferre, cum per illum omnia quæ hactenus de Romani Pontificis infallibilitate docuimus, mirifice confirmentur. In corpore itaque laudati articuli hæc habet: „ Dicendum, „ quod aliquid potest judicari possibile secun„ dum se consideratum, quod relatum ad ali„ quid extrinsecum impossibile invenitur. Dico „ ergo, quod judicium eorum qui præsunt Ec„ clesiæ, potest errare in quibuslibet, si perso„ næ eorum tantum respiciantur. Si vero con„ sideretur divina providentia, quæ Ecclesiam

„ suam

„ suam Spiritu Sancto dirigit, ut non erret;
„ sicut ipse promisit Joan. 14. quod Spiritus
„ adveniens doceret omnem veritatem, de necessariis scilicet ad salutem; certum est, quod
„ judicium Ecclesiæ universalis errare in his
„ quæ ad fidem pertinent, impossibile est. Unde magis est standum sententiæ Papæ, ad
„ quem pertinet determinare de fide, quam in
„ judicio profert, quam quorumlibet sapientum
„ hominum in Scripturis opinioni. Cum Caiphas, quamvis nequam, tamen quia Pontifex,
„ legatur etiam inscius prophetasse, Joannis 11.
„ In aliis vero sententiis, quæ ad particularia
„ facta pertinent; ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi;
„ possibile est judicium Ecclesiæ errare propter
„ falsos testes. Canonizatio vero Sanctorum
„ medium est inter hæc duo. Quia tamen honor quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam
„ in his judicium Ecclesiæ errare possit. "

Ex quibus non obscure colligitur, quod si argumentum istud instituatur: *Omnis qui rite inter Sanctos relatus est, vere est Sanctus: Hic homo rite inter Sanctos relatus est: Ergo hic homo vere est Sanctus;* etiamsi majorem propositionem ad fidem immediate spectare dicatur, quod plerique negant; minor tamen ad fidem immediate non spectat, sed media est: cumque, juxta Scholæ effatum, conclusio sequatur debiliorem partem, evidenter infertur, quod prædicta conclusio, *Hic homo vere est Sanctus,* non immediate spectet ad fidem.

Præterea, ut propositio aliqua ad fidem immediate pertineat, necesse est, ut a Deo per verbum, sive scriptum, sive traditum, testificationem accipiat; formalis enim ratio fidei est Dei revelantis auctoritas. Quod autem hic aut ille a Romano Pontifice Sanctorum fastis adscriptus, rite sit adscriptus, & vere sit Sanctus & gloriam assecutus, neque per Scripturam, neque per traditionem a Deo testimonium habet. Lege Cardinalem Gotti in 3. partem, & supplementum S. Thomæ tract. XIV. q. 6. d. 3. §. 3.

Ex hucusque dictis præterea sequitur, infallibile esse etiam Romani Pontificis judicium in Religiosorum Ordinum approbatione. Non enim potest ille alicujus Ordinis & Instituti regulam probare, quæ aut errorem contra fidem, aut vitium contra mores includat, aut etiam iter ad perfectionem impediat; oportet enim, ut Ecclesia non in præceptis tantum, verum & in consiliis, recte sancteque a Romano Pontifice dirigatur. Atque, uti nonnulli dixerunt, approbare Religionem aliquam idem est, ac illam veluti canonizare ut sanctam; proindeque ad Spiritus Sancti providentiam spectat, ut hac in re errare non permittat Ecclesiam, quam speciali cura gubernat. Erraret autem Ecclesia, si Romanus Pontifex, ejus Pastor, posset errare. Non ergo putandum est, labi illum in errorem posse, dum Religiosos Ordines sua approbatione confirmat. Quod si horum aliquos a suis etiam Prædecessoribus approbatos Romani Pontifices abolendos deinde explodendosque sanxerunt; non idcirco id contigit, quia

in sua origine pravum fuerit Institutum ; sed vel quia a prima ejusdem Instituti & Regulæ sanctitate degeneres Alumni postea recesserunt, vel quia iidem Ordines non amplius æstimati fuerunt Ecclesiæ Dei utiles, habita temporum ratione.

FINIS.





